






IOAN. ARN. CORVINI IC.

POSTHVMVS PACIANVS;

SEV

DEFINITIONES

Iuris utriusque, Viri CL. IULII PACII *à* BERIGA, IC., *posthumæ*,

Insigni auctu, & divisionum, integrorum titulorum, aliaque accessione planè novatæ.

Editio altera

Recognita & amplissima dote locupletata

ab

ARNOLDO CORVINO à BELDEREN, I. Fil. IC.





AMSTELÆDAMI,

Apud Ludovicum & Danielem Elzevirios.

CIƆ IƆC LII.



Ornatissimo Doctissimoque Iuveni,

D. DANIELI KONINCK,

SS. LL. Candidato, Cognato suo,

S.P.D.

ARNOLDUS CORVINUS à Belderen I C.

QUod huic opusculo, origine non meo, nomen alicujus præfigere audeo; mirari noli. Fecit id Nobilissimus Berbiseius. Fecit Pater meus piæ memoriæ. Ille incultum; Pater limâ politum illud edi-

derunt. Berbiſeius Senatui Burgundico Editionem inſcripſit ſuam. Pater labores ſuos Patriæ noſtræ Vrbis Conſulibus, omiſsâ Berbiſeianâ dedicatione, ſuâque ſubſtitutâ, dedicavit. Iudicavit Pater mereri hoc opuſculum tantorum Virorum patrocinium. Non Ego. Sed eâdem, quâ ille, utens libertate, detractâ ipſius dedicatione, novum laboribus meis, & quidem non exiguis, Patronum non, ſed Fautorem quæſivi. Etenim ſi licuit Patri ex inducta huic opuſculo per acceſſionem nova forma, ſibi illud vindicare; cur non & mihi? Nec enim noſtra, ejus acceſſione minor. Sed, ut ille, nè

de

de honore Pacii quid derogaret, cavit religiosè; Paciana relinquens intacta; ſuas additiones diſtinguens. Sic & Ego. Neınpe meas ſtellulis à Pacianis & Paternis ſeparavi. Famam ex laboribus hiſce non capto: Licet opuſculum ſit utiliſſimum. Docet hoc Patris ad Lectorem præfatio. Et quidem luculenter. Pronum meum ad promovenda ſtudioſorum Iuriſprudentiæ ſtudia affectum, ex gravioribus laboribus notum, etiam ex levioribus tantum conſtare volo. Is non minus ingens, quam conſtans. Eo glorior, ex eo laudem appeto. Quam extra Patriam adeptus, an in ea adepturus ſim unquam, dubito.

 bito.

bito. Dubium me facit cum ævi hujus,ad barbariem ruentis; tum Theologico bello flagrantis, infelicitas. Nec tamen deſpero. Etenim vivunt adhuc animi generoſi. Vivunt qui Theologicas, ac quidem inutiles, ac à Iuriſprudentia alienas, diſputationes negligunt; veræque virtutis, non fucatæ, ſunt amatores. Hoſce æſtimo. Hiſce ſtudia, vigilias meas conſacro. Eoſque ad virtutem ſolidam excito. Laudata enim virtus creſcit. Quippe ex laudis appetitu, laudis adipiſcendæ labor; ſed & ob eam laboris amor naſcitur. Nec enim ullus laudem, gloriam,lauream, appetens, eum fugit; imò appetit, eo paſci-

tur.

tur. Horum ex numero Te, Cognate, esse scio. Te virtutis cursum ingressum esse feliciter, certus sum. Eo te victurum, stadioque emenso ad metam venturum gloriosè, confido. Currenti tamen, nec, ut puto, incongruè, calcar addere volui. Non sine exemplis. Solebant enim Græci Romanique, Nationum omnium qui unquam regnarunt prudentissimi, cursu omnique virtutis exercitio, pugnantes, anhelantes, acclamatione excitare; victoriam adeptos, præconiis, corollis, coronis, aliisque præmiis condecorare. Faciebant hoc auctoritate publicâ, & publicè. Ego, illâ non præditus, hoc,

quod poſſum, facio modo. Tuo enim Nomini labores hoſce meos inſcribo. Nempe ut diligentia Tua, cupiditaſque ad altiora adſcendendi, innoteſcat publicè. Facio hoc lubenter. Volo enim amoris mei erga Te, & ſanguinis vinculo excitati, & firmâ futuræ Tuæ gloriæ fiduciâ confirmati, amicitiæque noſtræ, quocunque terrarum vixero, publicum exſtare mnemoſynon.

Vale. Leidæ, 28 Auguſti, Anno 1659.

IOHAN. ARNOLDVS CORVINVS, IC.

Legum studiosæ juventuti S.

NEc dum manum de scholasticâ moveo tabulâ. Equidem ex naturali ad promovenda studia pronitate. Scilicet incidi forte in editas sub celeberrimi ICti Iulii Pacii nomine, & à viro quidem spectatissimo, Regio in Senatu Burgundico Consiliario, juris utriusque definitiones. Eas, ut posthumas, ita incultas, limâ ut polirem, officii mei esse putavi. Ex eodem, quo primitus editæ sunt, affectu. Equidem discipulum se quondam Clarissimi Auctoris fuisse, non obscurè indicans Nobilissimus Berbiseius, mihi persuasit, juxta publicam utilitatem, hac editione in optimum præceptorem se spectasse pietatem. Eâdem & ipse sum inductus. Nempe cum in Philosophico, tum juris studio ex defuncti laboribus profeci plurimum. Sed & labore meo ipsam operis materiam per se dignam judicavi. Etenim in hac mortalitate

tate

tate discendi cupidis nihil utilius, quam operosarum artium concidere præcepta. Ita quidem, ut non minus clarè proponantur, quam breviter. Sanè ex perspicuitate facilior eorum est intellectus, firmior ex brevitate memoria. Inde Laconum concisus sermo, quo, per summa rerum capita, multa paucis eloquendo; profundas sententias persuadebant. Pythagoræorum sacra carmina pro aureis habita, quod citra verborum fucum pretiosa dogmata nudè proponerent. Cous Senex, Medicorum princeps, succinctis Aphorismis longam sanandi artem comprehendendo, τὴν ἐμπειρίαν & faciliorem fecit, & tutiorem. Nihil verò ad contractam doctrinam aptius, definiendi res, juxta ac dividendi, planâ methodo. Etenim definitio est rei propositæ propria, dilucida, ac breviter quidem verbis comprehensa enuntiatio. Ita Quintilianus. Aristoteles dixit, λόγον τοῦ τί ἐστι, h. e. rei ipsius essentiæ ac naturæ declarationem. Nempe, cum ex rerum essentia, ac natura earundem prodeant affectiones; inde est, quod per istarum definitiones, &

ha-

harum consequamur cognitionem. Istâ inductus persuasione universam Platonis Philosophiam uno definitionum libro amplexus est Speusippus. Et sunt quidem hæ citra istum effectum cassæ omnino, & inanes. Indubitatum hoc in theoricâ doctrinâ, quæ per amussitatas rerum definitiones traditur ac divisiones. Practica in humanarum actionum finibus constituendis occupatur. Suo tamen modo in ista idem certum. Equidem & ipsa corpore constat, suo, ut σκελετεύεσθαι possit, & in membra artusque dividi. Est quidem Laconica ista, juxta ac Pythagoræa, multa paucis exponendi methodus obscuritati obnoxia. Sed jam professi sumus, nos brevitatem requirere conspicuam, & obscuritatis fugam. Unde, nè cruda esset in hoc opere definitionum, & parca propositio, juxta ipsarum auctum, juncta divisionum quoque, distinctionum, connexionum, imò integrorum titulorum accessione, novam ejus speciem fecimus. Sed & divisionibus ac distinctionibus finitiones juvantur. Nec minus juvat monstrata materiarum

teriarum ἀκολουθία. Nempe, cum per differentias genera in species dispescamus, secundum eas res discretas, singulari finitione curatius explicamus. Sed & monstratam rerum seriem divisionibus inservire cogitate. Ista omnia, si observatis, à me esse putate; à Pacio sunt meræ definitiones. Ne erraretis, servatis definitionum Pacianarum numeris, mea signo hoc [ ] inclusa textui, indici mutato charactere inserui. Haud tamen omnia. Nec verò ignorate, me hunc laborem mihi non sumsisse. Vos spectavi. Vestrum erit & alia à celeberrimo Pacio ad promovenda studia edita scripta cum hoc συμβάλλειν. Id vobis omninò commendo; expertus quantum, ad profectum majorem, intersit, unius, aut paucorum saltem Magistrorum inhærere doctrinæ. Valete.

POSTHV-



POSTHUMI PACIANI,

SEU

DEFINITIONUM JURIS CIVILIS ET CANONICI

Julii Pacii à Beriga IC.

LIBER PRIMUS.

Ex prima parte Digestorum.

De Iustitia & Iure.

[JUstitia est habitus animi, à quo justi denominantur.

Est vel universalis, vel particularis. *Arist. 5. Ethic. cap. 1.*

Justitia universalis re idem est quod virtus, ratione tantum ab ea differens. Quia ita appellatur per relationem ad eos erga quos virtute suâ justus utitur.]

* Est obedientia erga omnes leges; divinas & humanas; naturales & civiles. *Wesemb. par. hic. num. 3.*

Seu connexio, sive complexio omnium virtutum. *Arist. 5. Ethic. 1. D. Thom. 2. 2. qu. 58.* *

1. Justitia [particularis] est * ordinatio hominis circa ea quæ sunt ad alterum hominem singularem, & quidem immediatè in tribuendo unicuique quod suum.

Definitur à Iurisconsulto & Imperatore; * Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. *l. Iustitia. 10. in principio. & Instit. eod. in princip.*

* Est vel distributiva, vel commutativa:

Distributiva est, æqualis munerum, præmiorum & pœnarum, pro singulorum merito & dignitate distributio.

Commutativa est, justa commutationis rerum in contractibus privatorum ordinatio. *

[Objectum justitiæ est jus.

Ius, ratione utilitatis ac auctoritatis, distinguitur in publicum ac privatum.]

2. Ius [auctoritate juxta ac utilitate] publicum est, quod ad statum rei Romanæ spectat seu Reipublicæ. *l. 1. §. hujus studii. & Instit. eod. §. ult.*

3. Ius utilitate privatum est, quod ad singulorum utilitatem pertinet. *loc. citat.*

4. Ius utilitate privatum, auctoritate publicum est, quod cum ad singulorum utilitatem pertineat, eorum pactis, vel dispositionibus mutari nequit; ut tutela, *Instit. de leg. tut. in princip.* & testamenti factio, *D. qui test. fac. poss. l. 3.*

[Ratione originis Ius est; vel naturale, vel gentium, (sive primævum, sive secundarium) vel civile.]

5. Ius naturale * secundum D. Paulum, *Rom. 1. & 2.* Est jus Dei, & opus legis, scriptum in cordibus, quod Deus nobis ostendit.

Secundum Iurisconsultum & Imperatorem est, * quod natura omnia animalia docuit. *l.* 1. §. *pen. de just. & jur. Inst. de jur. nat. gent. & civ. in princip.*

6. Ius gentium est, quo gentes humanæ utuntur. *d. l.* 1. §. *ult.* Vel quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. *l. omnes.* 9. *D. eod.* 9. *Inst. de jure nat. gent.* §. 1. Hoc & naturale vocatur. *Inst. de rer. divis.* §. *singulor.*

[Ius gentium (ut notatum) est vel primævum, vel secundarium.]

7. Ius gentium primævum est, quod divina providentia constitutum, semper firmum & immutabile permanet. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* §. *penult.*

*Vel, Quod unà nobiscum nascitur, & nullo docente in mentibus singulorum, velut oculus quidam veri germanique juris, elucet, scriptumque est in cordibus nostris. *D. Paulus. Rom.* 2. *vers.* 25. Et verè & propriè jus naturale humanum est. *Cic. de juvent. lib.* 2. *cap.* 5. & 12. & *lib.* 1. *de legib.* & *lib.* 3. *de offic.* *

8. Ius gentium secundarium est, quod usu & humanis necessitatibus exigentibus, gentes humanæ sibi constituerunt. *Inst. eod.* §. *jus autem gentium.*

[Ius civile considerandum vel quatenus opponitur juri gentium; vel strictius, quatenus opponitur juri prætorio.]

9. Ius civile (quod juri gentium opponitur, & positivum dicitur à Græcis τὸ κατὰ συνθήκην) est illud quod neque in totum à jure naturali vel gentium recedit * neque per omnia ei servit: sed aliquid addit, vel detrahit juri communi. *l.* 6. *in pr.* Seu quod quisque populus sibi ipse constituit. *l. omnes.* 9. *de just. & jur. & Instit. de jur. na. gent. & civ.* §. 1. * Ratione puta aliqua civili, non naturali.

Ratio civilis est, non quæ à naturali ratione intotum abhorret, sed quæ ob publicam civium utilitatem eousque pertingit, quo naturalis ipsa pertingere non potest. *Fab. in Iuris scient. Papin. tit. 2. pr. 4. de jur. nat. gent. & civili.* *

10. Ius civile (honorario oppositum) est, quod ex legibus, plebiscitis, Senatusconsultis, constitutionibus Principum auctoritate, sive responsis prudentum constat. *l. 7. in pr. D. eod.*

11. Lex est, quod populus senatorio magistratu interrogante (veluti consule) constituebat. *§. lex est. Inst. de jur. natur. gent.*

Vel (generalius voce legis acceptâ) commune præceptum, virorum prudentum consultum, delictorum quæ spontè vel ignorantia contrahuntur, coërcitio: communis Reipublicæ sponsio. *leg. 1. & 2. de legib.*

* Vel, est justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam & rerum omnium principem naturam expressa. *Cic. lib. 1. de legib.* *

12. Plebiscitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituebat. *d. §. lex est. vers. plebiscitum.*

13. Populi appellatione omnes cives significantur, connumeratis etiam Patriciis, & Senatoribus. *d. §. lex est. vers. plebiscitum.*

14. Plebis appellatione, sine Patriciis & Senatoribus cæteri cives significantur. *d. §. lex est. vers. plebiscitum. in fin.*

15. Senatores sunt, qui in senatu sententiam dicere possunt. *l. ult. §. final. ff. de Senator.*

16. Senatus est, selectorum virorum non plebeiorum cœtus. *Infr. de verb. signif. l. plebs. 238. in pr.*

17. Patricii, per relationem ad Senatores, dicuntur Senatorum progenies; hoc est, qui

ex

ex primis Senatoribus ortum ducunt. *Livius lib.* 1.

18. Patricii, per relationem ad Principem, sunt qui quasi patres Principis habebantur. *Inst. quib. modis patr. potest. solvit.* §. *filiusf.*

De Senatusconsultis *vide infra. defin.* 29.

[De Constitutionibus Principum *vide infra. defin.* 32.]

19. Responsa prudentum sunt, sententiæ & opiniones eorum quibus permissum erat de jure respondere. *Inst. de jure nat. gent. & civ.* §. *responsa.*

20. Iurisconsulti sunt, viri prudentes quibus permittitur de jure respondere. *d.* §. *responsa.*

[Respondetur autem vel per sententiam, vel secundum opinionem.]

21. Sententia est, firma & indubia responsio. *Theoph. in d.* §. *responsa.* [*gl. in verb. sententia. d.* §. *responsa.*]

22. Opinio est, suspensa & dubia responsio. *Theoph. d. loco.* [seu responsio cum dubitatione. *gl. in verb. opinio, d.* §. *responsa.*]

23. Ius honorarium est, quod prætores vel ædiles curules edixerunt, adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi Iuris Civilis gratia, propter utilitatem publicam. *l.* 7. §. 1. *ff. de just. & jur. & Inst. de jur. nat. gent. & civ.* §. *prætorum.*

[Ius est, vel strictum, vel laxum.]

24. Ius strictum est, quod à sola juris ratione pendet nec inflectitur ex bono & æquo. *Arist. Ethic. cap.* 1. Hoc alii summum jus, *ut in illo dicto : summum jus summa injuria.* alii rigorem juris appellant. *sic passim Doctores.*

[Laxum est Ius, æquitate temperatum.]

Æquitas, *l. placuit.* 8. *Cod. de judiciis.* (seu benignitas, *de legib. l. nulla.* 25. *& de legat.* 3. *l.* 5. *in*

in fine. seu humanitas, *Instit. qui & ex quib. caus. manum. non lic.* §. *idemque.* & *de gradibus.* §. *illud.* seu bonum & æquum, *de obligat. & act. l. 2. in fin.* & *Instit. de oblig. quæ ex cons. in fine.* seu liberalitas, *Inst. de testam. ord.* §. *sed cum aliquis.* seu utilitas, *Instit. de mandat.* §. *item si adhuc.* seu benevolentia, *Inst. de leg.* §. *optionis.*) est jus quod pro ratione rerum subjectarum derogat juri scripto. *d. l. placuit.*

26. Ius singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est. *l. jus singulare. 16. de legib.*

[Distinctum puta à Lege; quæ commune est præceptum, supra definita.

Iuris ars & ipsa Ius dicitur non minus quam Iurisprudentia. *l.* 1. *de just. & jur.*

Ius est, ars boni & æqui. *d. l.* 1.

Iurisprudentia est, rerum divinarum & humanarum notitia; justi atque injusti scientia. *l.* 10. §. 2. *ff. eod.*]

* Hoc est; Habitus intellectus, quo quis cognoscit res divinas & humanas, quatenus in iis versatur justum & injustum, illud ut faciamus, hoc ut fugiamus. *Zoes. ad ff. de just. & jure. num.* 4. *

De legibus, senatusconsultis, & longa consuetudine.

De lege vid. supr. definit. 11.

[DIfferunt, contra legem facere, & quid facere in fraudem legis.]

27. Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet. In fraudem verò legis facit, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit. *l. contra. 29. & l. sequenti. h. tit.* [*c. in legem. de R. l. in 6.*]

* Siquidem non tantum verba legis obligant, sed

etiam

etiam mens ac sententia. *d. l.* 29. *&* 30. *l.* 3. *C. hic.*

Scire enim leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. *l. scire.* 17. *ff. hic.* *

28. Sanctio est, ea legis pars, quæ in legem committentibus pœnam irrogat. *Inst. de rer. divis.* §. *sancta.*

29. Senatusconsultum est, quod senatus senatorio magistratu interrogante constituit. *Inst. de jur. nat.* §. *senatusconsultum.*

* Vel, Senatusconsultum est jus quod Senatu constituente sine lege populariter facta introducitur. *l.* 2. §. *deinde. De orig. jur. l.* 9. *hic. d.* §. *Senatusconsultum.*

Erat olim duplex, *Varro, Gell.* 14. *noct. Attic. cap.* 7. Unum per discessionem, cum certi Senatores (qui videlicet jus habebant sententiæ, quique dicebantur habere relationem, vota darent; alii in eorum sententiam pedibus irent: Alterum per collectionem, in rebus arduis cum singulorum sententiæ rogabantur. *Zas. par. de Senator. num.* 5. *

[*Reliquas juris Romani partes habes definitas tit. praced. n.* 12. *& seqq.*]

30. Consuetudo est, jus non scriptum, diuturno usu & tacito populi consensu comprobatum. *l. de quibus.* 32. *& l. seq. h. t. Inst. de jur. nat. gent. & civ.* §. *sine scripto.*

[Est Ius moribus constitutum, vel quod sine scripto populus probavit, vel quod pro jure & lege in his quæ ex non scripto descendunt, observatur. *d. l.* 32. *& seq.*]

De constitutionibus Principum.

31. PRinceps, sive Imperator, est, in quem populus Romanus omne Imperium suum & potestatem [Lege Regiâ] contulit.

 l. 1.

l. 1. *in pr. h. t. & Inst. de jur. nat.* §. *sed & quod.*

32. Constitutio est, quod Principi placet vim legis habere. *dd. jur.*

* Est vel generalis, vel specialis.

Generalis est, quæ in omnia negotia & personas valet; *l.* 1. *&* 3. *C. hic.* etiam ad divinam domum pertinentes. *l. omnes.* 10. *C. eod.*

Particularis est, quæ non in commune, sed inter nominatas personas jus facit, nec eas egreditur. *l.* 2. *C. eod.* *

Secundo [dividitur, in Rescriptum, Decretum, Edictum.]

33. Rescriptum est, Epistola qua Princeps consulentibus respondet.

34. Subscriptio, seu Subnotatio, sive Annotatio, est, libello supplici subjecta comprobatio. [Ab Imperatore præsente.]

35. Decretum est, sententia [Imperatoris] inter duos litigantes pronuntiata cum causæ cognitione.

36. Interlocutio est, pronuntiatio de plano.

37. Edictum est, quod Princeps vel sua sponte, vel aliquo suggerente, publicè ab omnibus observandum, proponit.

38. Oratio Principis est, quæ in Senatu recitatur, ut in ejus sententiam fiat Senatusconsultum.

De statu hominum.

[HOmines distinguuntur secundum naturam ex sexu, in mares & fœminas; Et in multis juris articulis diverso utuntur jure. *l.* 9. *ff. h. t.*

Vtriusque sexus homo hermaphroditus, Græcis androgynos, dicitur. *Paul. in l. repetundarum. ff. de*

ff. de testib. Iudicatur esse sexus in ipso prævalentis, *l.* 10. *ff. h. t.* In dubio maribus accensetur. *Bald. in l.* 12. *c. de suis & legit. hered.*

Secundum Ius distinguuntur homines ex statu.

39. Status est, in quo persona consistit, seu quasi stat. *l.* 15. *ubi gl. ff. qui testam. fac. poss.*

Hic, status hominum est conditio qualitasque personarum. Ius personarum in Institutionibus dicitur. Unde instrumenta status quibus personarum conditio, puta vel ingenuitas vel manumissio, probari potest. *l.* 8. *ff. quod met. causs.*

Hujus tria sunt capita, libertas, civitas, & familia.

Distinctio hominum secundum libertatem ex jure gentium est; quo introducta servitus; cum omnes natura liberi, * id est, æquales, * nascerentur. §. 5. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.*]

40. Libertas est, naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi vi, aut jure prohibeatur. *l.* 4. *in pr. hic. Inst. de jur. pers.* §. 1.

* Est etiam libertas quædam civilis, quæ jure Quiritium competit, & Romana & vera libertas dicitur. *l. un.* §. 2. *C. de Latin. lib. toll.* civium Romanorum propria. *

41. Servitus est, constitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam subjicitur. *d. l.* 4. §. 1. *Inst. de jur. person.* §. *servitus.*

[Hinc ex jure gentium homines alii sunt liberi, alii servi. *l.* 3. *ff. h. t.*

Liberi, penes quos est libertas.

Servi, qui justam servitutem serviunt.

Liberi rursus sunt vel ingenui, vel libertini.]

42. Ingenuus est, qui ex matre libera nascitur,

tur, *l.* 5. § *pen. h.t.* vel qui ftatim ac natus eft, liber eft. *Inft. de ingen. in pr.* Sed noviffimo jure omnes homines liberi fiunt ingenui. *Nov.* 78.

* Ingenui vel funt jufti, vel injufti. Iufti, qui ex juftis, hoc eft, legitimis nuptiis funt procreati. *l.* 12. *l.* 18. *hic.*

Injufti, qui ex illegitima conjunctione. *l.* 11. *l.* 23. *l.* 24. *eod.* *

43. Libertinus eft, qui ex jufta fervitute manumiffus eft. *l. 6. h. t. Inft. de libert. in pr.*

44. Manumiffio eft, de manu & poteftate dimiffio, vel datio libertatis. *Sup. de juft. & jur. l.* 4. *Inft. de libertin. in pr.*

[In fervorum conditione nulla eft differentia. *l.* 5. *h. t.*]

De his qui fui vel alieni juris funt.

[Diftinctio hominum fecundum civitatem & familiam eft ex jure civili.

Civitas eft, multitudo, feu unitas civium in hoc collecta ut jure focietatis vivat optimo. *c. fi civitas. de fent. & excom. lib.* 6. **Zaf.* *in l.* 2. *de orig. jur.*

Secundum eam alii funt cives, alii peregrini.

Cives, (fic dicti, quod in unum coëant cœtum, & fub iifdem legibus politicis vivant;) propriè funt ad quos jus & privilegia Quiritium pertinent.

Peregrini, hic quidem, dicuntur, qui non funt Cives Romani, & ad quos jus Quiritium non pertinet, five nunquam fuerint cives, five amiferint civitatem. *l.* 1. *C. de hered. inft. l.* 10. *De in jus voc.* Etiam ἀπόλιδες à Iurifconfultis dicuntur, quod careant civitate. *l.* 17. §. 1. *de pœn.*

Familiæ ſignificatio varia; communi jure familiam dicimus plures qui ex eadem gente & domo proditi ſunt. *l.* 195. *De V. S.* Iure proprio, plures perſonas dicimus qui ſunt ſub unius poteſtate. *d. l.* 195. §. 2.

Hinc, ſecundum eam ſignificationem, perſonæ ſunt vel ſui, vel alieni juris.

Sui juris ſunt patres & matres familiarum, alieni juris filii & filiæ familiarum. *l.* 4. *h.t.*]

45. Paterfamilias eſt civis Romanus ſui juris. *d. l.* 4.

[Paterfamilias dicitur, quicunque familiæ princeps eſt, ſub quo reliqui ſubſunt. *d. l.* 195. §. 2.

Materfamilias etiam dicitur ea quæ ſui juris eſt. *d. l.* 195. §. 2. Cum matrem ſimpliciter dicimus, eam ad filios referimus; quæ & in aliena poteſtate, ut patris, eſſe poteſt. *Anton. Auguſtin. lib. ſing. ad l.* 2. *de excuſat.*]

46. Filiusfamilias, eſt civis Romanus in poteſtate parentis. *d. l.* 4. *hic.*

47. Filius eſt, qui ex viro & uxore ejus naſcitur. *l.* 6. *hic.*

[Nempe filius talis propriè eſt, & quidem naturalis & legitimus ſimul. Qui ex concubina unica, indubitato affectu marito conjuncta, naſcitur, naturalis filius dicitur. Qui tamen per legitimationem legitimus fieri poteſt. *Inſt. de nupt.* §. *ult.*]

48. Spurii ſunt, qui vel patrem demonſtrare non poſſunt, ut nati ex meretrice, vel eum habent, quem habere non licet, ut nati ex nefario & inceſtuoſo coitu. *Inſtit. de nupt.* §. *ſi adverſus.*

49. Legitimatio eſt, actus per quem is qui eſt filius naturalis tantum, efficitur legitimus. *Inſtit. de nupt.* §. *ult.*

* Seu, Est legis actio quâ liberi, qui nativitate non sunt in potestate patris, post eam fiunt legitimi. *

De Adoptionibus & Emancipationibus.

[Legitimatus & natura est, & ex legitimatione legitimus simul fit filius. Sunt verò & filii legitimi tantum, puta adoptivi.]

50. Adoptio est, actus legitimus naturam imitans, ad solatium eorum qui liberos non habent inventus: *Theoph. de adopt. in pr.* Vel naturæ similitudo, ut aliquis filium habere possit quem non generavit. *Caius lib. 1. Inst. tit. 5. in pr.*

[Est duplex, vel arrogatio dicta, vel specialis adoptio.]

51. Arrogatio est, cum Principis auctoritate adoptamus eos, qui sui juris sunt. *l. 2. in pr. h. t. & Inst. eod.* §. 1.

* Vel, Est ea quâ paterfamilias, ex rescripto Principis, apud acta adoptatur, §. 1. *Inst. hic. l. 2. C. hic.* & ex sui juris cive fit alieno juri subjectus. §. 11. *Inst. eod.* *

52. Specialis adoptio est, cum imperio Magistratus adoptamus eos, qui in parentis potestate sunt. *dd. juribus.*

* Vel, Est quâ filiusfamilias à parente naturali in cujus potestate est, alteri parenti naturali, aut alii extraneo, in cujus potestate non est, auctoritate Magistratus in adoptionem datur. §. 1. & 2. *Inst. hic.* *

53. Emancipatio est, actus legitimus, *infr. de diverf. regul. jur. l. actus legitimi.* 77. quo parentes liberos suos de sua potestate dimittunt ac sui juris faciunt. *Inst. quibus mod. patr. potest. solvit.* §. *praterea.*

[Est triplex, Legitima, Anastasiana, Iustinianea.

Le-

Legitima est, quâ filius tribus mancipationibus, id est, imaginariis venditionibus, tribusque manumissionibus; cæteri liberi unâ mancipatione, manumissioneque, sui juris fiebant. §. *praterea. Inst. h. t.*

Anastasiana est, quæ fiebat per rescriptum Principis apud competentem judicem insinuatum. *l. pen. C. de emanc. liber.*

Iustinianea est, quæ sine Principis rescripto coram competente judice perficitur. *l. ult. C. eod.*]

De divisione rerum & qualitate.

[Res sunt aut divini juris, aut humani.

Divini juris sunt, sacræ, sanctæ, religiosæ.]

54. Res sacræ sunt, quæ ritè per Pontificem Deo * (Id est, divinis usibus & ad ministerium Ecclesiæ;) * sunt consecratæ. *Inst. de rer. divis. §. sacra.*

* Vel; Res sacræ sunt, quæ publica, non privata auctoritate, *l. 6. §. 3. hic. Novel.* 58. à summo Magistratu præeunte Pontifice; *d. l. 6. §. 3.* hodie in Republica Christiana ab Antistite cujusque loci, Deo consecrantur. *Nov.* 131. *c. 8. t. t. Ext. de consecr. Eccles.* *

55. Res Religiosa, seu locus religiosus, est, ubi corpus humanum est humatum, *l. 6. §. penult. h. t. & Inst. eod. §. religiosum. & infr. de religiosis & sumpt. fun. l.* 2. vel ossa condita. *d §. religiosum.* vel caput sepultum, *l. cum in diversis. 44. in pr. infr. eod. de relig.* ab eo qui in eum locum inferendi, ibique sepeliendi jus habuit. *d. l. 6. §. pen. & Inst. d. §. religiosum.* vel monumentum in quo corpus seu reliquiæ sunt illatæ. *Infr. de religiosis. l. 2. §. prætor ait. sub fin.*

* Vel, Res religiosa est, quæ privata alicujus voluntate religioni dicatur; ut cum quis corpus mortuum humanum, sive totum, sive præcipuam ejus partem, ut caput, *d. l.* 44. infert in locum suum. *d. l.* 6. §. 4. *l.* 5. §. 2. *eod.* *

56. Res sanctæ sunt, quæ ab hominum injuria defensæ, & sanctione * (Id est, pœnæ ordinatione;) * munitæ sunt; ut muri & portæ civitatum. *l.* 8. *&* 9. §. *proprie. & Inst. eod.* §. *sancta.*

[Res humani juris sunt, vel jure gentium communes, vel publicæ, vel universitatis, vel singulorum.]

57. Res jure gentium communes sunt, quarum usus omnibus hominibus patet; ut *aër*, *mare*, *littora. l.* 2. §. 1. *& Inst. eod. versu quod.* *&* §. 1.

58. Publicæ sunt, quæ unius populi sunt; * (Puta quoad dominium; non usum; Is enim est omnium communis. §. 2. *Inst. hic.*) * ut *flumina, & portus. l.* 4. §. 1. *& Inst. eod.* §. *flumina.*

59. Universitatis sunt, quæ sunt unius civitatis; *ut theatra, stadia. Inst. eod.* §. *universitatis.*

[Singulorum sunt, quæ sunt in patrimonio nostro, ex jure gentium, vel civili, earundem acquisito dominio. §. *singulorum Inst. h. t.*

Sunt verò res aliæ corporales, aliæ incorporales, *l.* 1. §. 1. *eod.*]

60. Corporalis res est, quæ sui natura tangi potest. *d. l.* 1. §. 1. *& Inst. de reb. corp.* §. 1.

* Seu, quæ naturaliter existit & sub aspectum oculorum sensumque tactus cadit: ut *fundus vestis, aurum, homo,* &c. *d. l.* 1. §. *quadam.* *

61. Incorporalis est, quæ sui natura tangi non potest; *d. l.* 1. §. 1. *& Inst. de reb. corp.* §. *incorporales.* * nec tradi, *l. servus.* 43. §. 1. *de acq.*

acq. rer. dom. nec possideri, *l.* 4. §. *si viam.* 27. *de usucap.* nec usucapi. *l. servitutes.* 14. *de servitut.* *

[Corporalium rerum aliæ sunt immobiles, aliæ mobiles.]

62. Immobilis est, quæ sine interitu locum mutare nequit; ut *ædes, fundus.*

63. Mobilis est, quæ à se, vel ab alio in alium locum transferri potest; ut *equus, bos, aurum, vestimentum.*

[Quæ per se in alium locum transferri possunt, res moventes propriè dicuntur, ut animalia. Quæ tamen interdum & rerum mobilium appellatione veniunt. *l.* 1. *pr. de rei vind.*

Item res alia est dividua, vel individua, idque vel omnino, vel partim.]

64. Omnino dividua est, quæ dividi potest tam in partes pro diviso, quàm pro indiviso; ut *centum, fundus.*

65. Partim dividua, partim individua est, quæ recipit partes pro indiviso, sed sine interitu non potest dividi in partes pro diviso; ut *homo, equus.*

66. Res omnino individua est, quæ nec pro diviso, nec pro indiviso partes recipit; ut *servitus. Infr. de servit. l. pro parte.* 11. *& l. via.* 1. 17. *& de verb. oblig. l.* 2. §. 1. *in princip.*

67. Pars pro indiviso est, quæ in jure & in intellectu spectatur inter eos quibus eadem res est communis.

68. Pars pro diviso est, quæ spectatur in corpore quod actu divisum est, & sensu percipitur. *Vide partem* 2. *num.* 42. *&* 43.

[Rursus corpora alia sunt certa, & species; alia incerta, & genus dicuntur.]

69. Genus, est quod multas species complectitur, ut *homo.*

70. Spe-

70. Species, est quæ uno corpore continetur, ut *Stichus*.

[Nota. Quod Iurisconsulti genus, id Logici speciem; quod Iurisconsulti speciem, id Logici individuum vocant.]

71. Substantia est, res per se consistens: ut, *homo*, *lapis*, *Aristot. Categor. c. 5.* vel essentia cujusque rei: *Infr. de contrah. empt. l. pacta conventa. 72. in princip.* vel res quæ sunt in nostro patrimonio. *Cod. de inoff. test. l. pen. vers. repletionem. & de liber. præter. l. 3. & de verb. sign. l. ult. & de bonis quæ lib. l. 6. vers. si quis itaque. & de quadriennii præscript. l. ult. vers. sed scimus.*

[Substantia pro οὐσία accipitur, *& in l. 9. §. inde quæritur. de cont. emt.* Ideò & ipsam materiam quâ corpus constat, significat. *l. 4. §. si ex lana. ff. de usucap.* Imò & pro ipso corpore, *l. 20. de cont. emt.* & aliis modis, ut in textû, accipitur.

Substantia est, vel animata, vel inanimata. Animata est, quam & res moventes dici jam meminimus.

Inanimata dividitur in fungibilem & non fungibilem.

Fungibilis substantia vel res dicitur, quæ consistit in numero, pondere, & mensura; ut *pecunia*, *frumentum*, *vinum*, *oleum*. Cæteræ substantiæ vel res dicuntur non fungibiles; ut *ager*, *flumen*.

Inter res corporales & incorporales ponuntur quantitates.

Inter res corporales dico. Nempe quæ res fungibiles, eædem & quantitates dicuntur.

Inter res corporales ponuntur, quatenus una alterius vice fungi potest in commerciis.

Inter res incorporales ponuntur, quatenus considerantur ut inhærent corpori. Sic pecunia est

est res incorporalis, quatenus non ipsa materia, sed valor attenditur; ut & pondus, mensura.]

72. Quantitas autem est res quæ pondere, numero vel mensura constat, ut *vinum*, *oleum*, *frumentum*, *pecunia numerata*.

* Est duplex, vel continua, vel discreta.

Continua est, cujus partes ad unum communem terminum copulantur: cujus species sunt linea, superficies, corpus.

Linea est, quam una tantum dimensione metimur, & à puncto perfluit. *l. lineam. ff. ad leg. Falcid.*

Superficies Iurisconsultis, non Logicis, *l. 1. de superf. leg. l. si fundum. §. qui fundum. de legat. 1. Alciat. in l. si fundi. de verbor. signif.* est omne quod supra faciem terræ est.

Corpus est, quod latitudine, longitudine, & profunditate, & altitudine, (secundum Iurisconsultos) metimur. *l. 1. vers. neque de via publ. & itin. privato.*

Est triplex, *l. rerum mixtura. de usucap.* Unum quod continetur uno spiritu, & Græce, φυσικὸν vocatur; ut *homo*, *lignum*, *lapis*, &c. Alterum quod ex continentibus, hoc est, ex pluribus inter se cohærentibus constat; quod τεχνικὸν appellatur; ut *ædificium*, *navis*, *armarium*. Tertium quod ex distantibus capitibus constat; ut corpora plura non soluta, sed uni nomini subjecta; veluti *populus*, *legio*, *grex*.

Quantitas discreta est, cujus particulæ ad nullum communem terminum conjunguntur. *

[Consideratur & res, seu substantia, secundum qualitatem.

Qualitates sunt, quæ speciem ex differentiis declarant. *text. sec. Zas. l. stipulationum. ff. de verb. obl.*

Sed

Sed vox qualitatis etiam variè accipitur. Sic Qualitas frumenti, olei, & nummorum pro ipso genere & specie dicitur. *l.* 21. §. *sed etsi notam. ff. qui test. fac. poss. l.* 58. §. 1. *de hered. instit. l.* 4. *de tritic. & vin. leg. l.* 75. *ff. de V. O.* Qualitatem & materiam pro eodem ponit *Vlp. l.* 14. *de contr. emt.* Qualitatem pro conditione, *in l. ob carmen. ff. de testib.*

Secundum aliam significationem Qualitas dicitur vel intrinseca, vel extrinseca.]

73. Qualitas interna, est cujusque rei bonitas, vel pravitas.

74. Qualitas extrinsecus inhærens, est rei æstimatio ab usu sumpta.

De Senatoribus.

Vide definit. 15. *&* 16.

[Senatus aut erat legitimus, qui statis diebus habebatur; vel indictus, qui ob negotia incidentia extra ordinem indicebatur. *Sueton. in Iulio. cap.* 80.]

* *De officio Consulis.*

Consules erant quibus exactis Regibus præcipua Romæ potestas & imperium, sed annuum, lege rogata erat datum. *l.* 2. §. 16. *de orig. jur.*

Erant alii ordinarii, qui Kalendis Ianuariis Magistratum inibant. *l.* 36. *de cond. & dem.* Alii suffecti, qui in locum deficientium substituebantur. *d. l.* 2. §. 16. *&* 17.

De officio Præfecti prætorio.

Præfectus prætorio, cohortibus prætoriis præerat, plenioremque habebat licentiam ad disciplinæ publicæ emendationem. *l. un. pr. hic.* *

De

De officio Assessorum.

75. ASsessor, seu Consiliarius est, qui jus dicenti assidet, juris suggerendi causa. *Arg. l. 2. infr. quod quisque juris.*

De Iurisdictione.

* IUrisdictio est, publica cognoscendi de causis civilibus vel criminalibus potestas: seu notio & definitio causarum, quam Magistratus ex ordinario officii sui jure atque munere habet, exercet & mandat. *Wes. hic.* *

76. Est & Iurisdictio, notio jure Magistratus competens, modicam coërcitionem adjunctam habens. *De off. ejus cui mand. jurisd. l. 1. & l. ult.* §. 1.

77. Mixtum imperium est modica illa coërcitio quæ nunquam à jurisdictione sejungitur. *d. l. ult.* §. 1.

* Hoc est, coërcitio cum Iurisdictione ita conjuncta, ut ab ea separari nequeat. *Govean. ad l. 3. num. 30. hic.* *

[Iurisdictio est, vel ordinaria, vel mandata, vel prorogata.]

78. Iurisdictio ordinaria est, quam Magistratus suo jure habet.

79. Iurisdictio mandata est, quæ ab ordinario Magistratu delegata est.

80. Iurisdictio prorogata est, quæ consensu litigantium, ad causas seu personas in quibus per se non obtinet, producta est.

*Præterea Iurisdictio vel est voluntaria, vel contentiosa.

Voluntaria est, quæ agentium consensu, apud eum qui Iurisdictioni præest, de plano exercetur.

Contentiosa, quæ in invitos, etiam vi imperii, de tribunali redditur. *

81. Me-

81. Merum imperium est, potestas animadvertendi in facinorosos homines. *l.* 3. *ff. hic.*

[Puta gladio, vel alia coërcitione.]

82. Album corruptum dicitur, cum generale prætoris edictum ablatum, vel quoquo modo corruptum est. *l.* 7. *ff. eod.*

Quod quisque juris in alium statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

[QUi Magistratum potestatemque habet, si quid in aliquem novi juris, dolo & cum effectu statuerit, ipse quandoque, adversario postulante, eodem uti debet. *t. t. ff. hic.*

Assessoris imperitia, qui novum jus suggessit, non jus dicenti, sed ipsi Assessori nocere debet. *l.* 1. §. *hæc autem. l.* 2. *ff. eod.*]

83. Ius novum est, quod à jus dicente nec secundum leges, nec secundum consuetudinem redditur.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

84. IUs dicenti non obtemperasse dicitur, qui per contumaciam id non fecit quod in jurisdictione extremum est, ultra quod non progreditur qui jus dicit. *l. unic.* §. 1. *hic.*

* Extremum est, quo non facto impeditur Iudex, ne possit ulterius progredi. *Ant. Fab. ad l. un.* §. 1. *hic. in rational.* *

De in jus vocando.

85. IN jus vocare, est ad eum qui jurisdictioni præest, juris experiundi causa vocare. *Gallicè, adjourner. l.* 1. *hic.*

* Vel est denuntiare adversario, ut se judicio sistat, ad eum qui jus dicit, juris, de re certa, cum eo experiundi causa. *

86. Ci-

86. Citatio proprie dicitur, cum voce præconis, *de in integr. rest. l. 7. Sueton. in Tiber. cap. 11. Quintil. lib. 6. cap. 5. Ascon. Verr. 3.* ipso rei cognoscendæ loco & tempore. *d. l. 7. Sueton. d. loco.* litigantes, *Quintil. d. loco.* appellantur.

* Citatio, est actus judicialis, *l. ult. C. hic.* quo is, quem judicio sisti opus est, *l. 47. de negot. gest.* mandato Iudicis, *l. ult. de 4 tib. reu.* in judicium vocatur, *l. 1. hic.* juris experiundi causa. *d. l. ult. d. l. 1.*

Est alia personalis seu realis, alia verbalis.

Realis est, quâ persona vel bona propter delictum, æs alienum, aut aliam justam causam apprehenduntur. *Auth. qua in provincia. C. de crim. l. 8. & Auth. qui semel. C. quom. & quando jud. l. 18. hic.*

Verbalis est, quæ fit verbo; hoc est, per literas, apparitorem, denuntiatorem. *t. t. hic. l. 68. cum seqq. de judic.*

Est vel privata, cum quis privatim ad domum citatur. *Ias. in l. plerique. n. 33. hic.* Vel publica, quæ publice fit, aut affixis citationis literis, aut per præconem aut campanam seu tubam.

Est & citatio alia simplex, alia peremptoria.

Illa est, quæ contumacem non constituit reum nisi tertio sit facta.

Hæc est, quæ constituit, si die præfinitâ non venerit. *l. 60. cum seq. D. eod.* *

[*Ne quis eum qui in jus vocabitur, vi eximat.*

Eximere, est quoquo modo facere quominus in jus vocatus veniat. *l. 4. pr. ff. h. t.*]

Qui

Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suæ promissioni committantur.

[SAtisdationes sunt tres. Satisdatio in specie dicta, juratoria cautio, & repromissio.]

87. Satisdatio, est cautio quæ fit datis fidejussoribus, vel pignoribus. *de pecun. constit. l. promissor.* 21. §. *ult.*

[Proprie tamen fit fidejussoribus: quæ tamen in hac cautione de judicio sisti non consideratur. *l. pretoriæ. ff. hic. Pác. Isagog. eod.*]

* Satisdare hic adversario nostro dicimur, cum pro eo quod à nobis petiit, ita cavemus, ut eum hoc nomine securum faciamus datis fidejussoribus. *l.* 1. *hic.* *

88. Iuratoria cautio, est promissio jurejurando confirmata.

89. Repromissio est, nuda cautio, id est, sine fidejussoribus, sine pignoribus, & sine jurejurando.

Si ex noxali causa agatur quemadmodum caveatur.

90. IN eadem causa sistere dicitur, qui ad experiendum non facit jus Actoris deterius. *l.* 1. *in princ. h. t.*

Si quis cautionibus in judicio sistendi caussa factis non obtemperaverit.

91. VAdimonium est, judicio sistendi causa facta promissio.

[Non sisti videtur non modò is qui vadimonium omnino deserit; sed etiam qui non in eadem caussa sistitur; ita ut Actori persecutio

cutio deteriore loco sit futura. *l. si quis. ff. h. t.*]

92. Vadimonium deserere dicitur qui ea die de qua convenit, se judicio non sistit.

De feriis, & dilationibus, & de diversis temporibus.

93. FEriæ sunt, vacationes à forensibus negotiis, *l. pen. h. t.* & civilibus judiciis. *l. 6. h. t.*

* Vel sunt, dies feriati, quibus jus non dicitur, nec sui potestatem Magistratus facit. *l. 5. hic.* *

[Sunt vel solennes, vel repentinæ.]

94. Feriæ solennes sunt, quæ ex ordine observantur; vel divini cultus causa; vel propter humanas necessitates; ut propter messes, aut vindemiam.

* Id est, Feriæ solennes, seu ordinariæ, quæ certo spatio quotannis recurrunt; sunt vel sacræ, vel honorariæ, vel necessariæ.

Sacræ sunt dies cultui divino dedicati. *l. 7. C. hic.*

Honorariæ sunt, dies, quæ celebrantur in honorem, sive Imperii, sive Principis. *d. l. 7. C. hic.*

Necessariæ sunt, quæ ad colligendos fructus autumnales, & fervores æstivos mitigandos, conceduntur. *l. 4. hic. d. l. 7.* *

95. Feriæ repentinæ sunt, quæ extra ordinem indicuntur; puta ob res prosperè gestas.

* Feriæ repentinæ, seu extraordinariæ, sunt, quæ subito pro re nata, à solo Imperatore (unde & Imperiales & Imperativæ appellatæ. *l. 4. C. hic.*) indicuntur; Idque vel in publica lætitia; ut partæ victoriæ. *l. 26. §. 7. ex quib. caus. major.* vel

in

in communi luctu; ut in tumultu, clade, funere Principis. *

96. Dilatio est, diei judicii diffusio ac prorogatio, *Si quis aut. l.* 2. §. *si quis judicio.* qua pendente cognitio sustinetur, *de judiciis. l. interdum.* 36. *in pr.* officium judicis conquiescit. *Cod. de dilationib. l.* 3.

[Est vel citatoria, quæ alias dilatoria secundum Doctores, & peremptoriis opponitur. *l.* 68. *cum seqq. ff. de judic. Wesemb. in par. h. t. n.* 10. vel peremptoria.]

97. Dilatio peremptoria est, post quam alia dilatio non datur, seu quæ non patitur adversarium tergiversari, quia judex comminatur se ex adversa parte cogniturum, & pronuntiaturum. *De judiciis. l. & tertium.* 70. *& sequent.*

[Dilatio rursus est alia conventionalis, alia judicialis, alia legalis.]

98. Dilatio conventionalis est, quæ fit ex consensu litigantium.

99. Iudicialis est, quæ à judice datur, * vel ad instantiam partis; *l.* 1. *l.* 4. *C. hic.* vel proprio motu; *Spec. de dilat.* §. 2. *n.* 6. ex bono & æquo; *Spec. d. loc. n.* 26. 27. sedente puta pro tribunali, utraque parte præsente, causa cognita. *l.* 4. *C. hic.* *

100. Legalis est, quæ à lege tribuitur; ut propter ferias.

101. Dies naturalis est, tempus quo sol est supra horizontem, vel tempus à solis ortu ad occasum. *Censorinus de die nat. Plin. lib.* 3. *cap.* 76.

102. Dies civilis est, spatium 24 horarum à media nocte ad sequentem mediam noctem, ita ut duabus dimidiatis noctibus & luce media constet. *l. more.* 8. *h. t.*

103. Tempus continuum est, quod continenter currit, & sine intermissione computatur.

104. Tempus utile est, quod ignoranti, vel quavis ratione impedito, non currit; seu è quo subducuntur dies, quibus id quod faciendum est, fieri nequit.

105. Tempus actionis judicati est, quod reo indulgetur ad id solvendum in quod est condemnatus; id est, ex constitutione Iustiniani menses quatuor. *Cod. de usur. rei judic. l. 2. & 3.*

106. Ex continenti, vel statim, vel illico fieri dicitur, quod infra triduum proximum fit. *Cod. de error. advoc. l. ult. & de grad. l. ult.*

107. Modicum tempus est, spatium 10 dierum. *Infr. de pecun. const. l. promissor. 21. §. 1.*

108. Longum tempus est, spatium 10 annorum inter præsentes; 20, inter absentes. *Cod. de præsc. long. temp. l. pen. & Inst. de usucap. vers. & cum hoc. in princ.*

109. Longissimum tempus est, spatium 30 vel 40 annorum.

110. Immemoriale tempus est, cujus initii memoria non extat. *De aqu. & aq. pluv. arcend. l. 2. §. idem ait cum quæritur.*

De Edendo.

* EDere est, apud judicem proferre, seu demonstrare, *l. 3. C. l. 1. §. 1. hic.* vel sui, *d. l. 1. §. 3.* vel adversarii causa. *l. 5. C. eod.* *

111. Editio est, probatio seu demonstratio. *l. 1. §. 1. ff. h. t. & Cod. eod. l. 3.* quam litigator sua, *d. l. 1. §. edenda.* vel adversarii causa, *Cod. eod. l. 5.* facit.

[Editur vel actio, *l. 1. pr. ff. hic.* vel instrumentum: *d. l. 1. §. edenda.*]

112. Editio actionis est, futuræ litis demonstratio, *d. l. 3.* ut is qui convenitur sciat utrum cedere, an contendere debeat, & si contendendum pu-

tet, veniat instructus cognita actione qua convenitur. *d. l. 1. in princ.*

* Actionis editio fit libello.

Qui est verborum conceptio brevis & aperta, futuræ litis speciem in judicio proponens. *Obrecht. de libello. cap. 2.* *

113. Editio instrumenti est, per quam rationes, vel aliæ scripturæ, in judicio proferuntur, ut fides veri constare possit. *Cod. eod. tit. l. 3. & l. 5.*

[Eduntur & rationes. *l. 4. l. 9. pr. ff. eod.*]

114. Ratio est, ultro citroque dandi, accipiendi, reddendi, obligandi, liberandi sui causa, negotiatio. *l. 6. §. rationem. ff. eod.*

[Edere (instrumenta puta, vel rationes) est dictare, vel tradere libellum, id est, exemplum, vel codicem, id est, authenticum proferre. *l. 6. §. edi autem. ff. eod.*]

De Pactis.

115. PActum, seu pactio est, duorum pluriumve in idem placitum consensus & conventio, *l. 1. §. & est pactio. h. t.* de re aliqua danda, vel facienda, *Cod. de nupt. l. sancimus si quis. 24.* in nomen proprium contractus non transiens. *l. 1. §. ult. l. 7. in princ. & §. 1. h. t.*

[Vel pactum est, conventio quæ placiti fine stetit, id est, quæ neque traditione, neque stipulatione sumsit effectum.

A contractu sic separatur, quod pactum neque nomen habet, neque caussam: contractus aut nomen habet, aut si nomine caret, certè causam habet.

Contractus est, conventio in qua subest caussa quæ actionem parit.

Est ultro citroque obligatio, quam Græci συνάλλαγμα vocant. *l. 19. §. 1. ff. de V. S.*

Pa-

Pactum eſt, vel publicum, vel privatum. Illud fœdus propriè dicitur.]

116. Fœdus eſt, pactum publicum quod ad bellum, aut ad pacem ſpectat. *l. 5. ff. hic.*

[Privatum pactum eſt, vel juris gentium, vel legitimum.]

117. Pactum legitimum eſt, quod lege confirmatur. *l. 6. hic.* [*Puta jure ſcripto.*]

118. Pactum juris gentium eſt, quod naturali æquitate conſiſtit, & jure tantum prætorio, non civili confirmatur. *l. 1. in princ. l. 7. §. ait prætor. ff. eod.*

[Pactum eſt, vel nudum, vel conventum, ſeu veſtitum vulgo.]

119. Pactum nudum eſt, quod per ſe conſiſtit, nec eſt pars contractus. *C. eod. t. l. legem.* 10. *& de pact. convent. l.* 1. Sed in alia ſignificatione omne pactum dicitur nudum quatenus caret cauſa; id eſt, vi producendæ civilis obligationis & actionis. *l. 7. §. ſed cum nulla. & §. ſequenti. ff. h. t.*

[Pactum conventum eſt, quod veſtitur cohærentia contractus, eique legem facit.]

120. Lex contractus eſt, pactum quod contractui ineſt, & eſt ejus pars, *d. l. legem. d. l.* 2. eodemque ſenſu ſæpe vocatur conditio. *Cod. eod. l. 7. & infr. de contr. empt. l. 6. §. ult.*

[Pactum eſt, vel * expreſſum, vel tacitum; * perſonale, vel in rem, vel mixtum.]

* Expreſſum, quod expreſſo verbis aut literis conſenſu conſtat. *l. 2. & paſſim. hic.* Id eſt, cum palam verbis declaratur paciſcentium voluntas: nec ſcriptura, ſi alio modo res probari poteſt, opus habet. *l. 7. C. eod. l. 4. c. de pignor.*

Tacitum, quod ex præſumpta contrahentium elicimus voluntate; *vide l.* 2. 3. 4. *l.* 32. §. *pen. l.* 30. §. 1. *l.* 53. *hic. l.* 2. *C. eod.* Vel: Cum conſenſus contrahen-

trahentium, tantum facto aliquo ostenditur & conjectura colligitur. *l.* 2. *l.* 28. *C. eod.* *

121. Pactum personale est, quod personas paciscentes non egreditur; veluti si pacifcar ne ego à te petam quod mihi debes. *l.* 7. §. *pactorum. l. idem.* 25. §. 1. *ff. h. t.*

122. Pactum in rem est, pactum generale quod certis personis non concluditur; ut *pactum ne petatur*: *d. l.* 1. §. *pactorum.*

123. Pactum mixtum est, quod ex altera parte est in rem: ex altera in personam: *veluti si paciscar ne ego petam, vel ne à te petatur. l. qui in futurum.* 57. §. 1. *ff. eod.*

* Est & pactum aliud judiciale, quod fit in judicio, & valet & efficax est ad agendum: vel extrajudiciale, quod non parit actionem. *Bald. ad l.* 40. §. 1. *ubi & Iaf. hic.* *

[Pactum rursus est, vel obligatorium, vel liberatorium, vel decisorium.]

124. Pactum obligatorium est, quod obligationem constituit, vel auget.

125. Pactum liberatorium est, quod obligationem infirmat, aut minuit.

126. Pactum decisorium est, quod transactionis causa fit de re dubia, vel controversa.

De Transactionibus.

* PActi species est Transactio. Quæ bivariam accipitur.

Uno modo, pro quolibet actu quo ab obligatione receditur, & quasi transitur. *l.* 1. §. 3. *ubi Iaf. de pact.*

Altero modo & quidem propriè pro ea compositione, qua res dubia litigiosa, partium consensu componitur. *l.* 1. *hic.*

Et sic, *

127. Trans-

127. Transactio est, rei dubiæ vel controversæ, *l. 1. cum seq. h. t.* decisio, *Cod. eod. l. 7. l. sub prætextu.* non gratuita. *Cod. eod. l. transactionem. 35. l. transactio.*

* Est vel generalis, vel specialis.

Generalis est, quæ controversiam juris alicujus universi, puta testamentariam, sopit.

Specialis est, quæ de re certa & singulari lite, nominatim fit, nec ad alia quam expressa porrigitur. *l. 3. l. pen. C. hic.*

Hæc vel nudo pacto; unde simplex dicitur; *l. 28. l. 7. C. eod.* vel per contractum innominatum fit; *l. 6. l. 33. C. eod.* vel stipulatione munitur. *d. l. 3. & ff. l. pen. & Dd. in l. 32. C. eod.* *

De postulando.

128. POstulare est, desiderium suum vel amici sui in jure apud eum qui jurisdictioni præest exponere, vel alterius desiderio contradicere. *l. 1. §. 1.*

* Postulari ergò propriè dicitur apud jus dicentem pro tribunali; *l. 4. §. hnc autem. De damno infect.* Interdum tamen, sed impropriè, apud judicem pedaneum *l. 1. §. removet. vers. Senatusconsulto. hic.* *

De his qui notantur infamia.

129. INfamia est, existimationis læsio. *C. eod. l. si furti. 8.*

* Seu læsæ dignitatis status legibus & moribus improbatus. *Bart. in l. 1. num. 1. hic. per l. pen. §. pen. De var. & extraord. cognit.* *

130. Existimatio est, dignitatis illæsæ status legibus ac moribus comprobatus. *De extraord. cognit. l. 6. §. 1.*

[Infamia propriè dicitur, quæ est juris; licet & alia facti dicatur.]

131. Infamia juris est, qua aliquis à jure notatur.

[Puta partim ex edicto prætoris. *l.* 1. *ff. h. t.* partim à jure civili, *sup. tit. prox. l.* 1. §. *ait prætor.* partim ex sententia judicis. *l.* 13. §. *ex compromisso. ff. h. t.*]

132. Infamia facti est, quæ jure non infamat, sed apud bonos & honestos viros pudorem onerat. *l. ob hæc.* 20. *ff. eod.*

De Procuratoribus & defensoribus.

133. PRocurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat. *l.* 1. *ff. h. t.*

[Est vel ad negotia, puta extrajudicialia; vel ad lites; *l.* 23. *pr. ff. eod.* In quibus procurator propriè actoris; rei, defensor dicitur. *l.* 8. *l.* 23. *ff. eod.*]

** Mandatum, hic, est conventio inter committentem negotium, & promittentem officium sive operam. §. 2. *Inst. de mand.*

Est, vel generale, vel speciale, vel cum libera.

Generale, omnium bonorum administrationem continet.

Speciale est, certi alicujus negotii.

Cum libera; cum datur potestas gerendi omnia perinde acsi ipsemet dominus præsto esset.

Hinc alius Procurator generalis, alius specialis, alius cum libera appellatur.

Est & Procurator in rem suam: qui alienum quidem negotium mandatu domini gerit, sed ad suum emolumentum. *l.* 33. §. *fin. hic.* *

134. Defensor propriè dicitur, qui sine mandato alium defendit.

135. Defendere est, id facere quod dominus in litem faceret, id est, satisdare judicatum solvi. *l. sed & hæ. 35. §. defendere. hic. & infr. judicat. solvi. l. recte. 63.*

[Aut eandem vicem, quam reus, subire. * *l. 35. §. litem. de negot. gest. l. tutori. C. eod.* *

Defensor est, aut necessarius, aut voluntarius.]

136. Defensor voluntarius est, qui sponte sua ad defendendum accedit, *Cod. eod. l. invitus. 17. & infr. de neg. gest. l. liberto. 31. §. litem. & Cod. eodem tutore. 20.*

137. Defensor necessarius est, qui nomine alieno agens, invicem convenitur ab eo contra quem agitur. Cogitur autem eum defendere cujus nomine. *l. servum. 33. §. ait prætor. & §. sequenti. h. t.* agit, alioquin actio ei denegatur. *l. mutus. 43. §. pœna. h. t.*

Quod cujusque universitatis nomine, vel contra eam agatur.

138. Corpus est quod vel uno spiritu continetur, ut homo; vel ex contingentibus & inter se cohærentibus partibus constat, ut ædes: vel ex distantibus uni nomini subjectis constat, ut populus, legio. *de usurp. & usucap. l. rerum mixtura. 30. in princ.* * *Vide supra de rerum divis. &c.* *

139. Universitas, seu collegium, est corpus ex distantibus capitibus. *Argumento l. in rem. 23. §. item quicunque. vers. actu in fin. de rei vind. & l. rerum. 30. in pr. infr. de usurp. & usucap.*

* Vel, universitas est, hominum in civili societate viventium communitas. *Ang. & Fab. in §. universitatis. Inst. de rer. divis.* *

140. Actor, seu syndicus est, qui res univer-

sitatis administrat, & ejus nomine agit vel convenitur. *l.* 2. §. 1. *ff. h. t.*

[Etiam defensor, & magister civitatis dictus. *l.* 1. §. *quibus. & passim. ff. eod.*]

* Ἔκδικος est, qui causas reipublicæ tractat criminales, & exigit mulctas ac pœnas universitati debitas. *Alciat. ad l.* 12. *C. de transact.*

Actor, est procurator specialis, qui ad unam tantum causam, vel plures, impedito forte Syndico, constituitur. *Gloss. in l.* 1. *verb. Syndicum. hic.*

Administrator Universitatis propriè dicitur, qui præest pecuniæ, aliaque negotia eò pertinentia tractat. *t. t. de adm. rer. ad civit. pert.*

Curator est, qui alia negotia civitatis extrajudicialia persequitur.

Subcurator, qui curatori substituitur. *l.* 30. *de negot. gest.*

Servus publicus dicitur, qui judiciis inservit: ut sunt scribæ publici, actuarii hodie dicti. *l. fin. & ibi Dd. hic.* *

141. Sodales sunt, qui sunt ejusdem collegii. *de colleg. & corporibus. l. ult. in princ.*

De negotiis gestis.

142. NEgotiorum gestor, seu falsus procurator, *ff. rat. rem hab. l.* 3. §. 1. & *Cod. de procurat. l. licet.* 24. est, qui aliena negotia sine mandato administrat, seu qui absentis & ignorantis negotia gerit. *Infr. de oblig. & act. l.* 5. *in princ. & Inst. de obl. quæ quasi ex contract.* §. 1.

* Vel, Negotiorum gestor est, qui sponte sua, non domini mandato (ut procurator), nec ratione sibi incumbentis officii (ut tutor & curator), aliena negotia administrat. *

143. Ne-

143. Negotiorum gestio, est quasi contractus, quo quis absentis & ignorantis negotia gerit. *dictis jurib.*

144. Negotiorum gestorum actio est, prætoria, *l.* 1. *&* *l.* 3. *hic.* personalis, *Cod. eod. l. adversus.* 8. ex quasi contractu, id est, ex negotio gesto. *Instit. de oblig. quæ quasi ex contract.* §. 1.

[Dividitur in directam, & utilem.]

145. Directa negotiorum gestorum actio datur ei, cujus interest hoc judicio experiri, *l.* 47. *in pr. hic.* id est, ei ad quem negotium spectat, contra eum qui gessit, *Inst. de obl. quæ quasi ex contract.* §. 1. ut rationem administrationis suæ reddat, *l.* 2. *hic.* & regulariter dolum, & latam, & levem culpam præstat. *l: si negotia.* 11. *& Cod. eod. l. tutori.* 20.

146. Contraria datur negotiorum gestori, *Inst. de oblig. quæ quasi ex contr.* §. 1. contra negotiorum dominum; *d.* §. 1. ut ab eo recipiat quod pro eo utiliter impendit; *l. si quis negotia.* 25. *h. t.* vel obligatione pro eo suscepta liberetur, ne suum officium sibi damnosum sit. *Infr. test. quemad. aper. l.* 7. *& de furt. l. si servus.* 61. §. *quod vero.*

De calumniatoribus.

147. Calumniator est, qui improbè & malitiosè de re aliqua contendit, *Cicero lib.* 2. *de rep. illis verbis optimas causas ingenii infamia ludificari licet.* vel qui mala fide litigat, *infr. de lib. causa. l. cui necessitas.* 39. §. 1. *& ad SC. Turpill. l.* 6. §. *ult. & de verb. signif. l. si calvitur.* 233. *& Inst. proœm. in prin.* vel qui falsa crimina sciens intendit, *infr. ad senatusc. Turpill. l.* 1. §. 1. vel qui pecuniam accipit, ut per ca-

lumniam alicui negotium faciat, vel ne calumniosa lite aliquem vexet. *Hac Rubr. & l. 1: in princ.*

148. Actio de calumniatoribus est prætoria. *l. pen. h. t.* in factum, *l. 1. in princ. h. t.* ei competens qui pecuniam dedit, ne sibi per calumniam negotium fieret; *l. 6. eod.* vel ei cui ut negotium fieret, pecuniam alius dedit, *l. 7. in princ.* adversus eum qui pecuniam accepit. *d. l. 1. in pr.* seu quodvis lucrum percepit, *d. l. 1. §. ult. l. 2. & l. 3. in princ. eod.* ut negotium faceret; vel ne faceret; *d. l. 3. §. 1.* ut ab eo intra annum utilem, *l. 6. eod.* quadruplum, vel post annum simplum, *d. l. 1. in princ.* aut ab herede quod ad eum inde pervenerit, *l. 5. in pr. eod.* recipiat.

De in integrum restitutionibus.

[Restituere est, in pristinum statum reducere. *§. restitui. ff. quod in loc. publ.*]

149. In integrum restitutio est, redintegrandæ rei vel causæ actio, *Paul. lib. 1. sent. tit. 7.* seu causæ, vel rei reparatio. *Isid. lib. 5. Etymol. c. 23.*

* In integrum ergo restitutio, hic, est remedium extraordinarium, quo Princeps vel Magistratus, deceptos, aut læsos, in eam causam, in qua ante deceptionem aut læsionem erant, justa de causa reducit ac reponit. *L. 1. 2. 3. 4. ff. hic.* *

Quod metus causa gestum erit.

[Restitutionis in integrum sex caussæ proponuntur in digestis, quarum prima est metus.]

150. Metus est, instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio. *l. 1. eod.*

[Ari-

[Aristoteli προσδοκία κακοῦ. id est, mali exspectatio. 3. *Ethicor. cap.* 4.]

* Est vel justus, vel injustus.

Iustus est majoris malitatis, *l.* 5. *hic.* qui in virum, *l.* 3. §. 1. *eod.* & mulierem constantem, *c. cum locum. ubi Gloss. de sponf.* cadere potest. *

151. Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest *l.* 2. *eod.*

152. Vis ablativa est, cum aliquis rem mobilem alteri invito & renitenti aufert.

153. Vis compulsiva est, qua quis dare vel facere compellitur quod citra vim & metum non daret, seu non faceret.

154. Vis expulsiva est, qua quis de prædii possessione expellitur.

155. Vim turbativam committit, qui alterum quiete possidere non patitur, possessionem sibi falso arrogans.

156. Vim inquietativam facit, qui alterum quiete possidere non patitur, nec tamen se possidere contendit.

157. Actio quod metus causa, datur ei, qui justum metum & vim compulsivam est passus; *l.* 3. *in pr. l.* 9. §. *penult. eod.* adversus eum qui metum intulit; vel ad quem res pervenit; *d. l.* 9. §. *ult. l. item si cum except.* §. *in hac act.* & §. *aliquando, vers. pen.* ut nisi rem arbitrio judicis restituat, in quadruplum damnetur, dummodo intra annum agatur, quia post annum est in simplum. *d. l. item si.* §. 1.

De dolo malo.

[SEcunda causa restitutionis in integrum est dolus malus.

Est enim dolus duplex, malus, vel bonus.]

158. Dolus malus (qui & dolus simpliciter vocatur) est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. *l.* 1. §. *dolum. ff. h. t.*

* Est alius velatus seu tectus; alius apertus.

Velatus est, qui dissimulatione perversaque decipiendi voluntate committitur.

Apertus, qui perspicuis fit insidiis aut vi aperta. *Gloss. in l.* 5. *C. de inutil. stipulat.* *

159. Dolus bonus est solertia juste adhibita; puta adversus hostes, aut latrones. *d. l.* 1. §. *non fuit.*

160. Actio de dolo ei, qui dolum passus est, adversus eum qui dolum commisit, à prætore datur, si nulla alia actio competat, & justa agendi causa videatur. *d. l.* 1. §.

[Si & dubitetur an alia actio competat, hæc actio competit. *l.* 7. §. 3. *eod.*]

De minoribus 25 annis.

[Tertia causa restitutionis in integrum est minorennitas.]

161. Minor 25 annis (qui & simpliciter minor, *l.* 1. *in princ. l.* 3. §. 1. *& alibi passim. hic.* & adolescens, *infr. rem pup. vel adol. salv. for. & Inst. de curat.* §. *item inviti.* vocatur) est qui nondum implevit annum ætatis suæ 25. *Cod. eod. l.* 5. licet pupillarem ætatem sit egressus, & fortasse ad extremam anni 25 diem pervenerit, non tamen ad horam qua natus est. *d. l.* 3. §. *minorem.* Alibi dies cœpta habetur pro impleta, ut in testamentis condendis. *Infr. qui test. fac. poss. l.* 5. Alibi annus inchoatus habetur pro completo, ut in honoribus consequendis. *Infr. de munerib. & honorib. l. ad temp.* 8.

[Gestum accipitur, qualitercunque gestum sit; id est, sive contractum sit, sive quid aliud contigit. *l.* 7. *hic.*]

De

De capite minutis.

[QUarta causa restitutionis in integrum est capitis deminutio.]

162. Capitis deminutio est prioris status permutatio. *l.* 1. *& Inst. eod. in princ. hic.* Status definitionem *vid. sup. defin.* 39.

163. Maxima capitis deminutio est, quæ libertatem, consequenter civitatem & familiam aufert. *l. ult. hic. & Inst. eod.* §. 1.

164. Media, seu minor capitis deminutio est, quæ civitatem & familiam adimit salvâ libertate: *d. l. ult. & Inst. eod.* § *minor.*

165. Minima capitis deminutio est, cum libertas & civitas retinentur, familia tantum mutatur: *d. l. ult. & Inst. eod.* §. *minima.*

Ex quibus causis majores 25 annis in integrum restituuntur.

[CAusæ ex quibus majores & contra majores prætor restituit in integrum, sunt, absentia, vincula, servitus, vel alia simili.]

* Absentia ea, vel est necessaria, vel probabilis. Necessaria est, justi metus, *l.* 3. *hic.* vinculorum, *l.* 9. *l.* 10. *hic.* reipublicæ; *l.* 4. *hic.* infirmitatis, *l.* 36. §. 1. *eod.* &c.

Probabilis; quæ reipublicæ utilis, ut studiorum; *l.* 28. *eod.* mercaturæ. *Baro ad d. l.* 28. *

166. Major 25 annis est, qui excessit annum 25. *Vide supr. defin.* 161.

167. Generalis clausula edicti est, quâ prætor generaliter (si qua, præter specialiter in edicto expressas, justa causa videatur), se restituturum pollicetur, nisi lex, vel plebiscitum, vel Senatusconsultum, vel Principis constitutio restitui

prohibeat. *l.* 1. *in fin. l. sed etsi.* 26. §. *ult. l. nec non.* 28. §. *quod ejus. ff. h. t.*

De alienatione judicii mutandi causa facta.

[SExta causa restitutionis in integrum est, alienatio judicii mutandi causa.]

168. Alienatio judicii mutandi causa facta dicitur, cum quis inter vivos, *l.* 3. §. 1. *l. ex hoc edicto.* 8. §. *sed ad heredem. hic.* rem, de qua lis futura est, *d. l. ex hoc edicto.* §. *eod.* (*id est cujus nomine acturus*, *l. penult. & ult. hic. vel conveniendus est. d. l.* 3. §. *ult. & Cod. eod. l. unic.*) dolo malo ad alium transfert, ut duriorem adversarium suo loco substituat. *l.* 1. *in pr. eod.*

169. Durior adversarius est, qui vel est potentior, vel alterius provinciæ, *l.* 1. *in fin. & l.* 3: *in princ. hic.* vel litigiosus & calumniosus. *l.* 2. *eod.*

170. Actio de eo quod judicii mutandi causa factum est, ei in cujus fraudem res aliena ta est, *d. l.* 1. *in princ.* contra eum qui alienavit, *d l.* 1. *in princ.* in id à prætore datur, quod agentis interest, non esse alienatam rem, seu non opponi sibi alium adversarium. *d. l.* 1. *in pr. & l.* 3. §. *pen.*

De receptis qui arbitrium receperunt ut sententiam dicant.

171. REcipere dicuntur, qui aliquid in se suscipiunt; ut arbitrium, vel custodiam.

* Arbitrium recepisse videtur, qui judicis partes suscepit, finemque se sua sententia controversiis impositurum pollicitus est. *l.* 13. §. 2. *hic.* *

[Arbi-

[Arbitrorum duo sunt genera; vel enim arbitri simpliciter, vel arbitratores dicuntur specialiter.]

172. Arbiter (qui est species judicis dati), bonæ fidei, vel arbitrario judicio præest. *Cod. de reb. cred. l. 6. & de sent. & interl. om. jud. l. cum Papinianus.* 14. *& de castr. pec. l. ult.* §. *ult. cum sequ.*

173. Arbiter (*quem arbitratorem vocant*) est qui æstimandi causa constituitur; veluti ut rationes examinet. *Cod. de distr. pign. l.* 1.

174. Arbiter judici subrogatus est, quem litigantes qui judicem suspectum habent, eligere coguntur. *Cod. de jud. l. ult.*

175. Arbiter compromissarius, qui controversiæ dirimendæ causa, *Cod. de jud. l. rem in novam.* 14. *in princ.* à partibus sua sponte in se ex compromisso consentientibus, *Cod. de evict. l. si dictum.* 56. §. 1. electus, hoc officium in se suscepit: *l.* 3. §. 1. *hic.*

176. Compromissum est contendentium invicem facta promissio, de pronuntiatione arbitri observanda, *Cod. eod. l.* 1. vel pœna nisi arbitrio pareatur, præstanda. *Cod. eod. l.* 5. *in princ.*

177. Plenum compromissum materialiter est, quod est de rebus & controversiis omnibus. *l. qui tamen.* 21. §. *plenum. ff. h. t.*

178. Plenum compromissum formaliter est, quod doli clausulam habet, id est, cum hi qui contendunt, dolum malum abesse absuturumque esse promittunt. *l. ita demum.* 31. *in fin. eod.*

179. Arbitrum sententiam dicere est, ea mente quid pronuntiare, ut secundum id partes discedere à tota controversia velit. *l. qualem.* 19. §. 1. *eod.*

Nauta,

Nauta, caupones, stabularii, ut recepta restituant.

[DE recepta custodia tenentur nautæ, caupones, stabularii.]

180. Nauta est, qui navem exercet. *l.* 1. §. *qui sunt. hic.* Unde is exercitor appellatur. *Instit. quod cum eo.* §. *eod.* Alibi nauta dicitur, qui navis navigandæ causa in navi est. *d. l.* 1. §. *qui sunt.*

181. Caupo est, qui cauponam exercet. *l.* 1. §. *caupones. hic.*

182. Stabularius dicitur, qui stabulum exercet. *d. l.* 1. §. *caupones.*

183. Actio de recepto à prætore datur vectori, seu viatori, adversus nautam compromittentibus, ut cogant arbitrum qui arbitrium recepit, sententiam dicere, nec non vel cauponem, vel stabularium ut recepta restituat. *supr. tit. prox. l.* 3. §. 1. *&* 2. *l.* 1. *in princ.*

[Nempe actio de recepto, ex arbitrio, datur iis, qui ad arbitrum iverunt; adversus eos qui arbitrum receperunt, ut sententiam dicant. *Rubr. tit. de recept. & l.* 3. §. 1. Ex recepta custodia, datur vectori, vel viatori, adversus nautam, cauponem, vel stabularium, ut recepta restituant; *Rubr. hic,* ut hujus tituli initio dictum.]

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Ex secunda parte Digestorum.

De Iudiciis, & ubi quisque agere, vel convenire debeat.

1. IUdicium est, juris disceptatio de re inter actorem & reum apud judicem controversa.

* Vel, Est legitima controversiæ judicialis, quæ est inter actorem & reum, apud judicem disceptatio & dijudicatio, ut publica auctoritate lites sopiantur. *l.* 1. *C. hic.*

Iudicis officium est, vel independens, vel dependens, vel generalissimum. *

2. Iudicis officium independens est, quod per se, & sine actione consistit; ut cum judex ex officio inquirit in facinorosos homines. Hoc Doctores officium nobile vocant.

3. Dependens est, quod actioni accedit & sine ea non consistit. Hoc Doctores mercenarium vocant. Sed Bartolus, *sup. de jurisd. l.* 1. *num.* 22. tunc mercenarium vocat, cum actionem juvat, & condemnationem auget; ut cum judex in judicio bonæ fidei reum propter moram in usuras condemnat, *infr. locati. l. quæro.* 54. *in pri. & Cod. de usur. l. in bona fidei.* 13. Quod enim actioni opponitur & condemnationem minuit, ipse adversarium nominat, veluti *cum reus conventus impensas deducit. inf. de hered. petit. l. plane.* 38.

4. Iudicis officium generalissimum est, quod in omnibus causis à judice servari debet; veluti ut secun-

ſecundum leges, aut mores judicet. *Inſtit. de off. jud. in princ.*

[Eſt vero, vel generale, vel ſpeciale.]

5. Generale eſt, quod ad judiciorum aliquod genus, ſub quo multæ ſpecies continentur, pertinet; veluti ut in judiciis bonæ fidei reum, qui moram fecit, in uſuras condemnet. *Infr. de uſur. l. in bona fidei.* 13.

6. Speciale eſt, quod ad aliquam judicii ſpeciem coarctatur; veluti cum agitur ad exhibendum, ut jubeat rem exhiberi in eadem cauſa. *Inſt. de off. jud. §. ſi ad exhibendum.*

[Iudex regulariter non poteſt jure civili recuſari, ad effectum in ſequente definitione propoſitum; Sed ex juſta ſuſpicione adjunctus ei dari. *Auth. ſi vero contigerit. C. de judic. Gail.* 1. *obſ.* 33. *n.* 1. Secus *jure Canonico. c. ſi quis contra alterum. de foro compet.* Secundum quod id variis ex cauſis fieri poteſt. Recenſet eas Philip. Franc. *in c. Paſtoralis. de appellat. Gail. ibid.*]

7. Iudicis recuſatio eſt, petitio, ut judex removeatur, ſive à judicando abſtineat, propter ſuſpicionem.

8. Iudicii antecedentia, ſeu præparatoria, ſunt quæ litem conteſtatam præcedunt; ut vocatio in jus, actionis editio.

9. Principium eſt, litis conteſtatio, *quam definiam parte* 8. *def.* 154.

10. Finis eſt, ſententia definitiva, *quam definiam part.* 6. *def.* 165.

11. Media ſunt, quæcunque inter litem conteſtatam & ſententiam definitivam ſunt interjecta; ut probationes, & interlocutiones. De quibus ſuis locis.

12. Conſequentia ſunt, quæ ſententiam definitivam ſequuntur; ut ſententiæ executio, & appellatio. De quibus dicetur ſuis locis.

[Iu-

[Iudiciorum divisiones sunt multæ.

Aliud ordinarium est, aliud extraordinarium; aliud ordinarium, aliud summarium.]

13. Iudicium ordinarium, quod opponitur extraordinario, est illud, in quo observantur solennes formulæ. *Arg. l. actio. 48. §. 1. sup. de negot. gest.* Sed hodie hæ solennitates sublatæ sunt. *Inst. de interdict. §. ult. & Cod. de formul. subl. l. 1.*

14. Iudicium ordinarium, quod opponitur summario, est illud, in quo judiciorum ordo servatur. *Clement. 2. de verb. signif.*

15. Extraordinarium judicium formaliter est, in quo solennitates non observantur. *supr. de neg. gest. l. actio. 47. §. 1.* Hac ratione omnia judicia sunt hodie extraordinaria. *Inst. de interd. §. ult.*

16. Iudicium effectu extraordinarium est, ex quo condemnatio fit extra ordinem arbitrio judicis. *Infr. de funer. l. ult. & de extraord. crim. l. penult. cum seq.*

17. Iudicium summarium est, in quo brevitatis causa judiciarius ordo negligitur. *d. Clem. 2. de verb. signif.*

[Est & judicium aliud seculare, aliud Ecclesiasticum.]

18. Iudicium seculare est, quod coram judice laïco, inter litigantes laïcos, de re seculari agitatur.

19. Iudicium Ecclesiasticum est, quod coram judice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra personam Ecclesiasticam (si quidem actor sequitur forum rei) aut de causa Ecclesiastica exercetur. *Cod. de jurisd. l. 2. & ubi in rem act. l. ult.*

[Item Iudicium aliud est simplex, aliud duplex.]

20. Iudicium simplex est, in quo alter litigantium

tium eſt actor, alter reus. *Arg. §. penult. Inſt. de interd.*

21. Duplex eſt; in quo uterque litigator eſt actor & reus. *Inf. de reg. jur. l. judicium communi.* 10.

[Item aliud civile, aliud criminale.]

22. Civile, ſeu forenſe eſt, cujus finis eſt pecuniæ conſecutio.

* Illud eſt, vel reale, vel perſonale, vel mixtum.

Reale aut petitorium, aut poſſeſſorium.

Petitorium aut univerſale, quo univerſum corpus multorum diverſorum jurium petitur: aut generale; in quo de uno quidem jure, ſed quod multas habeat ſpecies, agitur: aut particulare quo una tantum ſpecies vindicatur. *

23. Criminale eſt, cujus finis eſt vindicta.

[Item aliud publicum, aliud privatum.]

24. Publicum eſt, cujus perſecutio cuivis è populo conceditur. *Inſt. de publ. judic. §. 1. cum ſeq.*

25. Privatum eſt, quod ei ſoli competit cujus intereſt. *Infr. mandati. l. procuratorem.* 8. *§. mandati. & de l. Cornelia de falſ. l. Cornelia teſtamentaria.* 30. §. 1.

[Item aliud cognitionale, aliud monomeres.]

26. Cognitionale eſt, quod utraque parte præſente peragitur. *Cod. de legib. l. ult. in princ.*

27. Monomeres eſt, quod altera parte abſente peragitur. *Inf. ad ſenat. Treb. l. ult.*

[Item aliud primæ, aliud ſecundæ inſtantiæ.]

28. Iudicium primæ inſtantiæ eſt, quod coram primo judicio exercetur.

29. Iudicium ſecundæ inſtantiæ eſt, quod agitatur coram judice ad quem eſt appellatum.

30. Fo-

30. Forum est, exercendarum litium locus. *Extra de verb. sign. c. forus.* 10.

[Est duplex; competens, & incompetens.]

31. Forum competens est, ubi actor experiri, & reus conveniri debet. [*Cujac. par. C. de jur. omn. jud. & for. comp.*]

[Seu ordinaria jurisdictionis sedes. *Ext. de for. compet.*

Forum incompetens est, vetitum, incongruum, & alienum tribunal, cui reus conventus non est subjectus. *tot. tit. C. si a non compet.*]

De inofficioso testamento.

32. TEstamentum est, voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri velit. *infr. qui test. fac. poss. l.* 1.

[Infirmatur vel ipso jure, vel per sententiam judicis, vel jure prætorio per bonorum possessionem contra tabulas. Ipso jure, vel agnatione posthumi, vel posteriore testamento, vel testatoris capitis deminutione. Sententia judicis per querelam inofficiosi.

Est nempe testamentum vel officiosum, vel inofficiosum.

Officiosum testamentum est, quod ita factum est, ut in pietatis officium non incurrat; iis puta institutis heredibus, qui jure naturali ad successionem vocantur.]

33. Inofficiosum testamentum est, quod contra officium pietatis factum est, *l.* 2. *hic.* ea persona cui legitima quædam portio ex bonis defuncti debetur, immerito exheredata, vel prætertita. *l.* 3. *l.* 5. §. 1. *hic.* Cum præteritio pro exheredatione habeatur. *Inst. de exhered. liberor.* §. *ult.*

34. Que-

34. Querela inofficiosi testamenti est, imploratio officii judicis, ut testamentum, tanquam inofficiosum, per ejus sententiam rescindatur.

[In pietatem etiam committi potest in dote & donatione propter nuptias constituenda.]

35. Inofficiosa donatio, vel dos est, quæ supra modum est constituta inter vivos, in fraudem legitimæ, liberis, vel parentibus debitæ. *Cod. de inoff. donat. l.* 1. *& l. pen. & de inoff. dotib. l. unic.*

36. Querela inofficiosæ donationis, vel inofficiosæ dotis est, imploratio officii judicis, ut de immodica donatione, seu dote, tantum detrahatur, quantum legitimam liberis vel parentibus debitam conficiat. *Cod. de inoff. donat. l.* 2. *l.* 5. *l. pen. in princ. & de inoff. dot. l. unic.*

De hereditatis petitione.

[HEreditas accipitur vel pro successione in jus defuncti, per quam res hereditariæ acquiruntur; vel pro ipsis rebus hereditariis.

In priori significatione, nomen juris est, & etiam sine corpore juris intellectum habet. *l. pecunia. vers. hereditas. de verb. sign. l. hereditas. hic.*]

37. Definitur successio in universum jus quod defunctus habuit tempore mortis. *l. hereditas.* 61. *ff. de reg. jur. l. nihil.* 24. *de verb. signif.*

[In altera significatione definitur pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit, cum ei nec legata sit, nec possessione relicta. *Cicer. in Topic.*]

* Utra in significatione accipiatur, quoad hereditatis petitionem nihil refert: nam qui hereditatem petit, is & successionem sibi adjudicari,

cari, & consequenter res hereditarias sibi restitui petit. *

[Petitionis verbo plerumque actiones reales significantur. *d. l. pecunia. vers. petitio.*]

38. Petitio hereditatis datur heredi, *l.* 1. 2. 3. *hic.* adversus eum qui pro herede, vel pro possessore, possidet; *l. regulariter.* 9. *eod.* ut ab eo res hereditariæ, quas possidet, vel dolo malo fecit quominus possideret, *l. nec ullam.* 23. §. *pen. l. item veniunt.* 20. §. *præter. vers. item eos qui bona. eod.* sibi restituantur una cum præstationibus personalibus. *l. sed etsi.* 25. §. *petitio. eod.*

[Heres, secundum primam definitionem est, successor in universum jus quod defunctus tempore mortis habuit. *d. l. hereditas.* 61. Intellige eum qui ex jure civili heres est. Ei enim hæc petitio datur.]

39. Pro herede possidet, qui bona fide possidet, putans se esse heredem, vel bonorum possessorem. *l. pro herede.* 11. *eod.*

40. Pro possessore possidet, qui mala fide possidet, sciens se nec esse heredem, nec bonorum possessorem. *d. l. pro herede. in fin. & l. seq.*

Si pars hereditatis petatur.

[Petitur vel as, id est, tota hereditas; vel ejus pars.]

41. Pars est ex qua non sola, sed cum aliis totum constat: ut, *pars fundi, ædium, pecuniæ.*

42. Pars aliquota est, quæ aliquoties repetita, totum suum constituit; ut *semis, triens, quadrans,* sunt partes assis, quia semis bis acceptus, vel quadrans quater sumptus, assem conficiunt.

43. Pars aliquanta est, quæ aliquoties sumpta, non constituit suum totum, sed vel deficit, vel excedit; ut quincunx bis acceptus non per-

pervenit ad assem, sed facit decem uncias: ter acceptus superat assem, & facit quindecim uncias.

44. Partem pro indiviso definivi. *lib.* 1. *def.* 67. & partem pro diviso. *eod. def.* 68.

De possessoria hereditatis petitione.

[PEtitio hereditatis est, vel civilis, vel prætoria.

Illa datur ex jure civili heredibus; Hæc datur iis quos prætor ipse velut heredes, hoc est, bonorum possessores facit. *l.* 4. *hic.* & possessoria hereditatis petitio dicitur.]

45. Possessoria hereditatis petitio est, actio prætoria, qua bonorum possessor, ab eo qui bona pro herede, vel pro possessore possidet, tantum consequitur, quantum verus heres civili hereditatis possessione. *l.* 1. *&* 2. *h. t.*

De fideicommissaria hereditatis petitione.

46. FIdeicommissaria hereditatis petitio est, utilis petitio hereditatis, quæ à prætore datur fideicommissario universali, cui hereditas restituta fuit ex Senatusconsulto Trebelliano. *l.* 1. 2. 3. *h. t.*

De rei vindicatione.

[VIndicatio *(à vindicando & liberando de manu ac jure possessoris dicta. *Aul. Gell. lib.* 10. *noct. Attic.*) * vocatur omnis actio in rem. *l. actionum. de obl. & action.*

Est vel dominii rei corporalis, vel servitutis, de *qua infr. tit. si usufr. pet. & tit. si servit. vind.* vel possessionis, ut actio hypothecaria: *infr. de evict.*

evict. l. si cum venditor. 66. in pr. Dominii vindicatio hic propriè definitur, & quidem quæ vero domino datur.]

47. Rei vindicatio est, actio civilis, *Instit. de act.* §. *sed istæ.* qua dominus, *l. in rem.* 23. *in pr. hic.* speciem, *l.* 1. *eod.* seu corpus, *Inst. de act.* §. 1. vindicat, ab eo qui detinet ac restituendi facultatem habet, *l. officium.* 9. *hic.* petens se dominum declarari, *l. & ex diverso.* 35. §. 1. *eod. infr. si servit. vind. l. sicut.* 8. §. *sed si quæritur.* consequenter rem sibi ab eo restitui. *l. qui restituere.* 68. *hic.*

* Est duplex; directa & utilis. Directa; quæ datur soli & vero domino, qui jure gentium, vel civili dominium acquisivit, & tempore oblati libelli non modo, sed & litis contestatæ dominus est, aut post eam dominium acquisivit. *l.* 23. *pr. hic. l.* 23. *C. eod.*

Utilis, quæ datur utile, ut vocant, dominium modo habentibus. *l.* 1. *vers. si ager vect. pet. l.* 73. §. 1. *cum* §§§. *seqqq. hic.* *

De publiciana in rem actione.

[QVæ quasi domino datur rei vindicatio ex jure prætorio, est publiciana in rem actio.]

48. Actio publiciana est, vindicatio, *l.* 7. §. *in hac actione. hic.* prætoria, *l.* 1. *in princ. &* §. 1. *eod.* (à publicio prætore introducta. *Inst. de act.* §. *namque si minor.*) rei corporalis, *d. l.* 7. *& l. si ego.* 11. §. 1. *eod.* vel incorporalis, ei competens qui rem nondum usucepit, *l.* 1. *in princ. &* §. 1. *& Inst. de act. d.* §. *namq.* adversus quemcumque alium possessorem præter verum dominum. *d. l.* 7. §. *publiciana. l. pen. & ult. eod.*

Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius petatur.

[REi vindicatio non directis tantum, ut loquuntur, sed & utilibus dominis datur: hoc est, iis, qui prædium habent vectigale seu emphyteuticarium, vel modo superficiem.]

49. Prædium vectigale, seu emphyteuticarium est, cujus aliquis (qui vocatur emphyteuta) utile dominium habet, & pro eo certam pensionem, seu reditum, solvit domino directo, à quo in emphyteusim accepit.

*Emphyteusis est, contractus juris civilis, nominatus consensu constans, quo id agitur, ut prædii dominio directo retento; utile dominium transferatur in emphyteutam, hac lege, ut prædium reddat melius & cultius, & in recognitionem directi dominii, annuam pensionem solvat. *l.* 1. *&* 2. *hic.* §. 3. *Inst. de locat. cond. l.* 1. *&* 2. *C. de jure emphyt.*

Est duplex, vel ecclesiastica, vel secularis.

Ecclesiastica est, quæ à persona ecclesiastica in rebus ecclesiasticis:

Secularis est, quæ à persona seculari, in rebus profanis, sive publicis, sive privatis, constituitur.*

50. Emphyteutica vindicatio est, utilis vindicatio, quæ datur emphyteutæ.

*Imò datur ex hæc contractu condictio ex lege Zenonis; qua contractus hic nomen quidem accepit & formam, non tamen cautum quo actionis genere experiundum. *l.* 1. *C. eod. d.* §. *adeo.* Quo casu condictio ex lege datur, *l. un. de condict. ex lege.*

Ea datur domino directo, ejusque heredibus, adversus emphyteutam, ejusque heredes; ut restituat

ſtituat rem, cujus jus ob nón ſolutum canonem per biennium in emphyteuſi eccleſiaſtica, *Nov. 7. cap. 3. §. 2.* triennium in ſeculari, *l. 2. C. de jure emphyt.* amiſit; una cum eo quod domini interfuit rem non fuiſſe deterioratam, vel dolo & culpa emphyteuticarii nonnihil abeſſe. *

51. Superficies, vel ſuperficium eſt, quod ſolo inhæret, eique cedit; ut ædes & plantæ.

52. Superficiarius eſt, qui in alieno ſolo utile ſuperficiei dominium habet, ita ut certam penſionem domino directo præſtet. *ſup. de rei vind. l. in ſpeciali. 73. §. 1. & l. ſeq.*

53. Superficiaria vindicatio eſt, utilis rei vindicatio, quam prætor dat ſuperficiario, quaſi domino. *l. prætor. 75. de rei vind.*

De uſufructu.

[SErvitus vel eſt perſonalis, vel realis; Servitus perſonalis uſusfructus, uſus, habitatio.

Uſusfructus eſt duplex, vel proprius, vel improprius.]

54. Uſusfructus propriè dictus (quem vulgo formalem vocant, id eſt, à proprietate ſeparatum) eſt jus alienis rebus utendi fruendi, ſalva rerum ſubſtantia. *hic. l. 1. & Inſt. eod. in princ.*

55. Uſusfructus cauſalis (qui impropriè dicitur uſusfructus, id eſt, cum proprietate conjunctus) eſt jus utendi fruendi rebus ſuis.

[Nota. Proprie dictus uſusfructus eſt ex jure ſervitutis; Improprius ex jure dominii; cujus cum præcipuus uſus ſit in rei fruitione, pars ejus hic uſusfructus dicitur. *l. 4. ff. eod.*]

De usufructu accrescendo.

[ACquiritur usufructus proprius, seu formalis, vel constitutionis jure, ex conventione, stipulationibus, testamento; etiam, sed jure novo, præscriptione; vel siquidem pluribus est relictus, interdum & accrescendi jure.]

56. Accrescere usufructus dicitur, cum pars quam fructuarius amittit, ad confructuarium re & verbis, *hic. l.* 1. *in princ.* vel tantum re conjunctum, pertinet, *d. l.* 1. §. *interdum. c. l.* 3. *eod.* jure non decrescendi.

57. Re & verbis conjuncti sunt, quibus eadem res in eadem oratione relicta est: veluti, *usumfructum fundi Tusculani Titio & Mævio do, lego. inf. de verb. signif. lib. triplici.* 142. *& Instit. de legat.* §. *si eodem.*

58. Re tantum conjuncti sunt, quibus eadem res in diversis orationibus relicta est: veluti, *usumfructum fundi Tusculani Titio do, lego: Eundem usumfructum Seio do, lego. infr. de leg.* 3. *l.* 1. *conjuncti.* 86.

59. Verbis tantum conjuncti sunt, quibus partes ejusdem rei pro indiviso in eadem oratione relictæ sunt: veluti, *Titio & Seio usumfructum fundi Tusculani pro æquis partibus do, lego.*

60. Ius accrescendi propriè dictum est, cum testator partes fecit (*quod in his accidit qui tantum verbis conjuncti sunt*) & pars deficientis, alteri conjuncto, vel aliis conjunctis defertur.

61. Ius non decrescendi est, cum testator pluribus rem totam reliquit, adeò ut concursu partes faciant, & non concurrentis portio alteri conjuncto, vel aliis conjunctis, accrescat; id est, apud illum, vel illos maneat. *Quod accidit in re*

conjunctis, sive tantum re, sive etiam verbis conjuncti sint.

Quando dies legati ususfructus cedat.

62. Dies ususfructus legati cedit cum deberi incipit, *infr. de verb. signif. l. cedere diem.* 213. id est, ab adita hereditate, si purè legatus sit; *hic. l. unic. §. dies.* vel cum dies venit, *d. l. unic. §. dies.* seu conditio exstitit, *Cod. de caduc. toll. l. unic. §. fin aut aliquid.* si dies vel conditio, legato adscripta, post aditam hereditatem existat.

Quibus modis ususfructus vel usus amittitur.

63. Amitti ususfructus dicitur, vel usus, cum vel ad proprietatem redit, *Instit. de usufr. §. ult.* vel alteri accrescit. *sup. de usufr. accresc. l. 1. in princ.*

[Quod quibus modis fiat, vide latius apud Wesenb. *par. h. t.*]

De usufructu earum rerum quæ usu consumuntur vel minuuntur.

[Usufructus est, vel verus, vel quasi: verus ususfructus est, qui constitutus est iis, in rebus, quæ usu non consumuntur.]

64. Quasi ususfructus est, ususfructus legatus [vel alia ratione constitutus] earum rerum, quæ usu consumuntur vel minuuntur, *hic. l. 1.* ita ut legatarius [vel alius usufructuarius] ex Senatusconsulto satisdet cum morietur, vel capite minuetur, tantumdem vel æstimationem resti-

restitutum iri. *l. in stipulatione.* 9. *& l. seq. in princ. eod. & Inst. de usufr.* §. *constituitur.* In his autem rebus usus ab usufructu non differt, *l.* 7. *l. quoniam.* 10. §. 1. *hic.*

Si usufructus petatur vel ad alium pertinere negetur.

[SErvitutis (vel utiliter aliorum jurium) vindicatio duplex est, peculiare nomen utraque sortita; puta actio confessoria & negatoria.]

65. Actio confessoria est, civilis. *Inst. de act.* §. *sed ista.* vindicatio servitutis personalis vel prædialis, *Inst. eod.* §. *aeque.* [iis data qui servitutem alterutram sibi deberi contendunt.]

* Est duplex, vel directa, vel utilis.

Directa, datur domino servitutis; sive ejus personæ debeatur; sive ejus prædio urbano, yel rustico. *l.* 5. *pr. hic. l.* 2. §. 1. *si serv. vind.*

Utilis, quasi domino; ut emphyteutæ. *l.* 16. *de servit.* Vasallo, superficiario creditori jus in re habenti. *l.* 16. *l. provinciali.* §. *si ego. de oper. novi nunt. l.* 1. §. *ult. de superf.* *

66. Actio negatoria, seu negativa est, civilis, *Inst. de act.* §. *sed ista.* vindicatio libertatis. *Infr. si serv. vind. l.* 2. *in princ. & Inst. de act.* §. *aeque.* [data rerum, quarum servitus asseritur, dominis, earundem libertatem asserentibus.]

* Utiliter etiam quasi dominis. *l.* 2. *si serv. vind. l.* 4. *l.* 7. *l.* 6. §. 3. *eod.* *

De operis servorum.

[VSusfructus legato simile est legatum operarum; puta cum non servi usustructus, sed operæ legantur, sive artificiales, sive officiales.

67. Opera

67. Opera est, diurnum officium. *infr. de oper. liber. l.* 1.

68. Opera artificialis, seu fabrilis est, quæ in aliquo artificio consistit, ut pictorio, sutorio.

69. Opera officialis est, quæ in officio præstando consistit; ut in aliquo deducendo, ac domum reducendo.

De usu & habitatione.

[VSus, non minus quam ususfructus, in causalem & formalem distingui potest; ut causalis sit, qui est ex jure proprietatis rei propriæ. Formalis hic definitur.]

70. VSVS est, jus utendi rebus alienis, salva earum rerum substantia.

[Constituitur & amittitur iisdem modis, quibus ususfructus. *Inst. pr. hic.*]

71. Habitatio est, jus & facultas habitandi in ædibus alienis, * vel per se, vel per alium, salva substantia. §. *pen. Inst. eod.* *

[Idem fere effectu est, cum ædium usu. Habet tamen quo proprium jus constituit. *vid. Inst. hic.*]

Vsufructuarius quemadmodum caveat.

[ITa constituuntur ususfructus & usus, ut in utroque caveatur ab eo cui constituuntur, de utendo boni viri arbitratu, & de restituendo post eum finitum quod inde extabit.]

72. Satisdatio fructuaria est, satisdatio prætoria, *hic. l.* 1. *in princ.* qua fructuarius datis fidejussoribus, *Infr. de stip. prætor. l.* 7. cavet se usurum, fruiturum, boni viri arbitratu, & finito usufructu, restituturum quod inde extabit. *d. l.* 1. *in princ.*

 73. De

73. De satisdatione quasi fructuaria. *Vide supra definit.* 63.

74. Satisdatio usuaria est, satisdatio prætoria, *l.* 5. §. 1. *hic.* qua usuarius, datis fidejussoribus, *infr. de stip. præt. l.* 7. cavet se boni viri arbitrio usurum, & finito usu restituturum quod inde extabit.

De servitutibus.

[SErvitutes, quæ simpliciter dicuntur. *Rub. hic.* rerum seu prædiorum, reales, seu prædiales, vocantur, ut à personalibus jam explicatis distinguantur.]

75. Servitus [prædialis puta] est, jus quo prædium alieno prædio servit.

* Vel potius est, jus agendi habendive aliquid in prædio alieno ad sui prædii utilitatem, quod jure communi agere, habere non licet. *

76. Prædium est, res immobilis.

[Est vel urbanum, vel rusticum. Item vel dominans, vel serviens.]

77. Prædium urbanum est, omne ædificium habitandi causa extructum. *Inst. hoc tit.* §. 1. *& infr. communia præd. l.* 1. *& in quib. caus. pign. tacit. contr. l.* 4. §. 1. *& de verb. signif. l. urbana prædia.* 198.

78. Cetera omnia prædia rustica sunt, quæ tamen ædificiis juncta sunt, stabula, areæ, horti; non per se, sed jure accessionis quatenus domum sequuntur, urbanis prædiis connumerantur. *d. l.* 4. §. 1. *d. l. urbana prædia.*

79. Prædium dominans, seu superius est, cui servitus præstatur.

80. Prædium serviens, sive inferius est, quod servitutem præstat.

De

De servitutibus prædiorum urbanorum.

[SEcundum prædium dominans servitutes sunt vel urbanorum, vel rusticorum prædiorum.]

81. Servitus urbana, seu prædii urbani est, qua urbanum, vel rusticum prædium, urbano prædio servit.

* Præcipuæ sunt.

1. Ius altius tollendi, præter usitatum ædificandi morem. *l. 26. de except. rei jud.*

2. Altius non tollendi, cum vicino nostro, contra naturalem libertatem, imponimus necessitatem, ne ædes suas ultra præscriptam aliquam altitudinem extollat. *l. 8. C. de servit.*

3. Immittendorum luminum, quo ut vicinus lumina nostra excipiat, *l. 4. hic.* in parietem suum aut communem, *l. 40. eod.* nec obstruat, jus acquisitum.

4. Ne luminibus officiatur servitute, hoc adipiscimur, ne jus sit vicino altius ædificare & luminibus nostris, sive quæ nunc sunt, sive futuris, officere. *l. 23. hic.*

5. In servitute, Nè prospectui officiatur, *l. 3. eod.* id amplius est, ne quid objiciatur ad minuendum prospectum gratiorem & liberum. *l. 15. eod.*

6. Stillicidii, id est, aquæ, guttatim cadentis, avertendi; qua cui licet aquam ex alto cadentem à suo tecto, vel aream aversam, in tectum, vel aream vicini derivare. *l. 1. & 2. eod.*

7. Fluminis; id est, aquæ continuò fluentis, qua vicinus cogitur aquam pluvialem ex fundo nostro cum impetu fluentem, per canalem, vel alveum suum avertere. *l. 20. §. pen. eod.*

8. Tigni immittendi, qua licet domino ædium, cui ea debetur, ex ædibus illis tignum immittere in vicini parietem, ut in eo requiescat. *l.* 20. *eod.*

9. Protegendi, qua licet tectum suum supra alterius aream extendere.

10. Oneris ferendi, qua paries aut columna aliena onus nostrarum ædium ferre cogitur. *l.* 33. *eod. &c.* *

De servitutibus prædiorum rusticorum.

82. Servitus rustica, seu rustici prædii est, qua prædium rusticum, vel urbanum, rustico prædio servit.

[Præcipuæ sunt, iter, actus, via.]

83. Iter est, jus eundi, ambulandi hominis per fundum alienum. *l.* 1. *& Instit. de servit. in princ.*

84. Actus est, jus agendi jumentum vel vehiculum per alienum fundum. *dict. jurib.*

85. Via est, jus eundi, ambulandi, agendi per alienum fundum. *eod.*

* Sunt præterea; aquæductus, aquæhaustus, aquæ derivatio in fundum vicini; jus prohibendi ne quis in suo aquam quærat; jus navigandi per lacum habentem aquam perpetuam. *l.* 1. *in pr. l.* 29. *l.* 23. §. 1. *hic.*

Obscuriores servitutes sunt; pecoris pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. §. 2. *Inst. hic.* *

Si servitus vindicetur vel ad alium pertinere negetur.

86. Actionis confessoriæ definitionem *vide supr. num.* 64. Negatoriæ. *nu.* 65.

[Utri-

[Utrique enim generi servitutis utramque competere hanc actionem, ibidem notatum.]

Quemadmodum servitutes amittuntur.

87. Amittere servitutes dicitur, qui non tantum debitam, sed jam constitutam, perdit. *hic. l. si partem.* 19. *& supr. de servit. præd. rust. l. itinere.* 28.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

[Inter personales actiones, ad quas à realibus transit, Iurisconsultus eas primo explicat, quæ sunt de damno, & quatuor quidem.

Prima est de pauperie.]

88. Pauperies est, damnum sine injuria facientis datum. *hic. l.* 1. §. *ait prætor. & Inst. eod.* §. *pauperies.*

89. Actio si quadrupes pauperiem fecisse dicatur est, civilis, *l.* 1. *in princ. & Inst. eod. in princ.* personalis *(quia est ex facto)*, quæ ei cujus interest, *l.* 2. *in princ.* datur, contra dominum *(qui est dominus eo tempore quo agitur. d. l.* §. *& cum eis.)* quadrupedis *(si animal non quadrupes damnum dederit, hac actio non directa, sed utilis competit. l.*4. *eod.)*, quæ ingenita feritate contra naturam sui generis nocuit, *d. l.* 1. §. *itaq. &* §. *generaliter. & Instit. eod. in princ.* ut damni æstimationem solvat, aut quadrupedem noxæ dedat. *d. l.* 1. *in princ. &* §. *cum arietis.*

* Contra naturam sui generis movetur animal, quando excedit communem gregis & cohortis quasi suæ motum & indolem. *

Ad legem aquiliam.

[ALtera est actio legis aquiliæ.]

90. Lex aquilia est, plebiscitum, *l.* 1. §. 1. *h. t.* aquilio tribuno rogante factum, *Inst. eod.* §. *at nec plurimi* de damno per injuriam dato. *d. l.* 1. *in princ.* & *Inst. eod. in princip.*

91. Damnum (late sumpto vocabulo) est, quæcumque patrimonii diminutio. *Infr. de damno infect. l.* 3.

92. Damnum (angustè acceptum) est, corporis peremptio, aut deterioratio. *hic. l.* 1. *in princip. ita sumitur hoc loco. l. si servus servum.* 27. §. *si olivam.* & *Inst. eod.* §. *ult.*

93. Injuria fieri hoc loco dicitur, quod non jure, *l.* 5. §. 1. & *Inst. eod.* §. *injuria.* sed dolo aut culpa fit, *Inst. eodem.* §. *ac ne is.*

* Culpa est, cum quod diligenter provideri potuerat, non est provisum. *l.* 30. *hic.* Nam & in lege aquilia levissima culpa venit. *l.* 44. *eod.* *

94. Actio legis aquiliæ datur ei qui damnum per injuriam passus est, contra eum qui damnum dedit, *Inst. hoc.* §. *ult.* ut tantum solvat quanti plurimi fuit eo anno retrorsus computato servus vel quadrupes in pecudum numero existens * & gregatim pascens, *l.* 2. §. 2. *hic.* * occisus; *l.* 2. *in princ. l. ait lex.* 21. *in princ.* & *Inst. eod.* §. *his. a. verbis.* aut quanti eo mense retrorsus computato res fuit, si aliud damnum datum fuit, *l. si servus servum.* 27. §. *servi autem.* & *l. quemad.* 29. §. *ult.* & *Inst. eod.* §. *ex hoc.* & §. *seq.* & si quid præterea actoris intersit. *d. l. ait lex.* §. *ult.* & *l. seq.* & *Inst. eod.* §. *illud enim ex verb.* rei autem conventi inficiatione condemnatio duplatur. *l.* 2. §. 1. & *Inst. de act.* §. *vi autem.* & §. *sed furti.*

*Est

* Eſt vel directa ex verbis legis, cum datur domino; vel in factum civilis, ſeu utilis; cum datur quaſi domino, ut fructuario uſuario, *l. item Mela.* 11. §. *ult. l. ſed etſi.* 12. *hic.*

Datur & prætoria actio in factum ex æquitate, quando ex verbis & caſibus per legem expreſſis directa deficit. §. *ult. Inſt. hic.* *

De his qui dejecerint vel effuderint.

[Tertia eſt, actio in factum dejectis vel effuſis.]

95. Dejicere dicitur qui ſolida de ſuperiori loco in inferiorem locum projicit.

96. Effundere dicitur, qui liquida, aut liquefacta, ex ſuperiori, in inferiorem locum, demittit.

97. Actio de dejectis vel effuſis eſt, prætoria, *l.* 1. *in pr. &* §. 1. *hic.* in factum, *d. l.* 1. §. *hac in factum.* quæ damnum ob dejectionem, vel effuſionem, paſſo, in perpetuum, vel ſi homo liber occiſus, eive nocitum ſit, cuivis è populo intra annum, datur, *l.* 5. §. *hoc autem. eod.* adverſus eum ex cujus ædibus, in eum locum per quem vulgo iter fit, vel in quo conſiſtitur, dejectum vel effuſum eſt: ut ob hominem liberum occiſum 50 aureos perſolvat: aut ſi aliter homini libero nocitum ſit, tanti damnetur, quanti judici æquum videbitur: ob alia damna data duplum præſtet. *l.* 1. *in princ. & Inſt. de obl. quæ quaſi ex delict. naſc.* §. 1.

[Quarta de his quæ in ſuggrunda & protecto poſita ſunt.]

98. Actio de his quæ in ſuggrunda vel protecto poſita ſunt, eſt, prætoria, in factum, popularis, in decem aureos, contra eum competens, qui in ſuggrunda vel protecto, ſupra eum locum per

per quem vulgo iter fit, sive in quo consisti solet, id positum habet, quod si cadat alicui nocere solet. *l. 5. §. prætor ait. & §. sequenti. & §. ult. hic.*

99. Suggrunda, sunt tabulæ circa ædificium à summo extensæ, quæ tuentur ædes ab imbrium, nec non, si larignæ sint, ab ignis injuria. *Cujac. in parat. infr. de damn. infect.*

100. Protectum est, pars tecti eminens, quæ stillicidium arcet à pariete.

* Utilis actio datur, si neque in suggrunda, neque in protecto, sed in pergula aut simili loco, quid positum sit. *l. 5. §. pen. hic.* *

De noxalibus actionibus.

[PRæcedentibus specialibus noxalibus actionibus generalem subjicit titulum Iurisconsultus.]

101. Noxia est, privatum servi delictum. *D. de ædil. edicto. l. quid fugitivus.* 10. §. *noxales.*

102. Noxalis actio est, quæ ex noxia à servo commissa, *l.* 1. *hic*, aut pauperie à quadrupede facta, *sup. si quadr. paup. fec. dic. l.* 1. *in princ. & Inst. eod. in princ.* ei, in quem factum est, datur contra dominum, ut litis æstimationem solvat, aut servum, sive quadrupedem noxæ dedat. *l.* 1. *& Inst. eod. in princ.*

103. Noxæ deditio est, dominii, quod dedens in servo, aut quadrupede habet, ex noxali causa, in perpetuum translatio. Per quam noxalis actio extinguitur, & is cui deditur, corporis dediti dominus fit, servus autem deditus, si noxiam undecunque pecunia conquisita resarcierit, auxilio prætoris, etiam invito domino, ad libertatem pervenit. *Inst. eod. §. dominus.*

Finium

Finium regundorum.

[Sequuntur actiones mixtæ, quæ simul in rem sunt & in personam, * aut saltem aliquid reale, & aliquid personale in se habent: *vide l.* 1. *l.* 3. §. 3. *ff. ad exhib.* * & sunt tres. Finium regundorum. Familiæ erciscundæ. Communi dividundo. §. *quædam. Inst. de action.*]

104. Confines agri sunt, quorum fines iidem sunt.

105. Fines, sunt spatium quinque pedum, quod l. 12. Tab. & lege Manilia (seu Mamilia) purum à cultura relinqui debet, ut sine alterius incommodo illac iri, agri colendi causa, & aratrum circumduci possit. *Cicer. lib.* 1. *de legib. Iul. Frontin. & Aggen. de limit. jur. Isidor. lib.* 5. *Orig. cap.* 25. §. *fin.*

106. Actio finium regundorum, *l.* 1. *passim. h. t.* seu finalis quæstio, *l.* 4. *Cod. hoc tit. c.* XVI. *qu.* 3. seu limitis actio, *inter memoratos.* inter confinium agrorum dominos vel quasi dominos redditur, *l.* 4. §. *finium.* ut fines recte distinguantur, *l.* 2. *in princ.* & ob adjudicationem, alterutri factam aliamve justam causam, alter alteri in pecuniam damnetur. *d. l.* 2. §. 1. *& l.* 3. *& Instit. de off. judic.* §. *pen.*

Familiæ erciscundæ.

[Familia hic significat hereditatem. *l.* 2. *in pr. h. t.* id est, res hereditarias. *l.* 295. 1. *de V. S.* Ut quæ à judice dividantur; non verò ipsum jus successionis, quod inter heredes vel lex dividit, vel testamentum; ut nec actiones hereditariæ, sive activæ, sive passivæ, tanquam quæ inter eos divisæ sunt ex l. XII. Tab.

l. 2.

l. 2. *C. de hered. act. & l.* 1. *de except.* in hoc judicium veniunt nisi ut adjudicentur. *l.* 2. §. *ult. l.* 3. *h. t.*

Erciscere, vetustum verbum, significat dividere.]

107. Actio familiæ erciscundæ datur inter coheredes, *l.* 1. *in pr. & l.* 2. *in pr. hic.* vel eos qui coheredum loco habentur, ut bonorum possessores, *d. l.* 2. §. *si quarta.* de hereditate dividenda & præstationibus personalibus. *d. l.* 2. *in princ. l. item Labeo.* §. *penult. eod.*

[Nempe familiæ erciscundæ judicio res tantum hereditatis jure communes dividuntur; aliæ res singulares, quæ vel ex societate, vel extra eam ex alia causa sunt communes, judicio communi dividundo.]

* Familiæ erciscundæ actio est civilis, ex leg. XII Tab. descendens, *l.* 1. *in pr. hic.* mixta bonæfidei. *l. non est.* 9. *C. hic.* §. *actionum. Inst. de action.* universalis, qua coheredes inter se agunt, de erciscunda familia, seu dividendis rebus hereditariis, & de eo, quod alterum alteri præstare oportet. *d. l. non est.* 9.

Est duplex; directa, & utilis. *l.* 2. §. 1. *hic.*

Directa est, quæ invicem, *l.* 2. *l.* 3. *C. eod.* inter coheredes, & eos quibus hereditatis petitio competit, *l.* 3. *l.* 7. *C. eod.* datur.

Utilis, quæ ex sententia legis, inter bonorum possessores, fideicommissarios, reliquosque qui vicem heredum repræsentant, competit. *d. l.* 2. §. 1. *l. sed ejus.* 24. §. 1. *l. si ex asse.* 30. *hic.* *

De communi dividundo.

[Actio communi dividundo datur, inter eos quibus aliquid commune est, *l.* 6. §. 1. *h. t.*

de

de rei divisione & personalibus præstationibus. *l. in princ. & l.* 4. §. *sicut.*]

[Puta ex legati, donationis, aliave honesta caussa.]

* Iudicium communi dividundo est mixtum, quod datur iis inter quos res aliqua singularis ex causa societatis, vel alia quacunque, honesta tamen, est communis, ut res vel dividatur, vel quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, vel utrimque præstetur. *l.* 2. 3. 4. *hic.*

Est duplex, directum & utile. *l. communi.* 7. §. 1. *eod.*

Directum, quod ex verbis legis datur tantum inter dominos rerum corporalium, vere, tempore quo agitur, communium, *l.* 4. *p. l.* 6. §. 1. *eod.* vel inter omnes, vel certos ex his. *l.* 8. *l.* 29. *in fin. eod.*

Utile est, quod datur etiam inter quasi dominos; (ut emphyteutas, *l.* 7. *in pr. eod.* bonæfidei possessores. *l.* 6. *l.* 7. §. 2. *eod.* & missos in possessionem ejusdem rei. *d. l.* 7. §. 3.) aut dominos juris; (ut fructuarios, *d. l.* 7. §. 8. & 10. usuarios, *l.* 10. §. 1. *eod.* habentes servitutem prædialem. *l.* 19. §. *ult. eod.*) aut eos qui dominium alienarunt, ad præstationes personales. *d. l.* 6. §. *ult.* *

Ad exhibendum.

[AD exhibendum actio ex diversis causis competere potest. *l.* 3. §. 1. *hic.* Quia diversis de causis rem exhiberi nostra potest interesse. Potissimum tamen introducta est in eorum gratiam, qui vindicaturi sunt qualicunque in rem actione. *l.* 3. §. *autem. hic.*]

108. Exhibere est, facere in publico potestatem, ut ei qui agit, sit copia experiundi, *l.* 2. *h. t.* actio-

actione principali, in cujus gratiam exhiberi petitur; *l.* 3. §. *est a. eod.* vel rem in eadem causa præstare, in qua fuit, cum judicium (subaudi ad exhibendum) acciperetur, ut quis, copiam rei habens, possit eam persequi actione qua experiri destinavit, in nullo casu læsa. *l. Iulianus.* 9. §. *quantum. eod.*

109. Actio ad exhibendum, datur ei cujus peculiariter interest, *l.* 3. §. *si mecum. & l. pen.* rem mobilem exhiberi, *l.* 3. §. *item si optare. & §. sequenti. l.* 5. §. *idem Iulianus. & §§. seqq. & sup. de procurat. l. ad rem mobilem.* 56. contra eum qui eam rem tenet, *l.* 3. §. *ult. & l.* 4. & exhibendi facultatem habet: *l.* 5. §. vel dolo malo fecit quò minùs teneret, & exhibère posset: *d. l.* 5. §. *idem Iulianus. & Cod. eod. l.* 5. ut, nisi rem arbitrio judicis exhibeat, in id damnetur, quod actoris interest. *Inst. de off. jud.* §. *si ad exhibendum.*

De interrogationibus in jure faciendis, & interrogatoriis actionibus.

[ANcillantur etiam actionibus realibus; puta vindicationibus, & maxime petitioni hereditatis, actiones interrogatoriæ; concessæ olim à prætore, ut in rem agere volens adversarium suâ confessione constringens, certam ex ea impetrare posset actionem.]

110. In jure hic propriè est, apud jus dicentem: *sup. de just. & jur. l. pen.* Sed hic latius sumitur; sive apud jus dicentem, sive apud judicem pedaneum, *l.* 4. §. 1. *hic.*

111. Ius dicit Magistratus, vel is cui à Magistratu jurisdictio mandata est. *Vid. sup. lib.* 2. *tit.* 1.

112. Iudex pedaneus, *sup. de postul. l.* 1. §. *remo-*

removet. & *Cod. de pedan. jud. l.* 5. seu datus, *sup. de judic. l. judex datus.* 46. & *de re judic. l. à divo Pio.* 15. *in princ.* & *judic. solu. l. penult.* seu delegatus, *Cod. de judic. l.* 5. *l. properandum.* 13. §. 1. *l. apertissimi.* 16. seu judex specialis, *sup. de off. præsid. l.* 5. & *Cod. de judic. l. cum specialis.* 18. seu cognitor. *Cod. qui pro sua jurisd. dare poss. l. unic.* seu disceptator, *Cod. de pedan. judicib. l.* 3. seu arbiter, *Cod. eod. l.* 2. & *Nov.* 82. est, qui tantum de plano, *quia non habet tribunal.* de levioribus causis judicat, *Cod. de pedan. judicib. l.* 5. *id est, usque ad trecentos aureos. Nov.* 82. *cap.* 5. nullam coërcitionem habens. *d. l. à divo Pio.*

* Judex Pedaneus (sic dictus quod judicaret sedens ex imo loco ac humum pedibus calcans: non, ut Magistratus sublimis in sella pro tribunali) erat qui tantum judicandi, non jus dicendi facultatem habebat.

Tribunal erat locus sublimis & editus, quo per gradus conscendebatur capax admodum & spatiosus, paululum curvatus, ut conciperet quasi in circuitu adstantes. *Ravard. pro tribunal. cap.* 7. *Pollet.* 1. *histor. fori. c.* 6. *Petr. Greg. de Republ. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 11.*

113. Interrogatoria actio est, quæ ex interrogatione [puta in jure facta] & responsione [secuta, vel contumaciter non secuta] nascitur: Sed hodie non est in usu. *l.* 1. §. 1. *h. t.*

[Quia nemo cogitur ante judicium cœptum de suo jure respondere. Sæpe hodie, lite contestata, interrogationibus, seu, ut loquuntur, positionibus, probationis tantum causa utimur, ut adversarius sua confessione teneatur.]

De

De servo corrupto.

114. SErvus corruptus dicitur, qui ex bono malus, vel ex malo deterior factus est. *l.* 1. §. *sed utrum. hic.*

115. Actio servi corrupti, datur servi illius domino, * directa puta: utilis & usufructuario. *l.* 3. §. 1. *eod.* creditori qui servum pignori habet, *l.* 14. §. 4. *eod.* eorumque heredibus; *l. sed & heres.* 8. *eod.* * contra extraneum, qui servum illum dolo malo recepit, vel corrupit, *l.* 1. *in princ.* §. *pen. & ult. l.* 5. *in princ. h. t.* * vel corrumpere tentavit, licet non effecit; *l. si quis servo.* 20. *C. eod.* * ut duplum præstet quanti ea res est. *d. l.* 1. *in princ. d. l. si quis servum.* 9. §. *penult. hic.*

[De filio; vel filiafamilias corruptis actio utilis est, non directa. *l.* 14. §. 3. *eod.*]

De fugitivis.

116. FUgitivus, si latè accipiatur, complectitur etiam erronem, *l.* 1. §. *fugitivum. h. t.* Sed propriè loquendo, fugitivus est, qui extra domini domum fugæ causa, quò se à domino celaret, mansit, *infr. de Ædil. edict. l. quid sit fugitivus.* 17. *in princ.* seu qui ea mente discedit, ne ad dominum redeat, *ead. l.* 17. §. 1. seu qui certo proposito dominum relinquit. *l.* 17. §. *Cassius.*

[Sane hoc loco appellatione fugitivi erro continetur. *d. l.* 1. §. *fugitivum.*]

117. Erro est, qui frequenter & sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius domum redit. *d. l. quid sit fugitivus.* 17.

[Qui

[Qui servum fugitivum celavit, furti tenetur. *l.* 1. *in pr. h. t.* Unde in eum merito actio ex Senatusconsulto prodita est, *d. l.* 1. præter alias adversus hujusmodi receptatores & occultatores proditas. *l.* 3. 4. 5. *ff. ad l. Flav. de plag. l. quicunque. & tot. tit. C. de serv. fugit.*]

De aleatoribus.

118. ALeator est, qui alea ludit.

119. Alea est, ludus cujus eventus à fortuna pendet; ut chartis, vel talis.

[Prohibitum verò hic domum ludentibus præstare, vel ad lusum compellere. Quâ pœnâ, videatur Edictum.]

* Isti pœnæ non subjacet ludus qui virtutis causa fit. *l.* 1. *C. l.* 3. *hic.*

Ejus quinque sunt species: nempe μονόβολον; id est, saltus singularis; κοντομονόβολον, id est, saltus conto suffultus; κονταινὸς, κόνταχα χωρὶς τῆς πόρπης, id est, jaculatio hastæ, pili, vel conti, sine cuspide; πυγμὴ, id est, lucta: ἱππικὴ, id est, equorum cursus. *l.* 1. 2. *C. hic. Balsam. tit.* 3. *Nomocant.* 23. *

Si mensor falsum modum dixerit.

120. MEnsor est, qui rerum metiendarum artem profitetur.

121. Modus est, rei quam metiri possumus mensura.

122. Actio in mensorem qui falsum modum dolo malo renuntiavit, in factum à prætore datur, *l.* 1. in id quod actoris interest. *l.* 3. §. 1. Similis actio, * sed utilis, * competit adversus architectum, vel redemptorem, qui in mensura fefellit. *l. ult.* §. *pen.* & adversus tabularium

rium, qui in computatione fefellit.] *d. l. ult.* §. *ult.*

De religiosis & sumptibus funerum, & ut funus ducere liceat.

123. LOcus purus est, qui neque sacer, neque sanctus est, neque religiosus. *l.2.* §. *purus. hic.*

Res sacræ definitæ sunt sup. *lib.* 1. *def.* 54. Res sanctæ. *eod. lib. definit.* 56.

124. Sepulchrum est, locus religiosus, *quem definivi. lib.* 1. *defin.* 55.

125. Monumentum est, quod memoriæ servandæ gratia existit: *l.* 2. §. *monumentum.* vel res memoriæ causa in posterum prodita. *l. monumentum.* 42.

126. Cœnotaphium est, sepulchrum honorarium, *Sueton. in Claud. cap.* 1. seu tumulus inanis, *Virg.* 3. *Æneid.* seu monumentum memoriæ causa factum, in quod non est mortuus illatus. *d. l. monumentum.*

127. Sumptus funeris causa factus est, qui ideò fit ut funus ducatur, sine quo funus duci non potuit. *l. & signis.* 14. §. *funeris. &* §. *seq. & l. funeris.* 37. *in princ.*

128. Actio funeraria à prætore datur, *l. si quis sepulchr.* 12. §. *prætor ait.* ei qui funus fecit, *d. l. si quis.* §. *hoc edictum.* adversus eos ad quos funus pertinet, *d. l. si quis.* §. *prætor ait. &* §. *ult.* ut ab eis recipiat quod in funus impendit, *d. l. si quis* §. *prætor ait.*

* Utiliter competit pupillo sine tutoris auctoritate funeranti: *Oldend. class.* 5. *action.* 17. possessori hereditatis, qui victus, funeris impensas in restitutione non deduxit: *l. & si quis.* 14. §. 11. *l. possessor.* 32. *in pr. hic.* ei, cui vestimenta legata, in funus erogata sunt. *l. ult. eod.* *

De mortuo inferendo, & sepulchro ædificando.

129. INterdictum de mortuo inferendo est prohibitorium, *l.* 1. §. *hoc interdictum. hic.* ne ei qui per locum suum, *d. l.* 1. §. *hoc interdicto.* vel sibi hanc servitutem debentem, *d. l.* 1. §. *item si mihi.* mortuum infert in locum, in quem inferendi jus habet, *d. l.* 1. *in princ.* vis fiat, quominus inferre liceat. *d. l.* 1. *in princ. & supr. tit. prox. l. liberum.* 9.

130. Inferre mortuum prohibet, qui vel in locum inferre vetat, vel itinere arcet. *d. l.* 1. §. 1.

131. Actio in factum perpetua ei qui mortuum quo jus erat inferre prohibitus, alio inferre coactus est, adversus eum qui prohibuit, in id datur quod actoris interest. *sup. tit. prox. l. liberum.* 9.

132. Interdictum de sepulchro ædificando est, prohibitorium, ne ei qui jus ædificandi sepulchri habet, vis fiat, quominus ædificet. *l.* 1. *prætor ait. h. t.*

133. Ædificare dicitur, qui novum opus molitur, aut vult vetus reficere, *l.* 1. §. *pen.* aut inchoatum perficere. *ult. in princ.*

LIBER TERTIUS.

Ex tertia parte Digestorum.

De rebus creditis, si certum petatur, & de condictione.

1. Res credita dicitur, quocunque contractus genere aliquis alienam fidem sequatur. *l. 1. h. t.*

2. Actio si certum petatur. *Inf. de tritic. act. l. 1. in princ.* seu certi condictio, est actio civilis personalis, *l. certi condict. 9.* quæ datur ad certam rem, ex certo vel incerto contractu, aliave quavis causa debitam petendam.

[Equidem non omnis condictio est certi; sed alia est certi, alia incerti; quatenus alia rem certam, alia incertam persequitur.]

3. Certum est, quod apparet quid, quale, & quantum sit, *l. 6. infr. de verb. oblig. l. stipulationum. 74. §. 1.*

4. Incertum est, in quo ea tria non apparent, id est, quid, quale, & quantum sit. *Infr. de verb. obl. l. ubi. 175. in princ.*

[Itaque res certa est, vel corpus, seu species, ut Stichus; vel quantitas, ut vini Campani amphoræ centum. Res incerta aut est genus, ut homo; aut quantitas, ut vinum, & id quod interest; aut res incorporalis; ut quæ omnes incerti condictione petantur. *Pac. Isagog. hic.*]

5. Certus contractus est, cujus genus certum est; ut mutuum, commodatum, emptio, locatio.

6. Incertus contractus est, de quo dubitatur ad

ad quod genus referri debeat; ut cum res æstimata vendenda datur hac lege, ut eadem res, vel æstimatio reddatur. *infr. de æstimat. l.* 1.

[Certi condictio datur quidem ex omni causa & obligatione ex qua certum debetur; hoc tamen titulo maxime ea quæ est ex mutuo spectatur. Ex quo certi condictio ideò semper datur, quia quod mutuo datur, semper est certum.]

7. Mutuum est, contractus, [re constans,] quo pecunia numerando, vel metiendo, vel appendendo datur, ut statuto tempore tantumdem ex eodem genere reddatur. *l.* 2. *&* 3. *& infr. de obl. & act. l.* 1. §. *re contrahitur. & Inst. quibus mod. re contr. obl. in princ.*

8. Pecunia, hoc loco est, quidquid numero, mensura, vel pondere constat. *d. l.* 2. §. *creditum. Alibi aliter accipitur.*

9. Dare est, dominium transferre. *Instit. de act.* §. *sic itaque.*

10. Actio ex mutuo est, certi condictio, *Inst. quib. mod. re contr. obl. in princ.* ei competens, cujus nomine mutuum datum est, *l.* 2 §. *pen. & l. certi.* 9. §. *penult. & infr. de verb. ob. l. si ita stipulatus.* 126. §. *Chrysogonus.* adversus eum qui mutuatus est, *Cod. si certum pet. l. eum qui.* 13. ut quantum accepit, tantumdem reddat, ex eodem genere, & eadem bonitate. *l.* 2. *in princ. & infr. de obl. & act. l.* 1. §. *re contrahitur. & instit. quibus modis re contr. obl. in princ.*

De jurejurando sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.

[Sunt causæ ex quibus modò certum, modò incertum petitur; & proinde modò certi, modò incerti condictione agitur. Prima est jusjurandum; ut quo modò certum asseritur deberi,

modò incertum. Item quæ sequuntur condictiones usque ad titulum commodati, & contra.]

11. Iusjurandum est, divini numinis assumptio, ad id quod asseritur confirmandum. *Auctor Rhetor. ad Heren. cap.* 18.

* Vel est invocatio Dei, qua petimus, ut sit testis nostræ asseverationis; *Cicero lib.* 3. *offic.* & puniat fallentes. *

[Est vel simplex invocatio, vel imprecatio.]

12. Imprecatio est, divinæ vindictæ petitio, si assertio falsa sit: veluti, *Puniat me Deus, si mentior.*

[Iurisjurandi species, quod ad remedium expediendarum litium attinet, ut inscriptio indicat, sunt tres, voluntarium, necessarium, judiciale.]

13. Iusjurandum voluntarium est, quod ex conventione partium, extra judicium præstatur.

14. Necessarium est, quod lege jubente præstatur; ut calumniæ, vel fidelitatis.

* Imo jusjurandum necessarium est, quod inopia probationum, causâ cognitâ, judex litigatori imponit. *l. admonendi.* 31. *hic.* *

15. Iudiciale, est quod in judicio defertur, *sic accipitur in hac rubr.* vel à judice præstatur. *Cod. de judic. l. rem non novam.* 14. *vers. & hoc.*

* Imo judiciale est, quod in judicio (unde judiciale, licet & ipsum sit voluntarium, dictum.) pars parti, judice approbante, defert. *l. generaliter.* 12. §. 1. *C. hic. l. sed si servus.* 25. *l. qui jurasse.* 26. *ff. eod.* *

[Sed & sunt tot juramentorum genera, quot sunt ea de quibus juratur; Vt veritatis, vel credulitatis. * Malitiæ, testimonii, purgationis. * Item obligatorium, confirmatorium, probatorium, suppletorium, decisorium, liberatorium.]

16. Iusjurandum veritatis est, cum quis jurat

rem

rem ita se habere, ut ipse jurat, puta, *rem suam esse. l. nam posteaqu. 9. §. ult. h. t.*

17. Iusjurandum credulitatis (ut Doctores loquuntur) est, cum quis jurat se aliquid credere; puta *se bona fide litigare, quia putat se justam habere litigandi causam. Inst. de pœn. tem. litig. §.1.* * Appellatur juramentum calumniæ.

Iuramentum malitiæ est, quod, quando aliquid malitiosè propositum præsumitur. Præstatur tam ante, quam post litem contestatam, in quacunque parte judicii, ex officio judicis delatum. *c. cum dilectus. §. nos verò. Ext. de elect.*

Iuramentum testimonii est, quod testibus injungitur priusquam ad dicendum testimonium admittantur. *l. 9. C. de testib. c. testimonium. Ext. eod.*

Purgationis juramentum est, quo reus, alioqui ab actore non convictus, purgandi sui causa jurat, rem ita se habere ut dicit. *Novel. 72. c. 3. Nov. 124. cap. 2. Auth. novo jure. C. de pœn. jud. male jud.* *

18. Iusjurandum obligatorium est, quod obligationem parit, vel auget: *ut cum aliquis jurat se aliquid daturum, vel facturum.*

19. Confirmatorium est, quod ad confirmandam obligationem, & actionem ex alia causa ortam adhibetur: ut cum quis jurat se fidem contractus servaturum, *C. si adv. vend. Auth. sacramenta.* vel se esse majorem 25 annis dum contrahit. *Cod. si min. se ma. dix. l. 3.*

20. Probatorium est, quod rei dubiæ probandæ causa interponitur. Hujus species sunt, suppletorium, & decisorium.

21. Suppletorium appellatur, quod defertur ad supplendam semiplenam probationem.

22. Decisorium est, quod judex defert, ut secundum illud sententiam proferat.

23. Liberatorium est, quod obligationem, & actio-

actionem inefficacem reddit: ut cum quis jurat se non debere, *l.* 3. *& l.* 9. *in princ.* vel jurejurando transactionem firmat. *Cod. de transact. l. si quis major.* 40.

24. Extrajudiciale, quod extra judicium præstatur.

[Item est vel forme, vel informe.]

25. Forme est, in quo dominium, vel obligationis causa exprimitur: veluti, *Iuro rem meam esse, Iuro decem mihi deberi ex mutuo.*

26. Informe est, in quo nec dominium, nec obligationis causa exprimitur; veluti, *Iuro te mihi debere centum.*

27. Iusjurandum defert, qui jurisjurandi conditionem offert. *l.* 3. *in princ. l. jusjurandum, & ad pecunias.* 34. §. *datur.*

28. Refert, qui invicem defert ei, à quo sibi delatum fuit. *d.* §. *datur. & Cod. de reb. credit. l. penult.* §. 1.

29. Dat seu præstat, is qui jurat. *l.* 5. §. *dato. l.* 9. §. 1.

30. Revocat, qui à delatione per pœnitentiam discedit. *Cod. de reb. credit. l. si quis jusjur.* 11.

31. Remittit, qui jurare parato gratiam facit, contentus voluntate suscepti jurisjurandi. *l.* 6. *hic.*

32. Recusat, qui jurare non vult. *Cod. de reb. credit. l. penult.*

[Ex jurejurando datur vel actio, vel exceptio.]

33. Actio ex jurejurando utilis, *l. quod si juravi.* 29. sive in factum, *l. sed si possessori.* 11. §. 1. *cum seq.* ei causæ accommodata, super qua juratum fuit: *veluti, qui juravit se emisse, habet actionem utilem ex empto. l. si duo.* 13. §. *si quis juraverit vendidisse. qui juravit rem suam esse, habet utilem rei vindicationem, d. l. si duo.* §. 1.) à Prætore datur ei

qui

qui non temere & sponte, sed secundum delatam conditionem juravit, *Inst. de act.* §. *in personam.* & §. *item si quis postulaver.* rem suam esse, *d. l. si duo.* §. 1. vel sibi deberi, *d.* §. *si quis postul.* (*Vnde apparet hanc actionem modo esse in personam: Inst. de act. d.* §. *in personam. modo in rem. sup. de pub. in rem act. l.* 7. §. *si petenti.*) cuive remissum est jusjurandum, *l.* 5. §. *ult.* & *l.* 6. contra eum contra quem juratum fuit. *l.* 6. §. *ult.* & *sup. de publ. in rem act. dicta l.* 1. §. *si petenti.*

34. Exceptio jurisjurandi à Prætore datur ex jurejurando liberatorio, tam ei qui juravit & cui jurare parato remissum est jusjurandum; quam alii cuicunque, ad quem res pertinet, *l.* 3. *in pr. l.* 6. *l.* 7. ne quæratur an debeatur, sed an juratum sit, *l.* 5. §. *dato.* Quia religioni stare oportet. *sup. de dolo. l. quod si deferente.* 21.

De in litem jurando.

35. IUsjurandum in litem est, quod in judicio arbitrario, vel bonæ fidei, *l.* 5. & 6. propter rei conventi dolum, seu contumaciam, *l.* 2. §. 1. non propter culpam, *d. l.* 2. §. 1. *l.* 4. §. *ult.* & *l. pen.* à judice actori defertur, *dicta l.* 4. §. 1. ut juret quanti sua intersit, *d. l.* 1. §. *d. l. pen.* vel ad quamcunque quantitatem vult, vel intra quantitatem ab ipso judice taxatam, ut in eam quantitatem reus damnetur; nisi ex magna causa, & probationibus postea repertis minoris condemnandus, vel prorsus absolvendus videatur. *d. l.* 4. §. *jurare.* & §. *seq.*

* Vel juramentum in litem est, quo actor jurat quanti litem, id est, rem de qua litigatur, æstimet. *t. t. ff.* & *C. hic.*

Est duplex, vel affectionis (quod in specie juramentum in litem vocatur. *Rosb. in prax. civ. de*

jurejur. in. lit. num. 4.) vel veritatis. *l.* 2. §. 1. *l.* 5. §. *ult. hic.*

Affectionis est, quo permittitur actori rem æstimare pro arbitrio. *l.* 1, 2, 9. *l.* 5. §. 2. *hic.*

Veritatis est, quo juratur quanti revera est, seu quanti interest. *l.* 5. *l.* 8. *l.* 1. *l.* 9. *hic.* *

De Condictione causa data, causa non secuta.

[ET hac plerunque quidem certum petitur, puta si decem data repetantur; aliquando tamen incertum; nempe cum is cui res incerta debetur, accepto tulit, ut debitor aliquid faceret. *Pac. Isag. hic.*]

36. Condictio ob causam dati, *Cod. lib.* 4. *rubr.* 6. seu condictio causâ datâ, causâ non secutâ. *ut in hac rubr.* (id est, quâ ob causam data ob causam non secutam repetuntur) datur ei qui ob causam futuram honestam dedit, vel promisit, contra eum qui accepit vel stipulatus est; ob id competens, quod causa propter quam datum, vel promissum fuit, secuta non est, *sup. de condict. ob turp. caus. l.* 1. *& Cod. de rer. permut. l.* 4. vel quia actorem re integra pœnituit, *l.* 5. ut species cum fructibus & omni causa, *l.* 7. *infr.* vel quantitas, *argumento l.* 7. *infr. de cond. ind.* data restituatur. vel quod promissum est accepto feratur. *l. si donaturus.* 9. §. 1.

* Vel; Hæc condictio est, actio personalis (ut & aliæ omnes condictiones. §. *appellamus. inst. de action.*) qua is qui ob rem dedit vel cavit, id ob eam rem non secutam repetit ab eo cui dedit.

Causa enim hic accipitur, pro re, id est, causa finali; cum propriè loquendo causa vocetur quæ est præterita; res verò dicatur, quæ futura est. *l.* 1. *inf. de cond. ob turp. caus.* *

De

De condictione ob turpem vel injustam causam.

[TErtia causa ob quam modò certum, modò incertum petitur, est datio vel promissio ob turpem causam.]

37. Turpis causa est, res, id est, causa finalis, *l.* 1. *in princ.* quæ est natura, *C. de cond. ob turp. caus. l.* 5. vel juris dispositione, *Cod. eod. l.* 3. probrosa.

38. Condictio ob turpem causam datur ad repetendum, quod quis ob rem ex solius adversarii parte turpem dedit, *l.* 1. §. *ult. l.* 2, 3, 4. vel promisit, *l. pen. & Cod. eod. l.* 1. *& l.* 5. sive res secuta sit, sive non sit. *d. l.* 1. §. *ult.*

39. Injusta causa est, ex qua, licet juri contraria, secutum aliquid est: ut stipulatio per vim extorta, ex qua pecunia exacta est. *l.* 7. *hic.*

40. Condictio ob injustam causam datur ad repetendum quod ex injusta causa exactum fuit. *d. l.* 7.

De condictione indebiti.

41. INdebitum hic dicitur, quod natura non debetur, *l. naturaliter.* 13. ut quia petenti obstat exceptio perpetua, *l. si non sortem.* 26. §. *indebitum. &* §. *adeo.* favore excipientis introducta. *l. qui exceptionem.* 40. *in princ.*

* Indebitum est, quod omninò non debetur; *l.* 65. §. *fin. hic.* aut quod nullo jure, vel saltem non jure naturæ, vel gentium, debetur, *l.* 47. *eod.* vel sub conditione, incertave die omninò debetur; *l.* 16. *eod.* vel quod supra debitum est solutum; *l.* 45. *eod.* vel quod alii debetur, alii solvitur; vel si quod alius debebat, alius quasi ipse debeat, suo nomine solvat; *d. l.* 65. §. *fin. l. si pœna.*

§. 1. *eod.* vel, quòd propter exceptionem perpetuam peti non poteſt. *l. ſi non.* 26. §. 3. *&* 7. *eod.* *

42. Condictio indebiti datur ad repetendum quod quis indebitè, *Inſt. quib. mod. re contrah. obl.* §. 1. per ignorantiam, *hic. l.* 1 *& infr. de reg jur. in l. cujus per error.* 53. facti, *infr. de jur. & fact. ignor. l. pen.* §. *ult. & Cod. eod. l. cum quis.* 10. *& ad l. Falcid. l. error.* 9. dedit. *Inſt. d.* §. 1. (una cum fructibus & aliis acceſſionibus, ſi ſpecies data fuit,) *l. in ſumma.* 65. §. *ei qui.*) vel promiſit. *l. is qui.* 31.

[Hic incertum condicitur, ſi promiſſo modò indebito liberatio condicitur; certum ſi indebitum jam ſolutum condicitur.]

* Eſt enim duplex condictio indebiti; Una certi; quoties id quod condicitur, certum eſt; *l. certum.* 7. *l. certi condictio.* 9. *de reb. cred.* Altera, incerti; quoties illud incertum eſt, quod in condictionem venit. *ut in l. qui exceptionem.* 40. §. *ſi pars. hic. l. quod ſi nulla.* 72. *de legat.* 4. *l. ſi heres.* 5. *in fin. de act. emt.* ut hic. Nam liberatio facti eſt, facta verò omnia ſunt incerta. *l. ubi autem.* 75. §. *qui id quod.* 7. *de verb. oblig.* *

De condictione ſine cauſa.

[ET hic modò certi, modò incerti eſt condictio, quod tam promiſſum, quam ſolutum repeti poſſit.]

43. Condictio ſine cauſa, ei qui dedit vel promiſit, *l.* 1. *in princ. & l.* 3. adverſus eum cui datum vel promiſſum eſt, competit, ad id quod datum eſt, vel promiſſi liberationem repetendam; quia vel ſine cauſa datum ſeu promiſſum fuit, vel cauſa non eſt ſecuta; vel eſt finita, vel non juſta eſt, vel ad non juſtam cauſam rediit. *l.* 1. *&* 4.

* Brevius; condictio ſine cauſa eſt actio perſona-

sonalis, qua quis id repetit, quod ad se pertinet, & apud alium est sine causa. *

De condictione furtiva.

44. Condictione furtiva surreptam rem, *l. 7. §. 1. & Inst. de obl. qua ex del. §. ult. & ert. §. ex malef.* cum fructibus, *l. in re furtiva. 8. §. ult.* dominus, *l.* 1. vel possessionem non dominus, ut creditor, *l. & ideo. 12. §. ult.* condicit furi, ejusque heredibus, *Inst. de obl. qua ex del. §. ult.* non in quantum ad eos pervenit, sed quatenus heredes sunt. *l. in condictione. 9.*

* Brevius: Condictio furtiva est actio personalis, rei surreptæ, & fructuum persecutoria, ei competens, qui furtum passus est, adversus furem, & ejus heredem, pro qua parte heres est. *l. 7. §. 1. & 2. l. 8. §. ult. cum ll. seqq. hic.*

Est partim certi condictio; quæ datur soli domino rem suam condicenti: *l. 1. eod l. 14. §. qualis. de furt.* partim incerti; quæ datur non domino, condicenti possessionem; ut creditori, cui pignus surreptum fuit. *l. 12. §. ult. hic.* *

De condictione ex lege.

45. Condictio ex lege est, quam nova lex introduxit, non expresso actionis genere quo agi oporteat. *l. unic. hic.*

* Condictio ex lege est, actio personalis, competens ex obligatione per novam legem introducta, non caventem quo genere actionis experiri oporteat. *d. l. un.* *

46. Nova lex est quæcunque est lege 12 tabb. posterior. *sup. de capit. minut. l. tutelas. in pr.*

* Legem civilem esse oportet: nam actio quam Prætor, non indicato obligationis genere

introducit, non condictio ex lege, sed actio in factum vocatur. *l. quia.* 11. *de præscr. verb.* *

[Et hic condictio certi est, si rem certam; incerti, si rem incertam persequatur.]

De condictione Triticiaria.

47. CONdictio Triticiaria in personam, ex quacunque causa, (excepta regulariter causa dominii,) *l.* 1. *in fin.* & *l.* 2. & de quacunque re, præterquam de pecunia numerata, *d. l.* 1. *in princ.* competit ad rei æstimationem arbitrio judicis consequendam. *l. pen.* & *ult. Cujac. in paratit.*

[Et hic, quia de re æstimanda competit, quælibet res in eam venit, sive certa, sive incerta.]

De eo quod certo loco dari oportet.

48. ACtio de eo quod certo loco datur ex causa stricti juris, *l.* 2. §. 1. *l.* 5, 6, 7. cum alio loco agitur, quam eo, in quem solutio collata fuit, *l.* 1. *l.* 4. & *Inst. de act. d.* §. *præterea.* & ejus loci mentio fit, *Inst. eod. d.* §. *plures autem. vers. loco.* ut judex arbitretur quanti actoris vel rei interest eo potius loco solvi, quam ubi agitur. *dicta l.* 2. *in princ. d. l.* 3. & *Cod. ubi conven. qui cert. loc. dar. promi. d. l. unic.*

* Est hæc actio de eo quod certo loco, utilis, arbitraria, qua id quod certo loco ex stricta actione dari debuit, alio loco, idoneo puta, §. *loco. inst. de action. ubi Donell.* peti potest, facta commemoratione loci, quo dari debuit. *l. un. C. ubi conven. qui cert. loco. l.* 1 & 2. *hic.* *

[Hic si quis certum debens certo loco dare tenetur, certum ab eo petetur: si alio loco agatur, etiamsi certum quid in obligationem stricti juris dedu-

deductum sit, tamen incertum peti debet, datâ judici, quanti actoris vel rei interest suo potius loco solvi, quam ubi petitum est, æstimandi facultate.]

De pecunia constituta.

49. PEcunia hoc loco est, quæcunque res æstimari pecunia potest. *Cod. hoc tit. l. 2. §. & neminem.*

50. Constitutum est pactum, *l. 1. in princ. & Instit. de act. §. de constituta.* de pecunia debita, *d. l. 1. §. 1.* vel alia ejus loco, *d. l. 1. §. an potest.* intra certum tempus solvenda, *l. promissor. 21. §. 1.* priorem obligationem non novans, sed ei accedens.

51. Debitum hic dicitur, quod vel naturaliter debetur, *l. 1. §. pen.* vel jure prætorio, *d. l. 1. §. ult.* vel jure civili ita, ut ei non obstet perpetua exceptio. *l. 3. §. 1. l. item illa. 18. §. ult. l. ubi. 28. & infr. de in rem verso. l. si filiusf. 15. & de administr. rerum ad civit. pertinent. l. 3. §. in eum.*

52. Actio constitutoria, seu de constituta pecunia, datur ei cui fuit constitutum, *l. si vero. 8.* adversus eum qui constituit, *l. qui autem in princ. & Instit. de act. §. de constituta. d. l. item illa. §.* ut res de qua convenit præstetur. *re & Cod. eod. l. 2. in princ.*

[Hic vel certi vel incerti condictio est; prout quis vel certum, vel incertum se soluturum constituerit.

Condictionum præcedentium aliquæ appellatione promutui continentur; puta ob causam dati, ob turpem causam; indebiti; sine causa, furtiva. *Treutl. disput. de condict. ex promutuo.*

Promutuum est, omnis prærogatio, seu repræsentatio & datio in antecessum; ut cum aliquid

ob rem datur. *l.* 15. §. *item cum quidam. l.* 40. §. *item quaero an eorum. ff. de statulib.*]

Commodati, vel contra.

53. Commodatum est contractus, [re constans,] *sup. de pact. l.* 7. §. 1. quo res gratis utenda datur hac lege, *infr. de obl. & act. l.*1. §. *is quoque. & Instit. quib. mod. re contrah. obl.* §. *item is.* ut usu cujus gratia tradita est finito, *l. in reb.* 17. §. *fine.* eadem species * (seu idem individuum) * restituatur. *l.* 1. §. *is quoque. d.* §. *item is. & sup. de reb. credit. l.* 1. *in princip.*

54. Commodator est, qui utendum dat.

55. Commodatarius, qui utendum accipit.

56. Actio commodati est, quae ex commodato oritur, *l.* 1. *in princip.* civilis, *l. in commodato.* 17. §. *fine.* personalis, *Inst. de act.* §. *rei persequend.* perpetua, *Cod. de constit. pecun. l.* 2. *vers. neque sit.* rei persecutoria, *d.* §. *rei perseq.* bonae fidei, *l.*3. §. *in hac act. & Inst. de act.* §. *actionem.*

[Non ut una actio est mutui, nempe certi condictio; ita una est actio commodati: sed hic una est directa, altera est contraria; quia secus quam mutuum, est contractus ultrò citróque obligatorius.]

57. Actio commodati directa datur commodanti. *l. ita ut.* 16. contra commodatarium, *infr. de obl. & act. l.* 1. §. *is quoque. & Inst. quib. mod. re contr. oblig.* §. *item is.* ut res commodata, *infr. de obl. & act. d. l.*1. §. *is quoq.* (id est, eadem species) *sup. de reb. cred. l.* 2. *in princ.* reddatur unà cum accessionibus, *l.* 5. §. *usque adeo.* & eo quod interest, si deteriorata reddatur. *l.* 3. §. 1.

58. Actio commodati contraria datur commodatario, contra commodatorem, ad recipiendas impensas, non modicas, in rem bona fide

factas,

factas, vel quod sua interest non decipi à commodatore; puta commodatis vasis vitiosis, *l. in reb.* 18. §. *poss. d. l. in reb.* §. *idem qui sciens. &* §. *pen.* vel re ante finitum usum adempta, *l. in quadrato.* 17. §. *sicut.* & rem; vel pretium, si commodatarius quia rem perdiderat, pretium pro eo commodatori dedit, postea commodator eam rem nactus est. *d. l. in commod.* §. *ult.*

De pignoratitia actione, vel contra.

[Pignoris vox varie accipitur.]

59. Pignus, (propriè acceptum, quatenus distinguitur ab hypotheca,) est res à debitore creditori obligata & tradita, *Inst. de act.* §. *item Serviana. vers. in pignoris.* in rei creditæ securitatem, *infr. de obl. & act. l.* 1. *creditor. & Instit. quib. mod. re contr. ob.* §. *ult.* ut cum debitum solutum, vel aliter creditori satisfactum fuerit, *l. quidam.* §. *omnis. d. inf. de obl. & act.* eadem species restituatur. *l.* 1. §. *creditor. & Inst. d.* §. *ult.*

[Nempe pignus propriè vocatur, si tradatur creditori, præsertim si sit res mobilis; si verò ejus possessionem debitor retineat, hypotheca proprie dicitur; præsertim si sit res immobilis. *l.* 9. §. *proprie. h. t. & infr. de V. S. l.* 238. §. *pignus. & Inst. de action.* §. *item Serviana. p. auct. Isag. hic.*]

60. Item pignus est contractus quo res ita pignori nexa traditur. *sup. de pact. l.* 1. §. *ult.*

61. Præterea pignus est jus, quod creditor habet in pignore. *Vt in tit. infr. quib. mod. pig. vel hypoth. solv.*

[Actio pignoratitia, latè accepto vocabulo dicitur quæcunque actio ex pignore oriens ita, ut etiam complectatur actionem prætoriam in rem, *l.* 3. §. *est autem. ff. ad exhibend. l.* 9. *pr. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*]

62. Actio pignoratitia est ex contractu pignoris civilis in personam.

[Rei persecutoria, quæ datur soluto debito, & pignoris obligatione; qua durante datur actio Serviana, vel quasi Serviana.

Pignoratitia est duplex: directa, & contraria.]

63. Actio pignoratitia directa ei, qui rem pignori dedit, *Cod. hoc tit. l. nec creditores.* 10. adversus creditorem, soluto, vel oblato toto debito, aut si aliter creditori satisfactum sit, *dicta l.* 9. §. *omnis. &* §. *ult.* in hoc competit, ut eadem species restituatur, *l. debitor.* 40. §. *ult. & supr. de oblig. & act. l.* 1. §. *creditor. & Inst. quib. mod. re contrah. ob.* §. *ult.* unà cum fructibus, *l. si pignore.* 22. §. *si prædo.* & si res creditoris dolo, aut culpa deterior facta sit, id quod interest, *l. si cum venderet.* 13. *ult. & l.* 7. *seq. & Cod. eod. l.* 3. *& Instit. d.* §. *ult.* &, ex parte creditoris, repromittatur dolum malum abesse. *l. creditor.* 25.

64. Actio pignoratitia, contraria, creditori pignoratitio, *l. si necessarias.* 8. *in princ. l. tutor.* 16. *in princ. l. si pignore.* 22. §. *ult. l. cum debitore.* 32. ejusque heredibus, *(quia est ex contractu.)* datur contra debitorem, *l.* 1. §. *ult. & d. l. tutor.* §. 1. *d. l. si pignore.* §. *pen. d. l. cum debitore. & l. si quis in pignore.* 36. & ejus heredes, *(quia est ex contractu.)* ut indemnis servetur, *l. si servus.* 31. si fortè in pignore deceptus sit, *l.* 1. §. *ult. cum seq.* aut necessarias impensas fecerit, *l. si necessarias.* 8. *in princ.* * utilesve, aut à debitore cœptas ipse ejus voluntate tacitâ vel expressâ perfecit; *l. si servos.* 25. * aut sine dolo & culpa duplum ob evictionem pignoris venditi præstiterit. *d. l. si pignore.* §. *ult.*

De

De Exercitoria actione.

[PRæcedentibus actionibus conveniuntur, qui ex suis contractibus tenentur; sequuntur aliæ, quibus agi potest, quando personæ quæ ab aliis pendent, alienaque fide nituntur, in contrahendo intervenerunt. 1. Exercitoria; 2. Institoria; 3. Tributoria, Actio Prætoria in filiumfamilias.]

65. Exercitor, est ad quem quotidianus navis quæstus pertinet; sive sit dominus navis, sive eam à domino per aversionem conduxerit. *l.* 1. §. *exercitorem. & Inst. quod cum eo.* §. *eadem ratione.*

66. Per aversionem conducere, est totam rem, ut totam navem simul conducere; non per partes, nec in singula onera invehenda, sive importanda, *Infr. tit. prox. l. ult.* §. *ult.* Similis est interpretatio emptionis per aversionem. *Infr. de contr. empt. l. qui officii.* 62. §. *ult. & de per. & com. rei vend. l.* 4. §. 1. *&* 2.

67. Magister est, cui totius navis cura mandata est; *l.* 1. §. 1. *hic.*

[Sive ab ipso exercitore, sive à primo navis magistro. *d. l.* 1. §. *magistrum.* Idque vel locandis navibus, vel emendis vendendisque mercibus, vel vectoribus conducendis, vel armamentis emendis. *d. l.* 1. §. 3.]

68. Actio exercitoria à Prætore datur ei qui cum magistro ejus rei nomine in quam magister est præpositus, *l.* 1. *in princ. &* §. *pen. & Inst. quod cum eo.* §. *ead. ratione.* contraxit, *d. l.* 1. §. *non autem. &* §. *penult. & Instit. d.* §. *ead. actione.* adversus exercitorem. *d. l.* 1. *in princ. &* §. *pen. & Cod. eod. l.* 4.

[Puta ex contractu causam habente talem ob

ob quam navi est præpositus. *d. l.* 1. §. 5. *l. fin.*]

* Est prætoria, *d. l.* 1. *in pr. &* §. *pen. l.* 5. §. 1. *eod.* in personam, rei persecutoria, in solidum, *d. l.* 1. §. *ult. l.* 6. §. 1. *eod.* perpetuo, & ad heredes transitoria. *l.* 4. §. *ult. eod.* *

De lege Rhodia de jactu.

[PErtinet ad maritimam negotiationem lex Rhodia de jactu.]

69. Lex Rhodia, est quæ Rhodios auctores habet, ac propter æquitatem à Romanis recepta est; qua cavetur, ut si levandæ navis causa merces in mare jactæ sint, omnium contributione damnum sarciatur, *l.* 1. dummodo eo jactu navis servata sit. *l.* 5. & 7.

[Puta quorum quid interfuit mercium servatarum causa jacturam fieri; etiam domini navis, proportione quod navem habeat salvam; ut & si ipse quid, puta trabem, navis levandæ causa, abjiciat, contributio locum habet. *l.* 5. *in fin.*]

De Institoria actione.

70. INstitor [dictus ab eo, quod gerendo negotio instet, *l.* 3. *h. t.*] est qui tabernæ, vel cuilibet negotiationi præpositus est. *l.* 3. & *l.* 5.

[Vel Institor est, qui tabernæ locove, ad emendum, vendendumve præponitur: quive sine loco ad eundem actum præponitur. *l.* 18. *eod.*

Propriè tamen eum Institorem dici putant, qui non ad certum genus negotiorum, sed universaliter negotiationi quæstuariæ præponitur. *Bart. Jas. & Dd. in l. si Institorem.* 29. *ff. si cert. pet.* Qui non ad negotiandum, sed uni alicui negotio, aut certo facto

facto præpositus est, quasi Institorem rectè dici arbitrantur. Ex cujus contractu cum agitur, utilis institoria datur. *Wesenb. par. hic.*]

71. Actio institoria, *l.* 1. *& Inst. quod cum eo.* §. *ead. ratione.* datur ei qui cum institore in eam causam, in quam præpositus est, contraxit, *l.* 5. §. *non tamen. & Cod. eod. l.* 2. *cum seq.* adversus eum qui institorem præposuit. *l.* 1. *& passim.*

[Non tenetur de eo, de quo præscriptum ne contrahatur, aut quod est extra formam præpositionis. *d. l.* 5. §. 11. *& seqq.*]

De Tributoria actione.

72. ACtio Tributoria à Prætore, *l.* 1. §. 1. *& Inst. quod cum eo.* §. *introduxit.* datur ei, qui cum alieno servo aut filiofamilias, *l.* 1. §. *pen.* ejusve institore, *l.* 5. §. *item parvi.* ex causa pertinente ad mercem peculiarem, *d. l.* 5. §. *meus.* in qua servus sciente domino, *d.* §. *introduxit.* aut filiusfamilias sciente patre negotiatur, adversus patrem vel dominum, *l.* 1. §. *penult.* eumve qui pro domino habetur; ut bonæ fidei possessorem, aut fructuarium; in merce ad ipsum pertinente, *d. l.* 1. §. *ult. & l. seq.* qui nihil, aut minus ex merce peculiari tribuit actori, quam ei tribui debeat. *d. l.* 1. §. *si unius. & d.* §. *introduxit.*

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

73. IN aliena potestate dicuntur esse servi, & filii familiarum. Quoniam illi in parentum, hi in dominorum potestate sunt. *sup. de his qui sunt sui. l.* 1. *in princ. &* §. 1. *l.* 3. *& Instit. eod. in princ.* §. 1. *& de patr. potest. in princ.*

74. Ne-

74. Negotii appellatione hic omnis contractus, & quasi contractus continetur, *ut etiam sup. de minorib. l.* 7. Licet propriè geri dicatur, quod re fit sine verbis. *infr. de verb. signif. l. Labeo.* 19.

75. Actio prætoria, *l.* 1. *in princ.* in filiumfamilias qui post contractum, *l.* 4. §. *quanquam.* sui juris factus est, *l.* 2. nec patri, *dict. l.* 2. *in princ.* vel ex minima parte, heres extitit, *d. l.* 2. §. 1. nec post multos, ex quo sui juris factus est, annos convenitur, *l.* 4. §. *pen.* nec se patremfamilias mentitus contrahit, *d. l.* 4. §. 1. nec consentiente patre mutuam pecuniam accepit, *l. pen.* ei qui cum filiofamilias contraxerat, non in solidum competit, sed in quantum reus facere potest, *d. l.* 2. *in princ.* deducto eo quod debet creditoribus privilegiariis, & his quibuscum, postquam sui juris factus est, contraxit. *l.* 3.

* Modica an parte sit heres, judicis est cognoscere *d. l.* 2. §. *fin. d. l.* 4. *in princ.* *

De Senatusconsulto Macedoniano.

76. SEnatusconsulto Macedoniano, occasione à Macedone fœneratore sumpta, cavetur, ut si filius familias numeratam pecuniam mutuo acceperit, ex eo contractu regulariter actio efficax non sit. *l.* 1. *in princ. & Instit. quod cum eo.* §. *penult.*

[Is ergo solus in Senatusconsultum impingit, qui mutuam pecuniam filio dedit; non qui aliàs contraxit, puta vendidit, permutavit, &c. Nisi fraus Senatusconsulto sit cogitata; ut qui credere non potuit, vendiderit, ut rebus venditis distractis pecunia filiusfamilias uteretur. *l.* 25. §. 2. *hic.*]

* Fraus Senatusconsulto fit, ubi quod fieri noluit,

noluit, fieri autem non vetuit, id fit. *l.* 29. *cum l. seq. ff. p. de legib. l.* 5. *C. eod.* *

De peculio.

[EX contractibus cum iis initis, qui in aliena sunt potestate, & aliæ ex Edicto Prætoris sunt actiones. 1. de peculio. 2. de in rem verso. 3. quod jussu.]

77. Peculium est, quod servus, domini permissu, separatim à rationibus dominicis habet, deducto inde, si quid domino debetur, *l.* 5. §. *ult.* Sed filii quoque familiarum peculium habere dicuntur, *Inst. de actionib.* §. *actiones. & alibi passim.* non patresfamiliarum. *inf. de verb. sign. l. paterf.* 182.

78. Peculium castrense est, quod filiusfamilias acquisivit occasione armatæ militiæ. *infr. de castrensi pecul. l. castrense.* 11.

79. Quasi castrense est, quod filiusfamilias acquisivit occasione militiæ togatæ, ut advocatus; *Cod. de advoc. diu. jud. l.* 4. *cum seq.* vel religiosæ, ut clericus; *Cod. de episc. & cleric. l. cum lege.* 50. vel ex donatione Principis, sive Augustæ, acquisivit. *Cod. de bonis quæ lib, l. penult.*

80. Peculium paganicum est, quod extra dictas causas filiofamilias acquiritur. *Cod. de inoff. test. l. ult. in princ.*

81. Peculium profectitium est, peculium paganicum, de re patris profectum. *inst. per quas person. nob. acquir.* §. 1.

82. Peculium adventitium est, peculium paganicum non ex re patris, sed aliunde profectum. *d.* §. 1. *& infr. de bon. quæ liber. l.* 6. *in princ.*

83. Actio de peculio datur à Prætore, *l.* 1. *in princ. & Inst. de act.* §. *in personam. &* §. *actiones.* ei qui cum servo aut filiofamilias contraxit,

contra

contra patrem in cujus potestate est filius, vel dominum in cujus potestate est servus, *Inst. de action. d. §. actiones.* vel eum qui pro domino habetur, ut bonæ fidei possessorem, vel fructuarium, *l. 1. §. pen. & ult. & l. 2.* si contractus ad rem ipsorum, vel operas servi pertineat, *Inst. per quas pers. nob. acquir. §. de his autem.* ut peculio tenus damnetur. *Instit. de actionibus. §. actiones. & §. si praeterea.*

* Contraxisse intelligitur filiusfamilias, & servus, etsi quasi contraxit. *§. actiones. Inst. de action. l. 1. l. 5. l. 7. l. ult. C. quod cum eo, &c. l. 6. §. sed si ego. ff. de negot. gest.* *

De in rem verso.

84. IN rem versum dicitur, quod filius in patris, vel servus in domini utilitatem convertit. *l. 3. hic.*

* In rem versum intelligitur, quicquid necessariò utiliterque (non voluptatis causa. *l. 3. §. 4 hic.*) in rem domini vel patris servus, vel filiusfamilias statim, vel ex intervallo (puta si primo vertit in peculium, postmodum in rem domini) impenderit. *d. l. 3. §. 1. l. 5. §. fin. eod.* *

85. Actio de in rem verso (quæ, si cum actione de peculio concurrat, ejus pars est: * Quia, quod in rem versum est, peculium auget, & in peculium imputatur. *l. 7. §. pen. de peculio.* *) à Prætore datur ei, qui cum filiofamilias, aut servo alieno contraxit, contra parentem, vel dominum, in cujus potestate filius, vel servus est, ut in tantum damnetur, quantum est in rem ejus versum. *sup. de peculio. l. 1. §. 1. & Inst. quod cum eo. §. praeterea.*

Quod

Quod jussu.

86. IUssus est, quod pater, vel dominus, filium, aut servum quem in potestate habet, aliquid facere præcipit, vel quoquo modo consentit. *l.* 1. §. 1. *& seq.*

87. Actio quod jussu, à Prætore, *sup. de pec. l.* 1. §. 1. ei qui cum filiofamilias, aut servo alieno patris, vel domini jussum secuto contraxit, *l.* 3. adversus ipsum patrem, vel dominum, *l.* 1. *in princ. & Instit. quod cum eo. in princ. &* §. 1. in solidum datur. *dict. l.* 1. *in princ. & Inst. quod cum eo.* §. *si igitur.* * Videlicet quatenus jussit, non ultra. *l.* 3. *hic.* *

Ad Senatusconsultum Velleianum.

[IIs qui sunt in aliena potestate mulieres accensentur; (ut quæ more majorum in potestate patris, fratrum, & viri sunt.) &, quatenus ex suis contractibus teneantur, docetur.

Suo nomine contrahentes mulieres obligantur efficaciter, non alieno nomine intercedentes, propter Senatusconsultum Velleianum.]

88. Senatusconsulto Velleiano cavetur, ut si mulier pro alio intercesserit, indè actio efficax non detur. *l.* 2. §. 1.

89. Intercedere est, se, vel res suas pro alio obligare.

[*Quot modis hoc mulier faciat, vide auctorem Isagoges. hic. Quibus casibus S C. cesset. ibidem.*]

90. Expromittere est, alterius obligationem per novationem in se transferre, *l. quamvis.* 8. §. *si convenerit. & sup. de condict. caus. dat. l.* 4. *& infr. de re jud. l.* 4. §. *ait Prætor.* vel pro alio reum fieri, ne

ne ille obligetur. *l. aliquando.*13. *in princ. & supr. de dolo.* *l.*7. §. *servus pactionis.*

[Dantur ex Edicto actiones contra eos quorum negotium mulier gessit, modò directa, si per novationem actio creditoribus est exstincta; modò utilis, si obligatio in mulieris persona initium sumpsit. Illa rescissoria vel restitutoria dicitur; hæc institoria; multis sic dicta, quia non restituitur, extincta, sed primitus instituitur. *l.*8. §. *pen.*]

91. Actio rescissoria, seu restitutoria, utilis à Prætore datur in eum qui per intercessionem mulieris, subductus obligationi fuerat. *l. quamvis.*8. §. *Marcellus.* §. *si mulieri.* & §. *seq.* & *Cod. eod.* *l. si mulier.* 16.

92. Actio institoria, est utilis; à prætore datur in eum, pro quo mulier obligata est, ne ipse obligetur. *Bartol. in l. si paternam.*8. *Cod. hoc tit. Salicet. in l. si mulier alienum. Cod. eod. Alii doctores in l.* 1. *Cod. eodem.*

* Præter dictas actiones Prætor creditori actionem hypothecariam dat (non restituit. Pignora enim post novationem inefficacem obligata manent. *l. aliquando.* 13. §. 1. *hic.*) ad pignora, quæ pro obligatione mulieris, ab eo, pro quo illa intercessit, data sunt, aut quæ pristinæ obligationi accesserunt, persequenda. *l. si paternam.* 8. *C. eod.* *

De compensationibus.

[Compensationis vocabulum ab antiquo æris appendendi more, cum nondum nummi cuderentur, sed qui æs appendebat, solveret, est deductum.]

93. Compensatio est debiti & crediti inter se contributio. *l.* 1.

* Id

* Id est, confusio ex mutua contributione in utriusque persona nata tanquam si debitum & creditum in utroque contributum & confusum, ut neutrum appareat. *

[Unde vim habet solutionis. *l.* 10. §. 1. *Imò imaginaria solutio est. *l.*4. *l.*10. *l.*21. *ff.l.*4. *C. hic.l. permutavit.* 19. *de liber. caus.* *

Differt ab imputatione seu reputatione, & retentione, vel deductione.

Imputamus, vel reputamus aliquid creditori nostro ut cum eo compensemus; Ideò compensamus, ut compensatum retineamus, vel si plus debeamus, quam nobis invicem debeatur, de majori summa à nobis debita deducimus & retinemus.]

Depositi, vel contra.

[DEpositum à ponendo dicitur, aucta significatione per particulam *de*. Accipitur modò pro re deposita; modò pro contractu.] * *l.* 1. *in pr. hic. l. jurisgentium.* 7. §. 1. *de pactis.*

Pro re deposita acceptum definitur, quod custodiendum alicui datum est. *d. l.* 1. *in pr.*

Pro contractu acceptum, est contractus, quo res gratis custodienda, & quotiescumque deponens reposcet, in eadem specie restituenda, traditur. §. *pen. Inst. quib. mod. re contr. obl. d. l.* 1. *

94. Depositum est contractus, quo res alicui gratis custodienda traditur.

[Depositi varia sunt genera, vulgare, necessarium, sequestre, debiti causa, sponsionis causa, sacramentum.]

95. Vulgare, seu voluntarium depositum est, quod nulla necessitate urgente, alicujus commoditatis gratia, sponte contrahitur.

96. Necessarium depositum est, quod fit peri

culi

culi ab incendio, ruina, naufragio, tumultu imminentis, vitandi causa. *l.* 1. §. 1.

97. Sequestre est, depositum, quo res inter duos, vel plures controversa à singulis in solidum deponitur, ut victori reddatur. *l.* 5. §. 1. *l. licet.* 17. *in princ. Conjunge part.* 8. *def.* 126. *&* 127.

* Fit vel Magistratus auctoritate, parte sive utraque, sive alterâ invitâ, quod judiciale, *l. un. C. de prob. pec. sequ.* vel partium conventione & consensu, quod conventionale dicitur. *l.* 39. *de solut. l.* 39. *de acquir. poss.* *

98. Debiti causa depositum est, cum debitor, ut liberetur, usurasve sistat, creditore absente, vel rem oblatam accipere nolente, eam obsignatam in publico deponit. *Cod. de usur. l. si patr.* 9. *l. acceptam.* 19.

99. Sponsio est, cum duo inter se contendentes deponunt singuli res singulas, ut victus rem perdat, victor utramque auferat, *inf. de praescript. verb. l. si gratuitam.* 17. §. *ult.* quod eis vocatur pignus, *Virgil. Eclog.* 3. *Tu dic mecum quo pignore certes.* Gallicè *Gageure.*

[Sacramentum est, quod in loco sacro apud Pontificem deponebatur; apud quem contendentes deponebant singuli res suas, ut victor rem suam reciperet, victi res in aerarium referretur. *Varro lib.* 4. *de ling. Lat. in fin.*]

100. Depositor est, qui rem apud alterum deposuit.

101. Depositarius est, apud quem res deposita est.

102. Depositi actio est, ex depositi contractu, civilis, cui praetoria accedit, cum tumultus vel ruinae, vel incendii, vel naufragii causa depositum fuit. *l.* 1. §. 1.

[Datur ex hoc contractu duplex actio, directa, & contraria.]

103. Di-

103. Directa depositi actio datur ei qui deposuit, *l.* 1. §. *si prædo.* contra depositarium, *Inst. quib. mod. re contr. obl.* §. *pen.* ad speciem depositam recipiendam, *sup. de reb. cred. l.* 1. *in princ.* cum accessionibus, *d. l.* 1. §. *quæ depositis.* & §. *ideo.* & latam culpam, *d. l.* 1. §. *non tantum.* §. *si rem depositam.* & §. *uit.* & *Instit. quib. mod. re contr. ob.* §. *penult. l. quid Nerva.* 32. præstat: Sed prætoria in dictis quatuor casibus in inficiantem, ob dolum, est in duplum. *l.* 1. §. 1. & *Inst. de act.* §. *sed furti.*

104. Contraria depositi actio, datur depositario, contra eum qui deposuit, *l.* 5. *in princ. l. actione.* 23. ut indemnis servetur; *d. l.* 5. *in princ.* Puta ut impensas in rem depositam factas recipiat, *l. in actione.* ne suum officium ipsi sit damnosum. *infr. test. qu. ap. l.* 7. & *de furtis. l. si servus.* 61. §. *quod vero.*

* Ex sequestro oritur actio depositi sequestraria, directa & contraria.

Directa datur sequestranti contra sequestrum, ut rationes reddat, & res sequestratas, prout convenit, vel judex decrevit, restituat; damnum, & culpam, & dolum resarciat. *l.* 5. *l.* 6. *C. l.* 5. §. 1. *ff. hic.*

Contraria datur sequestro ejusque heredibus contra litigantes ejusque heredes, ad repetendum sumptus, & damna, & omne id quod in re sequestrata necessariò, vel utiliter impendit. *

Mandati vel contra.

[TRansitus hic fit, à contractibus qui re perficiuntur, ad eos qui solo consensu constant; quorum alii magis respiciunt personas; ut mandatum, & societas; alii res, ut emptio, venditio, locatio, conductio.]

105. Mandatum est, contractus solo consensu constans, *infr. de rer. perm. l.* 1. §. *item emptio. & de oblig. & act. l.* 2. *& Inst. de obl. quæ ex consensu*, quo quis negotium bona fide, *l. idemque.* 10. *in princ.* gerendum procuratori, *d. l. idemque.* §. *si quis ea & sup. de procurat. l. licet.*42. §. *ea obligatio*, gratis, *l.* 1. §. *ult. & infr. de præscript. vel l. si tibi.* 22. suscipienti, committit.

* Est aliud voluntarium (de quo hic) aliud necessarium, cum Magistratui mandanti parere cogimur. *l.* 167. *de reg. jur. c. quod quis. eod. in* 6.

Rursus aliud est gratuitum, quod propriè est mandatum: *l.* 1. *l.* 36. *hic.* aliud mercenarium, cum remunerandi gratia honor intervenit; *l.* 6. *pr. eod.* aut si salarium extra ordinem in genere est promissum. *l.* 7. *eod.* *

106. Mandator est, qui aliquid faciendum mandavit.

107. Mandatarius, qui mandatum suscepit.

108. Actio mandati est ex mandati contractu civilis.

[Duplex est: directa, & contraria.]

109. Mandati actio directa datur mandatori, *l si procuratorem.* 8. §. *si quis mandaverit.* contra mandatarium. *C. eod. l. ad comparandas.* 16. in id quod actoris interest, *d. l. si procuratorem.* 8. §. *mandati.* ita ut mandatarius dolum, & latam ac levem culpam, sive in faciendo, sive in non faciendo commissam, præstet. *Cod. eod. l. procuratorem.* 11. *l. à procuratore.* 13. *l. in re mandata.* 21.

110. Mandati actio contraria, datur mandatario, *l. si vero non munerandi.* 12. §. *si filiof.* contra mandatorem, *l. si mandati.* 59. *Paulus respondit.* ut ab eo indemnis servetur, puta sumptus à se factos, *l. qui mutuam.* 56. §. *ult. & Cod. eod. l.* 4.

&

& interdum usuras recipiat. *dicta l. si vero non. §. si mihi.*

Pro socio.

111. Societas est contractus, *supr. de pact. l. 7. in princ.* solo consensu constans, *inf. de obl. & act. l. 2. & Instit. de obl. ex cons. in princ.* de re, vel negotiatione, *l. 5. in princ. & Inst. eod. in princ.* honesta, *l. nec prætermittend. 57. & infr. de contrah. empt. l. quod sæpe. 35. §. veneni. & de Tut. & rat. dist. l. 1. §. plane. & de l. Cornelia, de fals. l. falsi. 20. & de leg. Iulia ann. l. 2.* ejusque lucro, vel damno communicando. *l. si non fuerint. 29. & l. seq. & l. si unus. 67. & Instit. eod. §. 1. & seq.*

[Est vel universalis, vel particularis. Publica, vel privata.]

112. Universalis est, societas omnium bonorum. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. in princ. & Inst. eod. in princ.*

113. Particularis est, societas unius negotiationis, aut rei, vel aliquot negotiationum, seu rerum. *l. 5. §. 1. & Inst. eod. in princ.*

114. Publica societas est, quæ est rei publicæ, ut vectigalium. *l. 5. in pr. l. adeo. 59. in pr.*

115. Privata societas est, quæ est rei, vel negotiationis privatæ. *dictis jurib.*

[Quæ ex societate datur actio, pro socio dicitur.]

* Estque ultrò citroque directa, cuivis, in quemvis è sociis, quoties alterum ex bono æquo aliquid præstare oportet, competens: non contraria. quia omnium par utrimque est conditio. *

116. Actio pro socio, ex societatis contractu, *l. ut sit. 31. & Instit. de act. §. rei persequendæ.* datur inter socios utrimque directa. *Instit. de pœn. temer. litigant.* in id quod actoris interest, *l. si quis à socio.*

focio. 41. *& l. seq. d. l. cum duobus*. §. *idem respondit Sosius. l. actione*. 65. §. *item si societatem*. & omninò quod socium socio, ex bono & æquo, præstare oportet, *infr. de obl. & act. l. 2. in princ. &* §. *ult. & Inst. de obligat. ex consens. in princ. & in fine*. Ita ut dolus & culpa præstetur, *d. l. cum duob*. §. 1. *& utrum. &* §. *si quid. & l. socius socio*. 72. & ex dolo in solidum, *infr. de re judic. l. sed hoc ita*. 22. §. 1. aliàs in quantum facere potest, condemnetur. *l. rerum*. 63. *in pr. &* §. 1. *& infr. de re jud. l. si quis*. 16. *& Inst. de actionibus*. §. *sed & si quis*.

Quod beneficium soli socio conceditur, non etiam heredi ejus. *d. l. verum*. §. 1. *&* 2.

De contrahenda emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire possunt.

117. EMptio & venditio est contractus, *sup. de pactis. l.* 1. §. *ult. & l.* 7. §. 1. solo consensu constans, *l.* 1. §. *ult. & infr. de rer. permut. l.* 1. §. *item empt. & de ob. & act. l.* 2. *& Inst. de obl. ex cons. & de empt. & vend. in princ.* quo convenit ut emptor venditori pretium det, eamque rem venditor emptori tradat, & eam emptori habere liceat. *inf. de act. empt. l. ex empto*. 11. §. *& inprimis*.

[Emptio, venditio nempe, unus est contractus; qui diverso respectu emptio & venditio vocatur: emptio respectu emptoris, venditio respectu venditoris.]

118. Emptor est, qui pretium solvere debet, ut rem accipiat. *dicta l. ex empto*. §. *& inprimis*.

119. Venditor est, qui rem tradere debet certo pretio. *d. l. ex empto*. §. *& inprimis*.

120. Pre-

120. Pretium est, pecunia numerata, *l.* 1. §. 1. *& Inst. eod.* §. *item pretium. & infr. de praescript. verb. l.* 5. §. 1. *& Cod. de rer. perm. l. pen.* qua aestimatur res, *infr. de pignore. l. si fundus.* 16. §. *ult. & Cod. de jure dot. l. si inter.* 21. quae est in commercio. *infr. de reg. jur. l. sacra.* 9. §. *ult. & si quadr. paup. fec. dic. l.* 3. *& de his qui effud. vel dejec. l.* 1. §. *sed cum homo. & l. ult. in fin.*

121. Commercium est, emendi vendendique invicem jus. *l.* 20. §. *commercium.*

122. Merx est res quae venditur, *l.* 1. *in princ. &* §. 1. *& infr. de rer. perm. l.* 1. *in princ.* Sed interdum angustè accipitur, exclusis rebus immobilibus, *infr. de verb. signif. l. mercis appellatio.* 66. & mancipiis. *infr. eod. l. mercis appellatione.* 207.

[Perficitur emptio consensu in rem & pretium; si pure contrahitur. Si sub conditione, non ante ejus eventum. *l.* 7. *in pr.* Ad pondus, mensuram, vel numerum facta, non antequam res adpendatur, mensuretur, vel numeretur. *l.* 35. §. *in his. cum* §§. *seqq.* Si de contractu in scriptis redigendo convenerit, non ante perfectam scripturam. *Inst. de empt. vend. pr. l.* 17. *C. de fid. instr.*

Pacta inter emptorem & venditorem composita, ut à contrahentibus adjici solent varia, informant & ipsa, ac reformant hunc contractum, ut & alios quibus apponuntur, & actiones ex iis descendentes. *l.* 7. §. *quinimo. &* §. *adeo. ff. de pactis.*]

De in diem addictione.

[DUo specialia pacta emptionis & venditionis explicat Pandectarum ἀκολουθία. Addictionis in diem, & legis commissoriae.]

123. Addictio in diem est, pactum venditioni adjectum, ut, si alius intra certum tempus meliorem conditionem venditori obtulerit, venditor eam in præjudicium prioris emptoris accipere possit, *l. 1. & passim.* nisi prior emptor paratus sit plus adjicere. *l. 7.*

124. Adjectio est, melioris conditionis oblatio venditori facta.

* Melior conditio offerri videtur, si vel pretio sit additum, vel solutio facilior, aut maturior, vel locus solvendi opportunior, vel persona secundi emptoris magis idonea, vel quid utilius venditori offeratur. *l. 4. §. fin. cum ll. seqq. hic.* *

De lege commissoria.

125. LEx commissoria est, pactum venditioni appositum, ut si emptor intra tempus, de quo convenit, pretium non solvat, & venditor rem venditam esse nolit, res sit inempta. *l. 1. 2. & 3.*

[*De hereditate & actione vendita.*

VEnire possunt res omnes, quæ jure non prohibentur; puta quia sunt extra commercium, sive corporales sint, sive incorporales; ut hereditas, actio. *l. pr. de contr. empt.*

Hereditatis venditio est, contractus consensu constans, quo heres aditam à se hereditatem, adeoque jus omne quod ex ea aditione est consecutus, certo pretio defert ita emptori, ut heredis vicem obtineat.

Actionis venditio est contractus, quo quis sive nomina, sive nominum exactiones, *l. 3. C. l. 32. ff. h. t.* quas jure suo habet, pro certo pretio in alium transfert.]

* Emptor

* Emptor actionis hereditatis, non minus quam venditor cui nomen debitoris pignoratum est (ut pignorari potest, *l. postquam.* 7. *C. hic.*) vel directam actionem sibi à venditore mandatam seu cessam, vel eâ cessione cessante, utilem suo nomine movere potest. *d. l. posteaquam.* 7. *cum ll. seqq.* *

De Rescindenda venditione, & quando liceat ab emptione recedere.

126. RESCINDI venditio dicitur, quæ cum jure valeat, alterutro contrahente invito infirmatur.

[Rescindi venditio, nisi ex justa caussa, non potest; nec discedi ab ea nisi re integra.]

* Iustæ causæ sunt dolus, metus, læsio in pretio.

Læsus videtur venditor, & ei succurritur, etiamsi unus nummus dimidiæ parti justi pretii desit. *Dd. commun. ad l. 2. C. hic.*

Iustum pretium est, quo res æstimatur; unde & verum pretium vocatur. *d. l. 2.*

Res non æstimantur ex sua natura, nec ex alicujus affectione, sed ex communi hominum æstimatione. *l. pretia.* 63. *ff. ad leg. Falcid.* *

[Res integra dicitur, si nec res sit emptori tradita, nec pretium venditori solutum, nec datæ sint arrhæ. *l. 2. C. quand. lic. ab empt. rec.*]

127. Discedi ab emptione dicitur, cum mutuo contrahentium consensu infirmatur.

De periculo & commodo rei venditæ.

[COmmodum rei venditæ, & periculum, spectat ad emptorem perfectâ venditione. *l. 7. l. 8. ff. h. t.*]

* Perfecta intelligitur hic emptio cum de re & pretio convenit, & apparet id quod venit, quid, quale, quantum sit, ac purè venit. *l. necessariò.* 8. *in pr. vers. etsi id. hic.* *

128. Commodum rei venditæ est, cum augetur (puta alluvione): vel melioratur; ut vinum quod vetustius redditur.

129. Periculum est, eventus deteriorationis vel interitus; ut vinum acescere, vel effundi.

De actionibus empti, & venditi.

130. Actiones empti & venditi, sunt ex contractu emptionis & venditionis civiles.

* Utraque civilis est, *l.* 39. *de Ædil. edict.* bonæ fidei, *l.* 11. *hic.* perpetua, *Dd. in l.* 2. *C. de pact. int. empt. & vend.* transitoria, directa; quia contractus hinc inde æqualis est. Id est, uterque contrahentium agit ad id de quo contractus principaliter est initus. *

131. Actio empti, sive ex empto, datur emptori, *l. ex empto.* 11. *in princ.* contra venditorem; *l.* 6. *cum simili.* ut scilicet res empta ab eo tradatur, *d. l. ex empto.* §. *& inprimis.* unà cum fructibus ex die perfectæ venditionis, *l.* 3. §. 1. *l. Iulianus.* 13. §. *si fructibus. & Cod. eod. l. penult.* vel id quod sua interest, *l.* 1. *in princ. cum simil.* utrum, si res tradi possit, emptor malit, *vide tractatum de empt. nu.* 234. & si quid præterea ex bono & æquo præstandum est; *infr. de obl. & act. l.* 2. *in princ. &* §. *ult. & Inst. de oblig. ex cons. in princ. & in fine.* veluti ut instrumenta & fines fundi venditi exhibeantur. *l. Titius heres.* 48.

132. Actio

132. Actio venditi, sive ex vendito, datur venditori, *l. Iulianus.* 13. §. *ex vendito.* adversus emptorem, *d. l. dicto* §. ad pretium recipiendum, *d. l.* §. *veniunt. & Cod. eod. l. 6. l. fructus.* 13. *& de rei vindic. l. incivile.* 12. & si quid præterea ex bono & æquo præstandum est; *infr. de obl. & act. l.* 2. *in princ. &* §. *ult. & Instit. de obl. ex conf. in princ. & in fin.* puta restituendum quod plus debito fuit emptori præstitutum à venditore. *l. si quis à me.* 32. *& sup. de servit. præd. urb. l. si binarum.* 35.

Locati & conducti.

[EMptioni venditioni proxima est locatio conductio, & iisdem regulis constat. *Inst. pr. hic. l. 2. ff. eod.*]

133. Locatio & conductio est, contractus, *supr. de pact. l. 1. in fin. & l. 7. §. 1. & Inst. de jur. nat. §. sed jus quidem. vers. ex hoc jure.* qui solo consensu perficitur, *l. 2. & infr. de obl. & act. l. 2. in princ. & Inst. de oblig. quæ ex conf. in princ.* alicujus rei certa mercede, *l. 2. & Inst. eod. in princ. & §. 1.* faciendæ, *Instit. eod. §. item quæritur. & supr. depositi. l. 1. §. si quis servum. & infr. de præs. verb. l. 5. §. at cum do.* vel utendæ, sive fruendæ, causa. *l. ex conducto.* 15. §. 1. *l. si in lege.* 24. §. *colonus. l. si merces.* 25. *l. si fundus.* 33. *& Cod. eod. l. 6.*

* Fit locatio vel in perpetuum, si prædium ita locetur; ut quamdiu merces præstabitur, id auferre, nequidem à conductoris heredibus, liceat: *l.* 10. *C. hic.* vel ad tempus; vel breve, intra decennium; vel longum, quod ultra. *l. 1. & 2. ff. si ager vectig.* *

134. Merces, est pecunia, *Cod. hoc tit. l. si olei.* 21. qua factum, *Inst. eod. §. item quæritur.* vel

 rei

rei usus, seu fruitio, *l. si quis domum. 9. §. Imperator.* æstimatur.

[Interdum appellatur pretium. *l. 58. pr. l. fin. §. fin. ff. de l. Rhod.* Unde aliter hic, aliter in emptione pretium accipitur. Nempe in emptione ipsam rem æstimat; in locatione usum rei, vel factum; quatenus alterutrum in locationem venit.]

135. Locator est qui faciendum, [*puta sarciendum. Nempe & locantur operæ.*] vel utendum [*puta ædes.*] sive fruendum, *puta fundum.*] dat.

136. Conductor est, qui faciendum, vel utendum sive fruendum suscipit.

[Considera relatè, secundum ante dicta.]

137. Colonus est, conductor fundi. *supr. de acq. poss. l. res pignoris. 37.*

138. Inquilinus est, conductor ædium. *d. l. res pign.*

139. Redemptor (qui ergolabus vocatur. *Cod. de monopoliis. in rubr. & l. unic.*) est qui opus suis impensis faciendum conduxit. [*ut ædificium extruendum.*] *sup. de rei vindic. l. redemptores. 39. in princ.*

140. Actiones locati conducti, sunt ex locationis & conductionis contractu, *Inst. de locat. & cond. in princ.* civiles, *infr. de superf. l. 1. §. 1.* in id quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet. *infr. de oblig. & act. l. 2. in pr. & §. ult. & Instit. de oblig. ex cons. in pr. & in fine.*

141. Actio locati, datur locatori, *supr. tit. prox. l. Iulianus. 13. §. pen. & de lege Rhod. l. 2. in princ.* contra conductorem, *sup. de leg. Rhod. l. 2. in pr.* in id quod ex bono & æquo præstandum est; *sup. def. proxima.* veluti ut merces, de qua convenit, præstetur, *Cod. hoc tit. l. legem. 16.* si res utenda vel fruenda locata fuit; (*Cum enim ali-*

quid

quid locatur faciendum, locator mercedem solvit conductori: aliàs mercedem ab eo recipit. l. sed addes. 19. §. si quis mulierem. l. ea. lege 51. §. 1. & sup. de leg. Rhod. l. 2. in princ. & l. ult. §. depositi. l. 1. §. si quis servum.) & ut res post finitam locationem restituatur; alioquin reus in tantum damnetur, quanti Actor in litem juraverit; *l. si cui. §. 1.* vel non solum rem conductam, sed etiam æstimationem restituere cogatur; *Cod. eod. l. pen.* & ut æstimatio rei peremptæ, vel deteriorationis solvatur. *l. si quis domum. 9. §. si colonus est. §. imperator. l. videamus. 11. in princ. 1. item prospicere. & §. item qui vinum. & §. ult. l. item quæritur. 13. §. si quis mensuras. l. sed addes. 19. §. illud. l. si merces. 25. §. conductor. & §. culpa. l. qui insulam. 30. l. si vulneraveris. 43. l. qui domum. 57. & Cod. eod. l. in judicio. 28. & l. seq. & Instit. eod. §. pen. & sup. ad l. aquil. l. si servus servum. 27. §. si fornacarius. & §. Proculus.*

142. Actio conducti, datur conductori, *l. si conducto. 15. in princ. & Inst. eod. in princip.* contra locatorem, *supr. de l. Rhod. l. 2. in princip.* in id quod ex bono & æquo præstare tenetur. *supr. def. 136.* Ita ut hac actione modò petatur merces, *Cod. hoc tit. l. præses. 17.* modò mercedis in totum, vel pro parte remissio, *l. si quis domum. 9. in princ. l. si fundus. 33. l. perinde. 34. l. & hac. 35. in princ.* modò id quod interest, *l. sed addet. in princ.* modò pœna. *Cod. eod. l. si de fundo. 15.*

De æstimatoria actione.

[CONtractus omnes supra expositi sunt certi; sunt & quidam contractus incerti.

Incerti contractus sunt de quibus dubitatur ad quod genus referri debeant.

Incertus contractus est, veluti cum res æsti-

mata vendenda datur, ut is qui accipit, aut rem restituat, aut æstimationem.

Ex quo datur actio æstimatoria.]

143. Actio æstimatoria civilis, *alia est actio æstimatoria ædilitia, de qua dicetur infra sub tit. de ædilit. edict.* [*qua etiam vocatur quanti minoris, vide infra*] est actio præscriptis verbis, ex contractu incerto, ei competens, qui rem æstimatam vendendam dedit, ut res, vel æstimatio restitueretur, adversus eum qui accepit. *l. 1. in princ. & Inst. de act. actionum.*

De rerum permutatione.

144. PErmutatio est contractus, do ut des, innominatus, *l. 1. §. item emptio.* bonæ fidei. *Instit. de act. §. actionum.*

[Puta secundum Cujacium, dissentientibus doctoribus.

Refertur ad contractus innominatos; seorsim explicata, quia inter eas sola est bonæ fidei.

Secundum doctores permutatio est, quando species cum specie commutatur; *e.g. do tibi Stichum, ut des mihi Pamphilum*; ut interveniente genere sit contractus do ut des, *e.g. do tibi Stichum, ut des mihi bovem.*

Ex permutatione, ut & aliis contractibus innominatis oritur actio, qua agit is qui contractum implevit, contra eum qui non implevit, eaque vel condictio caussa dati, quâ repetit id quod dedit. *l. 5. §. 1. inf. eod.* vel actio præscriptis verbis.]

De

De præscriptis verbis & in factum actionibus.

[ACtio præscriptis verbis pluribus nominibus explicatur; vel ita dicitur generali appellatione, quæ omnibus actionibus accommodari potest; quatenus vetusto jure omnis actio habebat certas formulas, & certa præscripta verba: *de orig. juris. l.* 2. §. *deinde ex his.* vel postquam actiones ex contractibus nominatis proprias habent appellationes, speciatim attributa actioni proprio nomine carenti, & ortum ex contractu innominato habenti. *l.* 31. *princ. de mort. caus. donat.*]

145. Actio præscriptis verbis, *ut in h. rub.* sive in factum civilis, *l.* 1. §. 1. *l.* 5. §. *at cum do. vers. sed si dedi.* sive incerta actio. *l.* 6. *l. ob eam.* 9. *l. permisisti.* 16. *in princip. & supr. de pactis. l.* 7. §. *sed etsi in alium.* sive incerti condictio. *infr. de precario. l. duo.* 19. §. *ult. l.* 1. *l.* 5. §. 1. & 2. *& supr. de pact. d. l.* 7. §. *sed etsi in alium.* est actio civilis ex contractu innominato, 1. *ex contractu do ut des. l.* 5. §. 1. *vel do ut facias. d. l.* 5. §. *at cum do. vel facio ut facias. d. l.* 5. §. *pen. sed ex conventione facio ut des, non agitur præscriptis verbis, sed de dolo. d. l.* §. *quod si faciam.* vel incerto, *sup. de æstimat. act. l.* 1. *in princ.* vel nominato pactione informato, *supr. de contrah. empt. l. Labeo.* 50. *& de rescind. vendit. l.* 6. *& Cod. de pact. inter empt. l.* 2. competens.

146. Contractus est, conventio causam adjunctam habens. *supr. de pact. l.* 1. §. *sed & si in alium.*

[Esse vel nominatum, talesque jam explicatos; vel innominatum, jam dictum.]

147. Contractus nominatus est, qui habet nomen

 men

men significans conventionem & causam, quia nominatim ex eo lex duodecim tabularum actionem dedit.

148. Causa est, vis pariendæ civilis obligationis, & actionis, facto à jure tributa.

149. Contractus innominatus est, qui nomine caret; veluti, facio ut facias; vel cujus nomen significat solum conventionem, non etiam causam, ut permutatio. Quia nominatus non fuit in l. 12 tab. sed ex eo civilis actio datur per interpretationem Iurisconsultorum, quatenus est alicui nominato similis; ut, do ut des, & permutatio est similis emptioni: do ut facias, locationi: facio ut facias, mandato. *l. 5. hic.*

150. Actio in factum, civilis, quæ non ex verbis, sed ex mente & interpretatione legis competit, ut actio præscriptis verbis, *l. 1. & 2.* & utilis Aquilia. *sup. ad l. Aq. l. item si obstetrix. 9. & l. quidam. 29. §. penult.* Nam omnis actio in factum dici potest utilis, & retrò omnis actio utilis potest dici in factum.

151. Actio in factum prætoria est, quæ à prætore datur.

152. In factum edictalis est, quam prætor in edicto pollicetur; ut de calumniatoribus, *sup. de calumniat. l. 1. in princ.* dejectis, vel effusis. *supr. de his quæ effud. vel dejec.* & aliæ quamplurimæ. *l. 1. §. hoc in factum.*

153. In factum decretalis est, quam prætor pro tribunali ex bono & æquo, cessantibus omnibus juris scripti remediis, tribuit. *sup. de pact. l. 7. §. sed & si in alium.*

LIBER

LIBER QUARTUS

Ex quarta parte Digeſtorum.

De pignoribus, & hypothecis, & qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.



Ignus & in genere & in ſpecie accipitur. In genere continet antichreſin, fiduciam, pignus, hypothecam.

Antichreſis eſt, pactum ut creditor vice uſurarum fructus pignoris percipiat. *hic. l. 1. l. ſi is qui bona. 11. §. 1. ſup. de pign. act. l. ſi pecuniam. 33. l. ſi ea pactione. 14. l. ſi ea lege. 17. Cod. de uſur.*

Seu Antichreſis eſt, poſſeſſio rei utenda data creditori, pro pecuniæ debitæ uſu. *d. l. 11. §. 1. exempla ſunt in d. l. 14. l. 17.*

Fiducia eſt, quod creditori mancipatur, aut in jure creditur, eâ lege, ut ſolutâ ad diem pecuniâ, remancipetur, non ſolutâ creditori pleno jure committatur; id eſt, lege commiſſoria. *l. cum & ſortis. §. ult. de pignor. act. Cujac. in princ. ad lib. 2. ſent. Iul. Paul. tit. 3.*

Pignus in ſpecie (dictum à pugna) eſt, quod creditori traditur; præſertim ſi rei ſit mobilis.

Hypotheca eſt, cujus poſſeſſio ad creditorem transfertur: præſertim ſi ſit res immobilis. *l. 4. §. pignus. ff. eod. l. 238. §. pignus. de V. S. §. item Serviana. Inſt. de action.* *

2. Pignus vel hypotheca (hoc loco promiſcuè accipiuntur. *l. 5. §. 1. & Inſt. de act. §. item Serviana.* Etſi propriè loquendo differant, *d. §. item Serviana. & ſup. de pignor. act. l. 9. §. propriè. & infr.*

i fr. de verb. sig. l. plebs. 238. §. *pignus.*) est res quæ creditori obligatur in rei creditæ securitatem. *d.* §. *item Serviana. vers. nam pignoris.*

3. Item pignus, seu hypotheca est, conventio de re creditori obliganda. *supr. de pact. l.* 1. *in fin.*

* Est & in genere pignus, vel prætorium, vel judiciale, vel conventionale.

Conventionale; cum sine ulla rerum notatione generaliter res omnes, quæ quis habet, aut quas habiturus est, obligantur. *l.* 2. *C. l.* 1. *l. & quæ.* 15. §. 1. *ff. hic.*

Speciale cum specialiter & nominatim certæ res pignori opponuntur. *d. l.* 1. §. 1. *l. fidejussor.* §. *ult. eod.* *

[Ratione pignoris constituti duplex jus est, unum illud persequendi, alterum distrahendi. Ad ejus persecutionem duplex datur actio; puta Serviana directa, & utilis, etiam quasi Serviana dicta.]

4. Actio Serviana, seu hypothecaria, *Inst. de act.* §. *item Serviana.* seu vindicatio pignoris, *l. si fundus.* 16. §. *in vindicatione. & l. si legati.* 28. à prætore datur, *Instit. d.* §. *item Serviana.* directa verbis edicti, locatori fundi, cui res coloni pignori nexæ sunt. Utilis, per interpretationem & productionem edicti, cuivis creditori pignoratitio, *infr. de Salvian. interd. d. l.* 2. *& Cod. de procur. l.* 1. *& Instit. de act. d.* §. *item Serv.* contra quemcunque pignoris possessorem, & contra eum qui dolo malo fecit quo minus possideret; *dicta l. si fundus.* §. *in vindicatione.* ut res pignori obnoxia, arbitrio judicis, *Inst. de act.* §. *præterea.* restituatur, *Cod. de pact. pign. l.* 2. *& inf. de evict. d. l. si cum venditor. in princ.* unà cum fructibus si vel extent, vel post litem contestatam consumpti sint, & res principalis ad satisfaciendum

dum creditori non sufficiat. *d. l. si fundus & interdum.*

5. Lex commissoria in pignore, est pactum, ut nisi debitor sua die debitum solvat, pignus creditori emptum sit. Quod pactum non valet. *Cod. de pact. pignor. l. ult.* etiamsi jurejurando confirmatum, *ext. hoc tit. cap. penult.* Nisi adjectum sit, ut emptum sit justo pretio ea die æstimandum, *l. si fundus.* 16. §. *ult.* De lege commissoria in venditione, dictum est lib. 3. defin. 125.

In quibus causis pignus, vel hypotheca tacite contrahitur.

[Pignus est, vel expressum, vel tacitum.

Expressum pignus est, quod expressa hominis voluntate constituitur, sive unius, sive plurium.]

6. Tacitum pignus, seu tacita hypotheca est, quæ juris præsumptione inducitur inter eos, qui de pignore, sive hypotheca expresse non convenerunt. *tot. tit. hic.*

[Vel tacitum pignus est, quod ex dispositione legis, & præsumpta modò voluntate hominis constituitur.]

* Vel; Tacitum pignus est, quod licet expressa partium conventione non sit constitutum, tacitâ tamen pactione pignori inesse nihilominus creditur. *l. 3. C. hic.*

Constituitur à lege; ob singularem favorem seu privilegium; & quidem vel personam creditorum, vel ipsam crediti causam spectans. Ita quidem ut sine ullo hominis facto, occasione tamen facto aliquo hominis ei datâ, inducatur. Unde legitimum & legale dicitur.

Respectu creditoris personæ tacitum pignus lex concedit; fisco, mulieri, pupillo, minori 25 annis. Con-

Contemplatione rei & causæ debendi constituitur à lege tacitum pignus; in fructibus rei oppignoratæ, in dote, in causa legatorum, in insula, in invectis & illatis in prædium locatum. *Vide Method. meam Codic. Enarr. h. tit.*

Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non possunt.

NOnnullæ res sua natura, nonnullæ ipso jure, nonnullæ lege, pignoris nexum respuunt.

Sua natura; alienæ, *l.* 15. §. *quod dicitur. de pignor. l.* 54. *de R. I.* sacræ, religiosæ, *l.* 3. *C. hic.* universitatis, *l.* 1. §. 1. *de rer. divis.* liber homo. *l.* 5. *C. hic.*

Ipso jure; servitutes, *l. 6. C. de usufr. l.* 11. §. 9. *cum l. seq. de pignor.* nomina; *l.* 7. *C. de hered. vel act. vend. l.* 4. *C. hic.*

Lege; fundi dotales, *tit. de fund. dot.* litigiosæ, *l.* 1. §. *ult. hic.* res minorum, *l.* 1. *C. de præd. & al. reb. min.* Spes præmii athletici, *l.* 5. *C. hic.* instrumenta agriculturæ. *l.* 7. *C. eod.* *

Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur.

[QUia verò eadem res sæpe pluribus obligatur, notandum, si plures idem pignus persequantur, non æquo jure concurrere; sed hos illis esse potiores.]

7. Potior creditor est, qui privilegii, vel temporis ratione, aliis creditoribus in pignore vel hypotheca præfertur.

8. Privilegium est, prærogativa, seu prælatio, jure tributa favore personæ; ut *mulieris*, vel causæ; ut *reparati ædificii*.

9. Ra-

9. Ratione temporis potior est creditor anterior posteriore. Nisi privilegium posteriorem anteriori præferat; Nam major est vis privilegii, quam temporis.

[Quo cessante firma est regula, quod creditor prior præfertur posteriori, etiamsi prior generalem habeat hypothecam, posterior specialem. *l. 2. ff. l.* 6. 8. *C. eod.*

Creditor privilegiatus adversus privilegiatum non utitur suo privilegio; unde & isto casu qui prior est tempore, potior est jure. *l.* 7. *l. ult.* §. *exceptis. Nov.* 91. *C.* 1. *Exceptiones vide in Isagoge auctoris hic.*

Qui potiori solvit, vel saltem debitum obtulit, & eo accipere nolente obsignato deposuit, ejus locum obtinet. *l.* 11 §. *ult. l.* 2. §. *à Titio. ff. & l.* 5. *C. eod.*]

De distractione pignorum, vel hypothecarum.

[DIstrahendi, seu vendendi pignoris jus competit creditori, debitore non solvente, nec aliter ei satisfaciente.

Vendit autem pignus creditor, vel jure communi, vel jure creditoris.]

10. Iure creditoris pignus vendere dicitur, qui non tanquam rem suam, sed tanquam rem alienam sibi pignori nexam vendit. *ff. l. etsi.* 10. *& l. pen. & Cod. Creditorem evictionem pignoris non habere. l.* 1.

11. Iure communi creditor pignus vendit, cum rem sibi pignoratam vendit, quasi suam.

Qui-

Quibus modis pignus, vel hypotheca solvitur.

12. Pignus, vel hypotheca solvi dicitur, cum res ab obligatione pignoris, quo nexa erat, liberatur.

[*Modos solvendi pignoris vide apud Wesenb. h. t.*]

De Ædilitio edicto, & redhibitione, & quanto minoris.

13. Ædilitium edictum, est juris honorarii pars, *Instit. de jur. nat. gent.* §. *praetorum*. quâ Ædiles Curules de quibusdam causis edicunt; *l.* 1. §. 1. ut de mancipiorum & jumentorum venditione, *l. Ædiles aiunt.* 36. *in princ.* & de animalibus, quæ aliquis, quâ vulgo iter fit, ita habet, ut alicui nocere possint. *l. hi enim.* 40. *ll. seqq. & Instit. si quadrup.* §. *ult.*

14. Morbus est, habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus ad id facit deteriorem, cujus causa natura nobis ejus corporis sanitatem dedit; sive hoc in toto corpore accidat, ut febris; sive in parte, ut cæcitas. *l.* 1. §. *sed sciendum.*

* Vitium est, si, integra valetudine corporis, quæ sit unius partis alicujus corruptio, pravitas ea, quæ nec ex imbecillitate ejus partis nascatur, nec ejus partis usum auferat; puta, quis sit blæsus, balbus, equus calcitro, mordax.

Locum habet etiam hoc edictum si, adversus quam dictum promissumve fuit, quod ejus præstari oporteat, factum fuerit. *d. l.* 1. §. 1.

Dixit; qui de aliquo affirmavit, quasi ei adesset, aut abesset. *l.* 19. §. 1. *l.* 17. §. *fin. hic.*

Pro-

Promisit; qui non dixit solum, sed etiam pollicitus est, affuturum, aut spopondit. *d. l.* 19. §. 2. *

15. Noxa solutus servus dicitur, cujus nomine dominus non tenetur actione noxali. *l. quod si fugitivus.* 17. §. *quod aiunt.*

16. Redhibere est, facere ut rursus habeat venditor quod antea habuerat. *l. redhibere.* 21. *in princip.*

17. Actio redhibitoria, *l.* 1. §. 1. *l. cum autem.* 23. ædilitia in factum, *l. quod si nolit.* §. *si quid ita.* datur emptori contra venditorem, *dicta l.* 1. §. 1. *&* 2. *l. sciendum tamen.* 19. *l. deinde. & Cod. de ædil. act. l.* 2. ut rescisso contractu, *l. Ædiles aiunt.* 38. *in princ. l. facta.* 60. pretium solutum sibi ab eo restituatur cum usuris, *d. l. cum autem.* 23. §. *quare. l. Ædiles etiam.* 25. §. *ult. l. debet. l.* 27. *l. illud.* 29. §. *penult. d. l. quod si nolit.* §. *in factum. l. si plura.* 36. *l. cum in ea.* 59. *in princ. & Cod. de ædilit. act. l.* 1. vel à pretii solvendi obligatione liberetur, *d. l. illud.* §. 1. & si quid in re impendit, vel aliter sibi ejus rei causa abest, *l.* 1. §. 1. *vers. item si quis accessiones. d. l. rem. à* §. 1. *&* §. *quare. d. l. debet. d. l. illud.* §. *pen. l. item si servi:* 30. §. 1. *& infr. de fructib. l. servi.* 77. §. *cum a.* sibi reddatur: Et invicem venditori contra emptorem, *d. l. item si. in princ.* ut sibi ab eo res vendita cum accessionibus, *l.* 1. *vers. si quid autem. l. cum a.* 23. §. 1. *&* §. *ult. l. generali ter.* 24. *l. ædilis &.* 25. §. *item sciendum. &* §. *ult. l. quod si nolit.* 31. §. *si ancilla.* §. *si peculium. &* §. *restitui. l. proinde.* 33. *in fine. l. bovem.* 43. §. *si quis servum. & supr. ad l. Aquil. l. item Mela.* 11. §. *si in eo.* & damni, si quod datum est, æstimatio, arbitrio facienda, præstetur. *d. l.* 2. §. 1. *vers. si quid autem. d. l. cum autem. in pr. d. l. Ædilis etiam. in princ. d. l. quod si nolit.* §. *quod*

quod in procuratore. §. *Pædius*. Quia invicem reddenda sunt, quæ propter venditionem tradita fuerunt: & primò restituit emptor, postea venditor. *l. illud*. 29. *in princ*. & *l. si servus*. 57. *in princ*.

18. Actio quanto minoris, *l. si quid venditor*. 18. *in princ. l. sciendum*. 19. §. *ult. l. quod si nolit*. 31. §. *si venditor*. & §. *si quis egerit*. *l. bovem*. 43. §. *aliquando*. & *Cod. de adilit. act*. *l.* 2. vel quanti minoris, & *in hac rub*. & *l. Ædiles aiunt*. 38. §. *si forte*. & *infr. tit. prox. l. quia dicitur*. 32. §. 1. & *de except. rei judic. l. si is qui*. 25. §. 1. sive æstimatoria Ædilitia, *d. l. si quid venditor. in princ. d. l. bovem*. §. *aliquando*. *l. justissimè*. 44. §. *ult. l. si tamen*. 48. §. *non nocebit*. (alia est actio æstimatoria, de qua dictum fuit sup. *de æstimat. act. part*. 3. *def*. 143.) datur emptori. *d. l. cum autem*. 23. *si servus*. & *l. Ædiles aiunt*. 38. *in princ*. contra venditorem, *l. si quid venditor*. 18. *in princ*. *l. si tamen*. 48. §. *non nocebit*. *l. quoties*. 61. *l. Labeo*. 64. *in princ*. & *infr. tit. prox*. *l. quia dicitur*. 32. §. 1. & *de except. rei jud*. *l. si is qui*. 25. §. 1. ut rei emptæ pretium minuatur, facta per judicem æstimatione, quanto minoris empta res fuisset, si ejus qualitatem emptor non ignorasset. *l. quoties*. 61.

* Actio in factum, *l.* 42. *hic*. datur in eum, qui ullum, quod nocere posset animal, solutum ligatumve, qua vulgò iter fit, habuit, ita ut damnum dare possit, *l.* 40. *cum ll. seqq. eod*. si liber homo ex eo perierit, in solidos ducentos; si rei tantum nocitum, in quantum bonum & æquum judici esse videbitur: ceterarum rerum quantum damnum datum, in duplum. *d. l.* 42.*

De

De evictionibus, & dupla stipulatione.

19. EVincere est rem per judicem auferre, *l. non tamen.* 24. quovis judicii genere. *l. si mancipium.* 34. §. 1.

[Evictio est, rei nostræ, quam adversarius legitimo titulo acquisiverat, per judicem facta recuperatio. *l.* 24. *l.* 56. *& seq. hic.*

Habet locum in omni contractu quo per titulum onerosum quid acquiritur. *vid. Enchirid. nostrum. hic.*]

20. Duplæ stipulatio est, repromissio, *l. emptori duplum.* 47. §. 1. de servo vendito, ædilitia: (quia edicto Ædilium interponi jubetur:) de rebus pretiosis, quasi ædilitia; (quia ex consuetudine interponitur:) de aliis rebus, conventionalis (quia pro libitu interponitur, vel omittitur) quâ venditor promittit, si res emptori evincatur, se pretii duplum ei restituturum.

De exceptione rei venditæ, & traditæ.

21. EXceptio rei venditæ, & traditæ, datur emptori, & ejus heredi, *l. ult. in princ.* contra venditorem, qui per se, *l.* 1. *in princ. & sup. tit. prox. l. vindicantem.* 27. vel per alium, *sup. de publ. in rem act. l. Papinianus.* 14. rem vendidit & tradidit, & contra eum qui à venditore causam habet; ut heredem, *dicta l.* 1. §. 1. *d. l. ult.* §. 1. *& sup. tit. prox. l. Seia.* 73. *& Cod. l. sive.* 14. vel pro venditore fidejussit. *argumento. d. l. ult.* §. 1.

[Oppositâ eâ repellitur is qui fundum alienum vendidit, & emptori tradidit, & suum postea fa-

ctum repetit; ejuſdemque ſucceſſor, puta filius, domum ſuam, à matre forte venditam & traditam, poſtea vindicans. *l. cum à matre. C. de vend. Weſenb. par. hic.*]

De uſuris, & fructibus, & cauſis, & omnibus acceſſionibus, & mora.

[Accedere implemento contractus, ſortique ſolent uſuræ, fructus, aliaque.]

22. Sors eſt, quod principaliter debetur, cui uſura accedit.

* Conſiſtit ſors in quantitate, id eſt, vel in pecunia numerata, *l.* 15. *cum ſimil. C. hic.* vel in corporibus quantis, ut auro, argento; *l.* 25. *C. eod.* vel in ſpeciebus, ut frumento, oleo, aliiſve fructibus. *l.* 23. *C. eod.*

Uſura propriè dicitur, cum ejuſdem eſt generis, cujus eſt ſors; ut cum oleum accedit oleo, frumentum frumento, *d. l.* 23. pecuniæ numeratæ nummus. *l.* 2. *cum ſimil. C. eod.*

Si diverſi eſt generis, ut ſi pecuniæ accedat triticum, *l.* 16. *C. eod.* impropriè uſura dicitur. *

23. Uſura eſt, additamentum, *Cod. hoc tit. l. frumenti.* 12. *l. oleo.* 23. *l. eos.* 26. *in princ.* pecuniæ ad debitam ſortem generis, *Cod. eod. l. ſi ea pactione.* 14. *l. cum non frumentum.* 16. vel pretium, ſeu merces abuſus alteri conceſſi.

24. Pecunia, hoc loco eſt, res quæcunque numero, menſura, vel pondere conſtans. *dicta l. frumenti. d. l. oleo.* 23.

25. Abuſus eſt, uſus rei, quæ utendo conſumitur; ut vinum, frumentum: aut quaſi conſumitur; ut pecunia numerata.

26. Anatociſmus eſt, uſurarum in ſortem converſio; ut uſurarum uſuræ præſtentur. Quæ con-

conventio jure prohibita est. *Cod. ex quib. caus. infam. irroget. l. improbum.* 20.

27. Usura centesima est, cum centesima pars sortis solvitur singulis mensibus, proinde duodecim pro centum in singulos annos. *sup. de reb. credit. l. lecta.* 40.

Ab hac aliæ usurarum species denominantur, ut partes à toto; habita tamen anni, non mensis, ratione.

28. Deunx est, cum annuatim solvuntur undeni in centenos aureos.

29. Dextans, cum solvuntur decem pro centum in singulos annos.

30. Dodrans, cum novem pro centum in singulos annos.

31. Bes, duas tertias centesimæ partes continet, ita ut octo pro centum in annos singulos præstentur.

32. Septunx est, cum septem pro centum singulis annis solvuntur.

33. Semis, seu semissalis est, dimidia pars centesimæ; ita ut singulis annis solvantur sex pro centum.

34. Quincunx præstat quinque pro centum in annos singulos.

35. Triens est, tertia pars centesimæ, id est, quatuor pro centum in annos singulos.

36. Quadrans est, quarta pars centesimæ; ita ut singulis annis pendantur tres pro centum.

37. Sextans est, sexta pars centesimæ, id est, cum singulis annis solvuntur duo pro centum.

38. Unciaria est, duodecima pars centesimæ; nempe cum unus aureus in centenos singulis annis præstatur.

* Usura est, vel lucratoria, vel compensatoria, vel punitoria. *

39. Usura lucratoria, seu fœnus, est usura, quæ propter lucrum creditoris debetur. *Infr. de reb. credit. l. præsidis.* 24. *& infr. de leg.* 3. *l. si fundus.* 44. *l. si ita legatum.* 86.

* Vel, quæ ex mero mutuationis officio, contra contractus naturam, lucrum facit. *

40. Usura compensatoria est, quæ ideò debetur, quia creditoris interest sua pecunia non carere quam mutuo dedit. *sup. pro socio. l. cum qui.* 60.

41. Usura punitoria, seu pœna est, quæ propter culpam, id est, moram debitoris præstatur. *l. cum quidam.* 17. §. *si pupillo. & sup. de reb. credit. d. l. lecta.*

* Ab usuris differunt annui reditus.

Sunt annui reditus, cum magnâ aliquâ pecuniæ summâ collectâ, ne ea pereat, fructuve careat, collocatur; ita ut quamdiu ea pecunia apud suscipientem residebit, tamdiu ille quoquo anno certam pensionem, pro ea solvat.

Fructus propriè omne id quod fertur, dummodo renasciturum, significant. *l.* 7. §. 13. *ff. solut. matr.* ἐν πλάτει, eo nomine quælibet rei fruitio & utilitas venit. *l.* 72. *de R. I. l.* 24. *l.* 18. *l.* 12. *de usufr. l.* 34. *l.* 36. *hic.* *

42. Fructus naturales sunt, qui ex terra, *l. qui scit.* 23. *& sup. de usuf. l. arbor.* 12. §. *ult.* vel his quæ radicibus è terra alimentum trahunt, *sup. de usufr. leg. & usufr. l. pen.* vel pecoribus & jumentis, *l. in pecudum.* 28. *in princ. & Inst. de rer. divis.* §. *in pecudum.* (non ex ancilla, cujus partus non est in fructu) percipiuntur, *d. l. in pecud.* §. 1. *& Inst. d.* §. *in pecud. & supr. de heredit. l. ancillarum.* 27. & vel certo, ut poma, uvæ, vel incerto, ut fœtus, tempore renasci solent. *infr. solut. matrimon. l.* 7. §. *si vir.*

43. Fructus merè naturales sunt, qui sponte sua,

sua, sine hominum labore & industria proveniunt; ut herba, & poma.

44. Industriales sunt, qui curam & industriam humanam requirunt; ut segetes.

45. Fructus stantes seu pendentes sunt, qui nondum separati sunt à re cujus sunt fructus; ut poma in arbore pendentia.

46. Extantes sunt, percepti, nondum consumpti.

47. Consumpti dicuntur, qui in rerum natura esse desierunt.

48. Neglecti, seu percipiendi sunt, qui cum percipi possent, per negligentiam perierunt.

49. Futuri sunt, qui in posterum sperantur.

50. Fructus civiles sunt, qui non natura, sed jure percipiuntur; *sup. de rei vind. l. si navis.* 62. *in princ.* id est, non ex re, sed propter rem, ut usuræ, vecturæ. *l. usura.* 34. *l. prædiorum.* 36. *& sup. de heredit. petit. l. mercedes.* 29. *in princ. & infr. de legat.* 3. *l. quid his verbis.* 83. *in princ. & de donat. l. cum de modo.* 11. *& de verb. sign. l. usura.* 121.

51. Causa est, omnis utilitas quæ circa rem spectatur; sive in re insit, ut bonitas, salubritas; sive ex re proveniat, ut fœtus & ancillæ partus. *l.* 2. *hic.*

52. Accessio est, quidquid rei principali adjungitur; ut fructus, ancillæ partus, fundi peraccretio per servum quæsita, ususfructus ad proprietatem revertens.

53. Mora est, culpa debitoris non solventis quod debet; vel creditoris non accipientis, quod sibi offertur.

De Nautico fœnore.

54. FOenus nauticum est, usura lucratoria pecuniæ trajectitiæ.

55. Pecunia trajectitia est, quæ trans mare vehenda creditur periculo creditoris. *l.* 1.

De probationibus & præsumptionibus.

[POst contractus ipsos rectò tractantur eorum probationes.]

* Probandi vox ambigua est, quandoque denotat idem quod tentare, explorare: ut *probare amicos, aurum*; quandoque significat aliquid probum judicare, cujus contrarium improbare: quandoque denotat id, quod in dubium vocatur, verum esse ostendere; ut hic.

Est probare, plenam fidem rei gestæ in judicio facere. *

56. Probatio est, actus judiciarius, per quem de re dubia & controversa fides judici fit. *Cod. hoc tit. l. cum precib.* 18. *& de condict. ob turp. caus. l.* 1. *& de testib. l.* 5. *l. si quando.* 19. *& quando dies legat. ced. l.* 1.

[Est vel propria, vel impropria. Propria vel simplex, vel mixta.]

57. Probatio simplex est, quæ uno modo fit, ut per testes, vel per instrumenta.

58. Probatio mixta est, quæ fit per diversos modos simul junctos: quorum quilibet per se est imperfectus, sed omnes simul plenè probant; ut per privatam adnotationem, & alia adminicula. *Cod. hoc tit. l.* 5.

[Item probatio propria est, vel plena, vel semiplena, vel semiplena minor.]

59. Plena

59. Plena est, quæ per se sufficienter probat, ut per testes, vel instrumenta.

60. Semiplena est, quæ per se sufficienter non probat, nisi aliis adminiculis juvetur, sed judicem inducit ad deferendum jusjurandum; ut probatio per scripturam privatam, *Cod. hoc tit. l.* 5, 6, 7. vel per unum testem, *gloss. & doct. in l. admonendi. supr. de jurejur. & in l.* 3. *Cod. de reb. cred. specular. hoc tit.* §. 11. 18.

61. Probatio minor, quandoque semiplena est, quæ non solum non sufficit ad reum condemnandum, sed ne quidem sufficit ad hoc ut judex deferat jusjurandum: veluti si egenus dicatur pecuniam mutuatus, quia cum fœneratore versatur.

62. Probatio impropriè dicitur, quæ relevat ab onere probandi; ut indicia, *Cod. hoc tit. l. si de possessione.* 20. *l. ad probationem.* 21. *l. ult. & de rei vind. l. judicia.* 19. *& de jure dotium. l. cum citra.* 15. *& arbitr. tutel. l. si defunctus.* 10. sive argumenta, *Cod. de testib. l.* 2. *& quor. appell. non recip. l.* 2. confessio adversarii, *sup. de interrog. in jur. fac. l.* 1. §. 1. *& infr. de pœn. l. qui sent.* 16. jusjurandum, *supr. de jurejur. l. sed si possessori.* 11. §. *ult. l. eum qui.* 30. *in princ.* inspectio judicis, *sup. de minorib. l. minor.* 32. *& finium. reg. l. si irruptione.* 8. *& Cod. de feriis. l.* 2. evidentia facti, 11. *qu.* 1. *c. de manifesta. & extra, de restit. spoliat. cap. cum ad sedem.* 15. *& de accusationib. cap. evidentei.* 19. fama, cum aliis adminiculis, *infr. de testib. l.* 3. §. *ejusd. &* 10. *qu.* 3. *c. ult.* §. *item sape. fit. & ibi gloss. in verf. fama. & extra, de appell. c.* 1. *ubi gloss. in verf. famam.* firma præsumptio. (*i. necessaria vel probabilis, de quibus mox dicemus.*)

63. Præsumptio est, opinio aliquo argumento suffulta, de re incerta non probata. Eodem

sensu interdum vocatur suspicio. *extr. de præsumt. C. litteris.* 12.

[Est vel necessaria, vel probabilis, levis, vel levissima]

64. Præsumptio necessaria (quam doctores vocant juris & de jure), est ea secundum quam omnimodò judicatur, non admissa contraria probatione.

65. Probabilis est (quam doctores præsumptionem juris appellant), cui standum est, nisi contrarium probetur.

66. Levis est, quæ per probationem semiplenam inducitur.

67. Levissima est, quæ per probationem semiplenâ minorem inducitur.

* Affinis præsumptioni juris & de jure est fictio. *Gl. in l. fin. in pr. ad verb. præsum. sup. de eo quod met. caus.*

Quæ est legis, adversus veritatem, in re possibili, ex justa causa, ~~dispositio~~ dispositio, *Bald. & Dd. in l. si is qui. de usucap.* adversus quam probare non licet. *

De fide instrumentorum & amissione eorum.

[INstrumenti significatio varia. Significat enim organum: ut malleum dicimus instrumentum fabri. Item]

68. Instrumentum est, omnis probatio judicem instruens. *l. 1. & infr. de verb. sign. l. notionem.* 99. §. *ult.*

69. Item instrumentum est, scriptura probationis ergo facta. *supr. de judiciis. l. exigere.* 65. *& Cod. de dilat. l. 1. & de contrah. stipul. l. optimam.* 14.

70. Præterea instrumentum est, scriptura continens

tinens aliquam conventionem à rationibus, *supr. de edendo. l.* 11. §. *editiones.* & à testamento, *Cod. de transf. l. sub prat. instr.* 19. *l.* 6. *sup. eod.* distincta.

71. Ad hæc instrumentum est, scriptura publica. *Cod. de jurejur. propter calumn. l.* 1. *& qui pot. in pign. hab. l. scripturas.* 11. *& Clem.* 11. *& Clement.* 1. *de procuratorib.*

72. Publicum instrumentum est, quod habet publicam auctoritatem, quia vel à persona publica, vel jussu personæ publicæ factum est. *extra de probat. c. quoniam.* 11.

73. Acta seu gesta sunt, quæ ab actuario, qui judici seu. Magistratui inservit, descripta sunt.

74. Scriptura censualis, seu census, vulgo cadastrum, est civium, *infr. de censib. l.* 3. *in princ.* & bonorum ad eos pertinentium publica descriptio, ut pro capite, vel pro modo patrimonii, *infr. eod. l.* 4. tributa præstentur, & munera obeantur; nisi quem ætas, vel alia causa immunem faciat. *infr. eod. l.* 3. *in princ. l. ult.* §. *divus. & sup. de pactis. l. inter.* 42. *& l. epistola.* 52. §. *pactum. & de Ann. legat. l. liberto.* 21. §. *ult. vers. à te peto. & de usu & usufr. leg. l. generali.* 32. §. *ult. vers. item quæsitum.*

75. Privatum instrumentum est, quod privata auctoritate factum est.

76. Calendarium est, codex privatarum rationum.

77. Authenticum, seu autographum est, quod per se est perfectum, & probat, nec ab alia scriptura pendet.

78. Scheda est, per quam prima quasi lineamenta ducuntur, ut inde authenticum facilius conficiatur. Italicè *Schizzo*, Gallicè *breüillart.*

79. Exemplum est, quod descriptum est ex authentico.

80. Index est, qui authentici sententiam brevius conceptam continet.

81. Adnotatio, seu subnotatio est, qua nonnulla notantur memoriæ causa; ut debitorum nomina & debitæ quantitates.

82. Chirographum, seu Idiochirum, seu syngrapha, *Cic. lib.* 7. *ep.* 17. vel syngraphus, *Plaut. in Asina. act.* 9. *scen.* 1. vel epistola, *sup. deposit. l. publica.* 26. §. *ult. d. sup. de reb. credit. l. lecta.* 40. *in princ.* vel cautio (Gallicè, *une cedule*), est scriptura manu debitoris, facta obligationis probandæ causa. *Cod. hoc tit. l. comparationes.* 20. *& qui pot. in pig. hab. l. scripturas.* 11.

83. Apocha (Gallicè, *quitance*), est scriptura, qua creditor fatetur se accepisse quod sibi debebatur. *C. si cert. petat. l. ult. ff. de testib. l. testium.* 18. *ff. de non numer. ead. pecun. l. in contract.* 14.

84. Antapocha est, qua debitor fatetur se solvisse. *ff. h. tit. l. plures.* 19.

85. Autochirum, seu holographum est, quod totum sua manu is scripsit ad quem res pertinet.

86. Heterochirum est, quod aliena manu scriptum est.

87. Mixtum est, quod partim propria, partim aliena manu scriptum est: ut cum testator in testamento aliena manu scripto sua manu heredis nomen adscribit. *Cod. de test. l. solemus.* 19.

[Scriptura interponitur vel solennitatis causa, *l.* 4. *ff. hic.* vel probationis tantum.]

88. Scriptura probationis causa facta dicitur, cum ea omissa actus valet; sed ea facilius probatur; ut instrumentum locationis vel hypothecæ. *l.* 4. *& sup. de pignor.* 4.

89. Scri-

89. Scriptura solennitatis causa adhibita dicitur, sine qua actus non valet: ut testamentum solenne.

De testibus.

90. TEstis est, qui de aliquo facto controverso testimonium dicit; vel alicui actui adhibetur, ut de eo possit, quandocunque opus erit, testimonium dicere.

91. Testimonium, *l.* 3. §. *idem. l. inviti testimonium.* 8. *l. quæsitum.* 13. *l. repetundarum.* 15. *l. inviti testim. non dic.* 19. *in princ.* seu attestatio, *Extr. de testibus. & attestat.* est ipsius testis assertio.

De juris & facti ignorantia.

[EST & vice probationis præsumptio ignorantiæ; quia ab onere probandi relevat. *l.* 21. *de probat.*

Ignorantia est duplex; juris & facti.]

92. Ignorantia juris est, cum id nescitur quod est jure constitutum: ut minorem 14 annis non posse facere testamentum.

93. Ignorantia facti est, cum id nescitur quod in facto consistit: ut, testamentum factum esse.

[Utraque est tripartita; Aut enim est error, aut dubitatio, aut ignorantia propriè dicta.]

94. Error est, opinio veritati contraria.

95. Dubitatio est, cum quis animi pendet in neutram partem persuasus.

[Ignorantia propriè dicta puræ negationis ignorantia dicitur.]

96. Ignorantia puræ negationis est, cum quis nullam

nullam rei notionem habet: ut quia se absente & ignorante negotia gesta sunt.

De sponsalibus.

[Contractus rerum sequuntur contractus personarum; inter quos primum locum obtinent sponsalia.]

97. Sponsalia, sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum. *l.* 1. *hic.*

* Qualia jus civile tantum agnoscit.

De jure canonico sunt duplicia; vel de futuro, vel de præsenti.

De futuro sunt, cum verba in futurum tempus concipiuntur; nec continent in se consensum purum & absolutum, sed cum tractu temporis; ut, *Ego te in uxorem accipiam*; aut arrhæ tantummodo dantur. *l.* 3. *C. hic.*

De præsenti; cum verba in præsens tempus concipiuntur, & purum absolutum & præsentem consensum continent. ut, *Ego te in uxorem accipio. c. pen. Ext. hic.* *

[Accipiuntur etiam pro arrhis sponsalitiis. *Rubr. C. si rect. Prov. vel ad eum pert. sponf. ded. l.* 1. *in fin. C. si nupt. ex rescript. petan. l.* 6. *C. Theod. de sponsal.* Pro sponsalitia donatione. qualis est donatio propter nuptias. *l.* 3. *C. de don. ante nupt. l.* 2. *C. de secun. nupt.*]

De ritu nuptiarum.

[Sponsalia contrahuntur nuptiarum causa. Unde inter hos contractus nuptiæ secundum locum obtinent.

98. Nuptiæ, seu matrimonium est, viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens; *Inst. de patr. pot.* §. 1. vel con-

conjunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio. *l.* 1.

[Sunt vel primæ, vel secundæ.]

99. Primæ nuptiæ, sunt, quas aliæ nuptiæ ejusdem personæ non præcesserunt.

* Sunt vel publicæ, vel clandestinæ.

Publicæ, quæ per verba de præsenti in præsentia testium, servatis debitis solennibus fiunt.

Clandestinæ, quæ non adhibitis testibus, nec observatis debitis solennibus vel denuntiatione præmissâ, sunt contractæ. *Gloss. in c. cum inhibitio.* 3. *de clandest. despons.*

Solennia debita sunt, ut in Ecclesiis per Presbyteros matrimonia contrahenda proponantur, termino competenti præfinito, intra quem, qui voluerit, aut potuerit, impedimentum legitimum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus utrum obsistat aliquod impedimentum, investigent; illud esse si ex probabili conjectura appareat, contractum, donec, quid super eo fieri debeat, manifeste constiterit, interdicant. *c. fin. de cland. despons.* *

100. Secundæ nuptiæ sunt, quæcunque post primas contractæ sunt; etiam tertiæ, vel quartæ, vel ulteriores.

[Distinguitur etiam à Canonistis inter matrimonium legitimum non ratum, ratum non legitimum, ratum & legitimum.]

101. Matrimonium legitimum non ratum est, quod inter infideles contrahitur, eorum moribus ac legibus comprobatum. *xxviij. quæst.* 1. *cap. ult.*

102. Ratum non legitimum est, quod inter fideles solo affectu, sine legitimis solennitatibus, contrahitur. *d. c. ult.*

103. Ratum & legitimum est, quod fideles legi-

legitimis solennitatibus adhibitis contrahunt. *d. c. ult.*

104. Connubium [non est idem quod matrimonium, sed] est uxoris jure ducendæ facultas. *Cod. de incest. nupt. l.* 3. *Vlp. tit.* 6. §. *connubium est.*

[Puta cum *d. l.* 5. dicitur cum ancillis non esse connubium, hoc est, non posse cum ancillis contrahi matrimonium, sed contubernium.]

105. Contubernium est, conjunctio inter marem & fœminam, inter quos matrimonium jure civili non constat, ut inter servos. *d. l.* 3.

De jure dotium.

[Contractarum nuptiarum effectus est; 1. dos ut valeat. 2. ut non valeat donatio inter virum & uxorem.]

106. Dos est, res quæ nuptiarum causa, *Cod. de donat. ante nupt. l. ult. in princ.* datur, *Cod. de dot. caut. non numer. l.* 1. *&* 3. ut oneribus matrimonii serviat. *l.* 7. *in princ. & Cod. eod. l. pro oneribus.*

107. Item dos est contractus, *supr. de judic. l. exigere.* 65. *& de pec. const. l.* 1. §. *debitum.* do ut facias, id est, ut onera matrimonii sustineas. *infr. de reg. jur. l. contractus.* 23.

108. Insuper dos est, jus dotis repetendæ, seu actio de dote. *infr. de dot. praleg. l.* 1. §. *Celsus.*

[Dos est vel profectitia, vel adventitia.]

109. Dos profectitia est, quæ à patre, vel avo paterno, licet mulierem in potestate non habeat, profecta est, de bonis, vel facto ejus. *l.* 5.

110. Dos

110. Dos adventitia est, quæ à muliere, vel quovis alio, præterquam à patre vel ascendente per lineam paternam, data est.

* Rursus dos est, vel vera, vel putativa, quæ putatur esse dos, cum revera non sit: habet tamen prærogativas & privilegia eadem, quæ vera dos. *l.* 22. §. *fin. inf. solut. matr. l.* 2. *in fin. inf. de privileg. cred.*

De pactis dotalibus.

PActa dotalia alia ad voluntatem pertinent; id est, pro libitu apponuntur, vel omittuntur: alia ad jus dotis pertinent.

Ad voluntatem pertinent; ut mulier dote promissâ se alat, *l.* 4. *in fin. hic.* & donec nupta sit, ab ea non petatur; aut certam summam viro præstet, & ab eo alatur; & similia.

Ad jus dotis pertinent; veluti quando dos petatur; quemadmodum reddatur. *l. si pater.* 12. §. 1. *eod.* *

De fundo dotali.

111. PRædium dotale est, quod in dotem datum est. *l.*13. *l. si maritus. ff.* inæstimatum. *l.* 2. *C. h. t.*

[Dotale etiam id videtur, quod ex pecunia dotali est comparatum. *l.* 54. *de R. N.*

Dotalis fundus Italicus est, qui est juris Italici. *Wesenb. par. hic.*]

* Quasi dotale est, quod sponso, nondum secutis nuptiis traditum: *l.* 4. *hic.* quod dotali servo legatum. *l.* 3. *eod.* *

De divortiis & repudiis.

[Quomodo conjugia contrahantur, hactenus explicatum; dissolvendorum modi vel sponsalia respiciunt, vel ipsas nuptias. Nuptiæ morte, vel inter vivos divortio; Sponsalia repudio dissolvuntur.]

112. Divortium [dictum à mentium diversitate] est diremptio matrimonii, utroque conjuge vivente, *l.* 3. *& de pœnit. dist.* 1. *c. divortium.* facta eo animo ut nunquam redintegretur.

113. Frivolum, sive fribusculum, dicitur separatio matrimonii ad tempus facta. *Supr. tit. prox. l. cum hic status.* 32. §. *quid si divortium.*

114. Thori separatio, est consuetudinis & convictus matrimonialis, salvo matrimonio, disjunctio.

115. Repudium, [à pudore dictum quod non fiat sine pudoris jactura.] est sponsaliorum, vel matrimonii utraque parte vivente, dissolutio. *infr. de verb. sign. l. inter stuprum.* 101.

[Repudium generale nomen est, nec nuptiarum tantum diremptionem, renuntiationemve, sed & sponsaliorum, significat. *l.* 2. *hic.* Propriè tamen repudium est, cum sponsus à sponsa dirimitur; Divortium vero, ubi vir & uxor matrimonio solvuntur. *Spiegel. ex Alciato de verb. signif.* Nempe repudiari etiam futurum matrimonium potest; non rectè autem sponsa divertere dicitur. *l.* 191. *de verb. signif.*]

Se-

Soluto matrimonio quemadmodum dos petatur.

[DIssoluto matrimonio actio est repetendæ dotis. Nempe redit tum quidem dotis dominium ipso jure ad mulierem ; non tamen possessio , quæ facti est , transfertur. *l.* 23. *de acq. poss.* Itaque soluto matrimonio , sive morte sive divortio , ad istam repetendam actio competit.]

116. Actio de dote est , ex stipulatu , *Cod. de jur. dot. l. penult.* bonæ fidei , *Cod. de rei ux. act. l. un.* §. 1. *& Inst. de act.* §. *fuerat.* perpetua , *Cod. de const. pecun. l.* 2. *vers. neque sit.* qua dos soluto matrimonio repetitur , *C. si dos const. mat. sol. fuer. l. unic.* ita ut maritus , *l. maritum.* 12. *l. ex diverso.* 17. §. *ult. & infr. de re jud. l. non tantum.* 20. *& l. seq.* vel socer , *l. rei judicata.* 15. §. *ult. & infr. de re jud. l. sin autem.* 21. qui dotem accepit , vel communis filius , *l. etiam.* 18. condemnetur quantum facere potest ; heres autem extraneus damnetur in solidum. *d. l. rei judicata.* §. 1. *& de re jud. l. sciendum.* 25.

De impensis in res dotales factis.

[AD actionem dotis pertinent & impensæ ad rei dotalis utilitatem factæ. Quæ sunt vel necessariæ, vel utiles, vel voluptuariæ.]

117. Impensæ necessariæ sunt, quibus omissis vel res perit , vel deterior redditur. *infr. de verb. signif. l. impensa.* 79. *in princ.*

118. Utiles sunt , quæ omissæ non reddunt rem deteriorem , sed adhibitæ reddunt meliorem. *l.* 5. §. *ult. l.* 6. *l. impensa.* 14. §. 1. *& infr. de verb. signif. d. l. impensa.* §. 1.

119. Im-

119. Impensæ voluptuariæ, seu voluptuosæ, sunt quæ voluptatis causa fiunt, & tantum speciem exornant, ac neque fructus augent, nec omissæ nocent; *l. 7. in princ. & infr. de verb. signif. d. l. impensæ.* §. *ult.* si tamen res sit venalis & ob hanc causam majori pretio vendatur, inter utiles numerari debent. *l. quod si heres.* 10.

De actione rerum amotarum.

[OBjici actioni dotis solet exceptio rerum amotarum; quo nomine & actio tam marito, quam uxori competit.]

120. Res amotæ dicuntur, quas conjux conjugi, *l. si concubina.* 17. *in princ.* surripuit, & celavit, vel vendidit, vel donavit, vel consumpsit quovis modo. *l.* 3. §. *non verum. d. l. si concubina.* §. 1.

121. Actio rerum amotarum ob res futuri divortii consilio, vel in divertendo amotas, *d. l. si concubina.* §. 1. *l. rerum quidem.* 25. datur ei qui fuit maritus, contra eam quam conjugem habuit, vel huic contra illum: *l.* 1. *l.* 6. §. *item cum rerum.* ut res amotæ vel earum æstimatio, *l. rerum amotarum.* 29. & si quid præterea agentis intersit, *d. l. si mulier.* §. *conjuncti.* restituatur.

[Nempe actioni huic ut sit locus, necesse est constante matrimonio res amotas esse. Quo soluto si quid subtrahatur condictione furtiva contrectans tenetur. *Wesenb. hic.*]

De agnoscendis & alendis liberis, vel parentibus, vel patronis, vel libertis.

[POst ipsum matrimonium & dotium jus, & liberorum, qui matrimonii sunt fructus, haben-

habenda ratio, sive jam natorum, sive adhuc in utero existentium. De jam natis est actio ut agnoscantur, & alantur; De non natis ut inspecto ventre partus custodiatur. Hoc ultimum transit auctor, tanquam inusitatum.]

122. Actio de partu agnoscendo est prætoria, præjudicialis, *Institut. de act. §. præjudicialis.* quæ datur inter virum & uxorem, *hoc tit.* vel inter patrem & filium. *supr. de rei vind. l. 1. §. per hanc.*

[Nempe aut agitur inter virum & uxorem; idque vel facto divortio; ut si mulier se putet ex eo matrimonio prægnantem esse, & ex SC. Planciano, vel SC. Divi Hadriani temporibus facto, si partus constante matrimonio sit editus, agat adversus virum, ut partum agnoscat; vel etiam, si partus est natus post patris mortem, adversus avum, in cujus potestatem est recasurus, ut partum agnoscat. Vel etiam quæritur inter duos, an alter sit pater, alter filius. Idque duobus modis, ut vel Actor affirmet reum esse patrem suum, reus neget; vel Actor affirmet reum esse filium suum, reus neget. *l. 1. §. Iulianus. & seqq. ff. h. t.* Nempe actione non propriè dictâ, sed ex præjudicio; *§. præjudiciales. Inst. de action.* Puta ut deinde agatur ad ea quæ parentes, liberis, & liberi vicissim parentibus debent; & patris quidem respectu nominatim ad alimenta. *l. 4. eod.*

* Alimentorum nomine hic non ut in alimentis ab extraneo legatis tantum cibaria, vestitus & habitatio; *l. 6. de alimen. & cibar. leg.* continentur; sed & in arte aliqua mechanica vel liberali, pro conditione & modo facultatum parentum institutio; *l. 5. §. 12. hic. l. 6. §. 5. de Carbon. edict.* cura valetudinis ac medicamenta. *Gui. Pap. decis. 439. Myns. 3. obs. 12.* *

[Etiam

[Etiam actionem esse præjudicialem inter patronum & libertum, obiter, propter tractatus affinitatem, hoc titulo notatur.]

Si, ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur.

123. Actio in factum datur à Prætore in id quod agentis interest contra mulierem, patremve ejus in cujus potestate est, si, cum ventris nomine in possessionem missa fuerit, eadem possessio, dolo malo ad alium translata esse dicatur. *l.* 1. *in princ.* §. 1. *&* §. *pen.*

Si mulier ventris nomine in possessione calumniæ causa esse dicatur.

124. Actio in factum in id quod agentis interest, *d. l. unic.* §. *simili.* datur à Prætore, contra mulierem quæ ventris nomine per calumniam in possessionem ivit, *d. l.* 1. §. 1. & contra patrem in cujus potestate est. *d. l.* 1. §. *in parentum.*

125. Per calumniam in possessione fuisse videtur, quæ sciens prudensque se prægnantem non esse, voluit in possessionem venire. *d. l. unic.* §. *per calumniam.*

De concubinis.

[Nempe similis contractus est concubinatus, & concubina quodammodò imitatur uxorem. *Nov.* 34. *vel* 18. *c.* 5. Unde hic pro tertio contractu personali est.]

126. Con-

126. Concubina est, quæ est in concubinatu. *dist.* 34. *c.* 4. §. *concubina.*

127. Concubinatus est, maris & fœminæ conjunctio, citra legitimas nuptias, jure civili tolerata. *l.* 3. §. 1.

[Puta dummodò quis nec uxorem cum concubina, nec plures concubinas habeat. *Nov.* 18. *c.* 5. Jure Canonico concubinatus est prohibitus. *dist.* 34. *c. audite.* 7. & 32. *qui.* 4. *c. nemo.* 4. &c.]

De tutelis.

[QUartum contractum personalem constituit hic tutela.]

* Puta non simpliciter intellecta, sed tutelæ gestio & administratio. §. 2. *Inst. de oblig. qu. ex quasi contr* *

128. Tutela est, vis ac potestas, in capite libero [*id est, tutore, qui debet esse liber.*] ad tuendum eum qui per ætatem se defendere nequit; jure civili data ac permissa. *l.* 1. *in princ.* & *Inst. eod.* §. 1.

129. Tutor est, qui eam vim ac potestatem in pupillum habet. *d. l.* 1. §. 1. & *Inst. eod.* §. *tutores.*

130. Pupillus est, impubes sui juris. *infr. de verb. sign. l. pupillus.* 239. *in princ.*

131. Impubes est, masculus minor 14 annis. *Inst. quibus modis tut. finit. in princ.*

132. Curatio, * seu cura *, est vis ac potestas, in capite libero, ad gerenda illius negotia qui per ætatem, vel animi, aut corporis vitium, ea rectè gerere non potest.

[Curator est, qui eam potestatem habet.

Curatorem accipit 1. pubes minor 25 annis. 2. major 25 annis animi vitio laborans, id est, fu-

furiosus, mente captus, prodigus; vel tali corporis morbo laborans propter quem res suas rectè curare non potest, ut mutus, surdus, & qui perpetuo morbo laborat, &c.]

* Est tutela ut & cura officium virile. *l.* 16. *hic.* civile, publicum, §. 1. *Inst. de recusat. tut.* auctoritate. *l.* 6. §. 15. *D. eo d. l.* 2. *de R. I.* sed utilitate privatum, *Gl. in d. l.* 6. suâ naturâ gratuitum, *Bald. in l. meminimus. in fin. C. de legit. her. in l.* 5. *de excus. tut.* *

De testamentaria tutela.

[TUtelæ divisio est duplex. Prior, curationi quoque communis est, quod tutor seu curator est, vel cum administratione, vel honorarius; qui honoris caussa, non ut administret datur; vel notitiæ caussa qui non ut gerat datur, sed ut gerentes instruat. *l.* 3. §. 1. *ff. de adm. tut. l.* 14. §. 1. *de solut. l.* 1. *C. de peric. tut.* Posterior divisio est, quod tutela est aut testamentaria, aut legitima, aut dativa; non æque curæ competens, quia curator testamento datur inutiliter. §. 1. *Inst. de curat.*]

133. Tutor testamentarius est, quem parens impuberi, quem in potestate habet, post mortem suam futuro sui juris, lege permittente dat: *l.* 1. *& Instit. de tut.* §. *permissum.*

[Ex qua definitione quæ sit tutela testamentaria potest intelligi.]

* *De confirmando tutore.*

Confirmatio tutoris est, tutoris testamento dati, cui non oportet, vel aliter quam oportet, per Magistratum facta comprobatio. §. *ult. Inst. de tutel. l.* 1. §. 1. *vers. si autem. hic.* *

De

De legitimis tutoribus.

134. TUtor legitimus eſt, qui ipſo jure ad tutelam vocatur; ut adgnatus. *l.* 1. *in princ. & Inſtitut. de leg. adgnat. tut. & Nov.* 115. *cap* 5. * patronus; *tit. Inſt. de legit. patron. tut.* pater qui emancipavit. *tit. Inſt. de legit. par. tut.* *

De tutoribus, & curatoribus datis ab his qui jus dandi habent, &c.

[TUtor dativus, & honorarius dicitur. Dativus dicitur, quia non eſt ex voluntate teſtatoris, vel mero juris ordine; ſed quia datur à Magiſtratu.]

* Eſt enim dativus tutor, qui deficiente, vel excuſato tutore teſtamentario, vel legitimo à Magiſtratu competente datur. *l.* 7. *ff. rem pupilli ſalv. fore.* *

135. Honorarius tutor accipitur, ac definitur duobus modis.: 1. Qui ab honorem gerente, id eſt, à Magiſtratu datus eſt. *Vlp. tit. de curat. in princ.* qui etiam dativus appellatur. 2. Qui non adminiſtrandi, ſed honoris cauſa datus eſt. *ſup. de rit. nupt. l. quis tutor.* 60. §. *quid ergo. & infr. de adm. tut. l.* 3. §. *cæteri. de ſolutionib. l. quod ſi forte.* 24. §. 1.

* *De adminiſtratione & periculo tutorum*, &c. *

[OFficium tutorum & curatorum conſiſtit partim in adminiſtratione, partim in auctoritate.

Adminiſtratio concernit perſonam pupilli; & ejus

ejus patrimonium. *Vtrumque à nobis in Enchirid. explicatum.*]

* Ante confectum inventarium tutor vel curator regulariter administrare non potest. *l.* 7. *hic. l.* 24. *C. eod.*

Inventarium est, codex in scriptis omnia pupilli bona & instrumenta comprehendens. *d. l.* 24. *

De auctoritate & consensu tutorum & curatorum.

[AUctoritas tutoribus, consensus curatoribus tribuitur, licet ipsa auctoritas sit consensus species.]

136. Auctoritas est consensus, quo id probatur quod ab aliis in præsentia agitur.

[Hic auctoritas est tutoris consilium, interventu suo præsentem pupilli actum confirmantis. *Auctor. Anal. hic.* Nempe auctoritas est hic pars solennitatis ad integrandam pupilli personam interposita. *Wesenb. hic.*

Consensus curatoris non ad personam minoris contrahentis, sed ad confirmationem actus ab eo gesti interponitur; ideò post eum gestum sequi potest: *Wesenb. eod.*]

De suspectis tutoribus & curatoribus.

[QUi tutoris vel curatoris officio non fungitur, removetur tanquam suspectus.]

137. Suspectus tutor vel curator est, qui non ex fide tutelam seu curam gerit, aut gesturus videtur. *l. suspectus.* 8. *& Inst. eod.* §. *suspectus autem est.*

[Sed non ex facultatibus, verum ex moribus suspectus dicitur. §. *ult. Inst. eod.*]

De

De excusationibus.

138. EXcusatio est, immunitatis allegatio, vel causa immunitatis.

* Est, vel propria, vel impropria.

Propria est, qua nisi tutor utatur, necessariò administrare & injunctam provinciam obire debet. *l.* 11. *C. hic. l.* 2. *C. si tut. vel cur. ex fals. alleg.*

Impropria est, cujus allegatio non est necessaria, sed propter quam ipso jure tutor ab onere liberatus est, adeò ut ne volens quidem admitti possit, *Gloss. in* §. *item propter. &* §. 13. *Inst. hic.* *

Utraque [Vel est communis tutori & curatori, vel curatoris propria. *Auctor Isagog. hic.* vel in totum, vel ad tempus. §. *pen. Inst. de curat.* vel ad partem patrimonii. *l.* 21. §. *licet. h. t.* Item vel est à suscepta tutela, vel à suscipienda. *Enchirid. nostrum. hic.*]

⋆ *Ubi pupillus educari vel morari debeat, &c.*

EDucatio, non tantum est victus, vestiarium, habitatio; *l. ult. de alim. leg.* sed & morum & liberalium artium instructio. *d. l. ult. & l.* 2. *c. de alim. pup. praest.* *

De tutela, & rationibus distrahendis, & utili curationis causâ actione.

[SEquuntur judicis officia circa tutelam & curationem. Quae aut ad minoris personam spectant, aut ad actiones personales, aut ad res & actiones reales. Ad personam pupilli pertinet ut judex decernat ubi pupillus educari & morari debeat,

debeat, & de alimentis præstandis. Actiones personales competunt minoribus adversus tutores & curatores, vel tutoribus & curatoribus adversus eos. Actiones quibus tutores à minoribus conveniuntur sunt. 1. Actio tutelæ directa. 2. De rationibus distrahendis. 3. Actio utilis tutelæ vel negotiorum gestorum.]

139. Tutelæ actio est, civilis, personalis, ex quasi contractu. *infr. de ob. & act. l. 5. §. tutores. & Inst. de obl. quasi ex contr. §. tutores.*

140. Tutelæ actio directa post tutelam finitam, *l. 1. §. ult.* datur ei qui in tutela fuit, adversus tutorem; ut tutelæ rationes reddat, & reliqua solvat. *d. l. 1. §. officio. & Cod. arbitr. tutel. l. tutorem* 9. ita ut dolus & culpa præstetur. *d. l. 1. in princ. & Cod. arbitr. tut. l. 7.*

141. Actio de rationibus distrahendis post finitam tutelam, *d. l. 1. §. ult.* datur pupillo, adversus tutorem, qui in tutela gerenda res pupilli intercepit, *d. l. 1. §. pen. & §. hunc tamen. d. l. 2. in princ.* in duplum æstimationis rei interceptæ, non habita ratione ejus quod pupilli interest. *d. l. 1. considerandum. d. l. 2. §. ult.*

[Hæc actio non est ex furto, sed tutelæ obligatione, contra tutorem qui furandi animo fecit. Concurrit cum actione furti, & condictione furtiva. *l. 1. §. in tutela. & seq. l. 2. §. 1. hic.*]

142. Utilis actio tutelæ, vel negotiorum gestorum, *Cod. arb. tut. l. 3. & l. 7.* vel de rationibus distrahendis, *argumento utilis actionis tutelæ.* datur minori, adversus curatorem, de aliqua re particulari quandocunque. Ut autem ei in universum curationis gestæ rationem reddat, post, non ante curationem finitam, competit. *l. 4. §. ult. l. si adhuc. 16. inf. & sup. de adm. tutel. l. cum curatore. 26. Cod. eod. l. 2. §. rationes.*

De

De contraria tutela, & utili actione.

[ACtiones quæ tutoribus, vel curatoribus adversus minores competunt, sunt 1. Contraria tutelæ actio. 2. Contraria utilis actio tutelæ & negotiorum gestorum.]

143. Contraria tutelæ actio, post tutelam finitam, datur tutori, contra pupillum, in id quod ratione tutelæ gestæ sibi abest, vel absuturum est, ut quia pro pupillo impendit, *d. l.* 1. *in princ.* & §. *ult.* vel se obligavit. *d. l.* 3. *in princ.* 6. *l. ult.*

144. Contraria utilis actio tutelæ, vel negotiorum gestorum statim ac debetur, curatori datur, contra minorem, in id quod ratione curationis gestæ sibi abest, vel absuturum est. *l.* 1. §. *sed & si curator.* & §. *finito.*

De eo qui pro tutore, prove curatore negotia gessit.

145. PRo tutore negotia gerere dicitur, qui, cum tutor non sit, munere tutoris fungitur in re impuberis, sive putet se esse tutorem, sive sciens se non esse, fingat se esse tutorem. *l.* 1. §. 1.

146. Protutelæ actio est prætoria, *l.* 1. *in princ.* in personam, rei persecutoria; quæ etiam durante administratione competit, (*quia est ex quasi contractu.*) & ad heredes transit. *d. l.* 1. §. *cum eo. Vt omnes actiones ex quasi contractu rei persecutoriæ.*

147. Directa datur pupillo, contra protutorem, *l.* 1. *in princ.* & *Cod. de adm. tut. l.* 4. ut rationem administrationis suæ reddat, & tam dolum, quam culpam præstet, exemplo tutoris. *l. pen.*

148. Contraria datur protutori, contra pupillum in id quod sibi abest, vel absuturum est, quia pro pupillo utiliter impendit aut se obligavit. *l. ult.*

Quod falso tutore auctore gestum esse dicatur.

[FAlsus tutor à protutore differt.

Protutor is dicitur, qui bona fide negotia pupilli administrat.

Falsus tutor, qui id facit falso & dolo malo; ut & falsus procurator. *l. falsus. C.de furt. Hunc spectat titulus.*]

149. Actio prætoria in factum, in personam, annalis, ei qui cum falso tutore, putans eum esse verum tutorem, contraxit, ejusque heredi, adversus eum qui se tutorem falso simulavit, vel eum cujus dolo factum est, ut alius se tutorem falso existimans auctor fieret, non contra heredem, in id datur quod agentis interest. [Puta deceptum non esse.] *l. 7. l. hujus. 9. in princ. & §. 1.*

[Datur & restitutio in integrum ei qui ignoravit se cum falso tutore rem gerere. *l. 1. §. fin.*]

* *De fidejussoribus &c. tutorum, &c.*

FIdejussores, favore pupilli habentur, non tantum qui per stipulationem legitimo jure conceptam obligati sunt; *l. 5. §. 2. de verb. oblig. l. 12. C. de fidejuss.* sed & qui simpliciter à tutoribus nominati, si præsentes fuerunt, & nomina sua in acta publica referri passi sunt; *l. cum ostendimus. 4. §. fin. hic.* qui tutores idoneos esse adfirmaverunt; *d. l. 4. §. fin. vers. eadem causa.* qui inidoneos tutores nominaverunt. *l. 2. eod.* *

De

De Magistratibus conveniendis.

150. VTilis, *Cod. hoc tit. l.* 1. *& l. pen.* actio tutelæ, *l. ult.* [*in Magistratus minores.*] subsidiaria. *Inst. de satisd. tut.* §. *sciendum.* non privilegiaria, *l.* 1. §. *privilegium.* pupillo seu minori, ejusque heredi, contra eos qui satisdationem à tutoribus vel curatoribus exigere tenentur, sive nullam exegerint, sive non idoneos fidejussores acceperint, *d.* §. *sciendum.* & ex eorum dolo, aut lata culpa in heredes eorum competit, *l.* 6. ut actor indemnitatem consequatur.

[Datur etiam hæc actio adversus eum qui ad æstimandas satisdationes datus est à Prætore vel Præside. *l.* 1. §. *si præses.* & §. *Divus.*

Subsidiaria dicitur, quia, priusquam eatur ad Magistratus, discuti oportet bona tutoris vel curatoris, & alienata in fraudem minoris, revocari, item excuti bona fidejussorum, &c. *l.* 1. *C. hic. ubi Gothofr.*

Privilegiata non est, quia minor non habet privilegium in bonis Magistratus, sed cum aliis creditoribus debet concurrere. *d. l.* 1. §. *privilegium.*]

De rebus eorum qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis vel supponendis.

151. DEcretum est, quod Prætor causa cognita pro tribunali pronuntiat.

[Hic est, decretum Magistratus de necessitate alienationis vel suppositionis cognoscentis. *l.* 11. *C. h. t.* Nempe prædia suburbana, vel rustica mino-

norum. *l.* 1. *hic.* vel etiam, res alias quæ servando servari possunt, *l.* 22. *C. de adm. tut.* citra justam necessitatem. *l.* 1. *l.* 7. *ff. l. ult. C. hic.* tutores alienare, vel supponere non possunt.]

152. Alienatio est, rei ex causa venditionis ad alium translatio. *Inst. de legat.* §. *si rem suam.* & *C. de jur. emphyt. l.* 1. *adhibito.* §. *adeo. Inst. de locat.* & *cond.*

153. Item alienatio est, omnis actus per quem dominium transfertur. *Cod. de fund. dotali. l.* 1.

154. Item alienatio est, omnis actus per quem jus aliquod transfertur in alium, vel amittitur, (*Vt cum servus manumittitur, infr. de verb. sig. l. alienationis.* 28. *Mancipium manumittitur, ususfructus in re constituitur, res hypotheca, vel pignori obligatur, servitus imponitur, dominium utile in emphyteutam transfertur.*) vel res aliena venditur. *De alienat. jud. mut. caus. fact. l. ex hoc edicto.* 8. §. *alienare.*

155. Supponere est, hypothecæ rem subjicere, seu obligare.

De curatoribus furioso & aliis extra minores dandis.

156. FUriosus est insanus, furore agitatus.

157. Mente captus est, insanus quiete degens.

158. Prodigus est, qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit. *l.* 1. *in princ.*

L I-

LIBER QUINTUS

Ex quinta parte Digestorum.

Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant.

[IN quæstione an testamentum valeat, primò spectandum an testator habuerit testamenti factionem. *l.* 4. *hic.*]

* Testamentum dictum est ex eo quod sit testatio mentis : *princ. Inst. hic.* Non ex verbis, more Grammaticorum ; sed ex re, more Jurisconsultorum, vocis notatione mutuatâ. *

Testamentum *definitum est. lib.* 2. *nu.* 32.

1. Testamentum solenne est, quod fit juris solennitatibus adhibitis : id est, scriptura per manum testatoris in totum exarata, vel ab ipso testatore, aliove præter septem testes pro testatore litteras non callente, & à septem testibus specialiter rogatis, nec detentis invitis, & in præsentia testatoris constitutis ; ostendatur à testatore docente in ea contineri suam ultimam voluntatem, sive suum testamentum ; & ut uno contextu omnia fiant, id est, nullo alio actu, præterquam ad naturæ necessitatem, interjecto. *l. qui testamento.* 20. §. *ult. & Cod. de test. l. si non speciali.* 9. *l. hac consultissima.* 21. *& l. cum antiquitas.* 28.

2. Testamentum nuncupativum est, quod fit testatore voluntatem suam uno contextu, palam coram septem testibus, specialiter rogatis, nec invitis detentis, nuncupante. *l. qui testa-*

testamento. 20. §. *ult.* & *l. seq.* & *Instit. de testam.* §. *ult.*

3. Testamentum privilegiarium est, quod jure communi non valet, sed ex speciali privilegio sustinetur.

4. Testamentum plusquam solenne est, in quo non sufficiunt solennitates vulgò in testamentis requisitæ, sed & alia quædam observare oportet; ut in testamento cæci, *Cod. hoc tit. l. hac. consultissima.* 8. vel testatoris qui liberos habet in potestate. *Instit. de exhered. liber. in princ.*

5. Testamenti factio est, cujus ratione aliquis testamentum facere, vel ex testamento capere potest. *l. filiusf.* 16. & *Inst. de hered. qualit.* §. *in extraneis. vers. testamenti.*

[Est vel activa, vel passiva.]

6. Activa est, in eo qui testamentum facere potest.

7. Passiva est, in eo qui ex testamento capere potest.

De liberis & postumis heredibus instituendis, vel exheredandis.

[NOn semper sufficit, ut testamentum valeat, sed insuper liberorum, suorumque heredum, etiam postumorum, habenda ratio est, ut instituantur, vel exheredentur. *Inst. de exhered. lib.*]

8. Liberi sunt, qui ex parentibus quocunque gradu descendunt, nulla habita sexus distinctione. *supr. de verb. sign. l. cognoscere.* 36. §. 1. Hoc autem loco liberi dicuntur qui tempore testamenti sunt nati, & in liberorum numero. *l. liberorum,* 220.

9. Suus & jure civili necessarius heres est, qui

in

in patria testatoris potestate est, nulla inter eum & testatorem persona interjecta, quæ in ejusdem testatoris potestate sit. *infr. de hered. qualit.* §. *sui aut.*

10. Postumus est, qui post mortem parentis nascitur, *infr. tit. prox. l.* 3. §. 1. aut ex utero matris per excisionem extrahitur. *l. quod dicitur.* 12.

11. Suus postumus est, qui si vivo patre nasceretur inter suos heredes esset.

12. Alienus postumus est, qui natus, inter suos heredes testatori futurus non est. *Inst. de leg.* §. *postumo.*

13. Quasi suus postumus est, qui aut post parentis testamentum in ejus potestate nascitur, *infr. tit. prox. l.* 3. §. 1. *& pen. l. postumus.* 12. *& sup. de test. tutela. l. si quis ita.* 16. §. *ult.* aut adoptatur, *l. filius.* 28. §. 1. *& Inst. quib. mod. test. infirm.* §. 1. aut legitimatur, *Baldus, ad l. filius.* §. 1. aut in sui heredis locum succedit, *d. l. filius.* §. 1. *& infr. tit. prox. l. postumorum.* 13. *& Inst. de exhered. liber.* §. *postumorum.* aut moriente avo in patris potestatem recidit. *d. l. filius.* §. 1.

14. Institutus dicitur, quem testator ad hereditatem vocat.

15. Exheredatus, quem testator ab hereditate summovet.

16. Præteritus est, cujus testator, de hereditate disponens, nullam mentionem facit, licet ei leget, vel per fideicommissum relinquat.

De injusto rupto irrito facto testamento.

[Vitia testamenti sunt plura. 1. injusti. 2. rupti. 3. irriti.]

17. Teſtamentum injuſtum eſt, quod vel non jure factum, vel nullius momenti eſt.

18. Teſtamentum non jure factum eſt, in quo juris ſolennia deſiderantur. *l.* 1. *hic.*

19. Imperfectum eſt,quod vel non omnes ſolennitates, vel non totam teſtatoris voluntatem, continet. Quorum illud dicitur imperfectum ratione ſolennitatum; hoc imperfectum ratione voluntatis. *Doct. in l. hac conſultiſſ.* 21. §. *ex imperfecto. Cod. de teſtam.*

20. Teſtamentum nullius momenti eſt, in quo ſuus heres eſt præteritus. *d. l.* 1.

21. Ruptum eſt, quod agnatione vel quaſi agnatione ſui heredis, *l.* 3. *in princ.* §. 1. *& ult. l.* 4. 5. *l.* 6. *in princ.* §. 1. *&* 2. *l. verum.* 8. *in princ. l. poſtumorum.* 13. *l. qui uxorem.* 15. *& Inſt. de exher. liberor.* §. 1. *&* 2. *ut quib. mod. teſt. infirm.* §. 1. vel poſteriori teſtamento, eſt infirmatum: *l.* 1. *l.* 2. *l. cum in ſecundo,* 16. *& Inſt. quib. mod. teſt. inf.* §. *poſteriore.*

22. Irritum eſt, cum vel teſtator capite minuitur, *l.* 6. §. *invicem. &* §. *ſeq. & Inſtit. quib. mod. teſt. inf.* §. *alio.* vel ejus memoria poſt mortem damnatur, *d. l.* 6. §. *ſed ne eorum.* vel heres inſtitutus non adit hereditatem, *l.* 2. vel conſulto à teſtatore deletum eſt, vel inductum, vel inſcriptum. *hac explicabuntur titulis ſeqq.*

23. Deſtitutum teſtamentum eſt, ex quo nemo adivit hereditatem.

De his quæ in teſtamento delentur, inducuntur, vel inſcribuntur.

24. DElere eſt, lituris ſcripturam oblitterare.

25. Inducere eſt, lineas, vel in directum per medios verſus, vel in transverſum, ducere.

26. In-

26. Inscribere est, novas literas, quibus vetus scriptura turbatur, adjicere.

De heredibus instituendis.

[FOrma substantialis solennis testamenti est, heredis institutio.

Heres, (ut quidam volunt ab herus, quod veteres heredem dominum appellarent; §. *fin. Inst. de hered. qual. & diff.* vel ab ære, seu pecunia, in quam succedit; vel ab hærendo, quia defuncto adhæret dictus.) est qui succedit in universum jus quod defunctus tempore mortis habuit. *l. hereditas. ff. de R. I.*]

27. Heredis institutio est, ultima voluntas; qua testator suam hereditatem in aliquem, post mortem suam, jure directo, confert.

[Est vel propriè dicta, vel substitutio.]

28. Institutio propriè dicta est, quæ primo gradu fit. *l. 1. pr. hic.*

[Gradus in testamento differt à loco; ille puta à successionis, hic à scripturæ ordine, dicitur.]

29. Gradus heredum, sunt quibus ordo successionis distinguitur.

30. Loci heredum, sunt qui ordinem scripturæ, institutiones continentis, distinguunt.

* Institutio propriè dicta perficitur verbis scriptis, vel nuncupatis & sententia verbis congruente. *l. quotiens. 9. in princ. hic.* *

[Heres alius suus est & jure civili necessarius. *supra, hoc lib. def. 9. definitus;* alius necessarius, alius extraneus.]

31. Necessarius heres est, servus à domino suo heres institutus. *Instit. de hered. qualit.* §. 1. *suum heredem supr. definivi. def. 9.*

32. Extraneus heres eſt, quicunque non eſt in teſtatoris poteſtate. *Inſtit. eod.* §. *ceteri.*

[Heres eſt vel ex aſſe, vel pro parte.

33. As dicitur quidquid eſt totum & integrum; ut tota hereditas.

[Nec enim hereditas tantum, ſed & quodlibet ſolidum & integrum aſſis nomine notatur. Hinc in aſſem ſatisfacere, id eſt, in ſolidum. *l.* 2. *ff. de ſeparat.* ex aſſe poſſidere, aut pro parte. *l. pen. Qui ſatiſd. cog.* &c.

As dividitur in duodecim uncias. *l.* 13. §. *ult. ff.* §. *hereditas. Inſt. hic.* Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia uſque ad aſſem.]

34. Uncia eſt, duodecima pars aſſis.

35. Semiuncia eſt, dimidia pars unciæ.

36. Seſcuncia eſt, uncia cum dimidia unciæ parte.

37. Sextans eſt, ſexta pars, id eſt, duæ unciæ.

38. Quadrans eſt, quarta pars aſſis, id eſt, tres unciæ.

39. Triens eſt, tertia pars aſſis, quatuor unciis conſtans.

40. Quincunx uncias quinque continet.

41. Semis eſt, dimidia pars aſſis, id eſt, ſex unciæ.

42. Septunx conſtat ſeptem unciis.

43. Bes, ſunt octo unciæ.

44. Dodrans, ſunt novem unciæ.

45. Dextans, decem unciæ.

46. Deunx, undecim unciæ.

47. Dupondium, unciæ quatuor & viginti.

48. Tripondium, unciæ triginta ſex.

49. Quadripondium, unciæ quadraginta octo.

De vulgari & pupillari substitutione.

[SUbstitutionis verbum latissimè patet, sed hic ad ultimas voluntates restringitur.

Distinguitur autem quatenus fit verbis civilibus, directis, seu legitimis, vel precariis.]

50. Verba civilia, seu directa, seu legitima, sunt quæ sunt imperativi modi, *C. communia de legat. l. 2. in princ. Vlp. tit.* 22. seu quorum vi hereditas immediatè à testatore, non de manu alterius, accipitur. Ut, *heres esto*; quin & verbum *jubeo*, quod est modi indicativi, est directum.

51. Verba precaria, sunt quæ fideicommissum inducunt: ut, *rogo te heres, ut hereditatem Titio restituas*.

52. Verba communia, sunt sub quibus tam directa quam precaria continentur; ut, *substituo*.

* Substitutio est, in secundo & ulteriore gradu heredis seu successoris designatio. *l. 1. l. ex facto.* 43. §. *Lucius. hic.*

Gradus hic numerantur, non ex personarum numero, vel scripturæ ordine; sed ex ordine successionis. *

[Substitutio est, vel directa, vel precaria, seu fideicommissaria. *l.* 4. *C. de fideicom.*]

53. Substitutio directa est, secundi heredis institutio, *l. ex facto.* 43. §. *Lucius.* seu secundo ulteriorive gradu facta heredis institutio. *l.* 2. *in princ.* Quæ quidem verbis directis fit & propriè vocatur substitutio. *de qua sola hic agitur.*

54. Substitutio fideicommissaria est, quæ fit verbis precariis. *de qua hic non agitur.*

[Fit autem omnis substitutio in aliquem casum,]

55. Casus est, incertus eventus, in quem directa substitutio essentialiter confertur.

[Essentialiter dicimus, ut excludat conditiones extrinsecus substitutionibus adjectas; de quibus titulo sequente; ut, *si navis ex Asia venerit, si Titius consul fuerit.*

Sunt autem casus varii.]

56. Primus casus est, si heres non erit.

57. Secundus casus est, si in pupillari ætate decesserit.

58. Tertius casus est, si prius morietur quam mentis compos factus sit.

59. Quartus casus est, si post pubertatem sanæ mentis decesserit.

[Substitutio est aut simplex, aut duplex; Sub quo, etiam intellige triplicem, &c. hoc est, quatenus duas, tres, vel quatuor substitutiones continet.

Simplex est, vel vulgaris, vel pupillaris, vel quasi pupillaris.]

60. Vulgaris substitutio est, quæ directò fit in primum casum. *Instit. de vulg. subst. in princ.*

* Est duplex, vel simplex, quæ sola est, & tantum aditæ hereditatis casum comprehendit: *l.* 1. *hic.* vel duplex, quæ aliis substitutionum generibus continetur, vel continet.

Utraque, vel expressa, vel tacita.

Simplex expressa est, quæ fit verbis expressis, idque oratione vel plena; ut, *Si Titius heres non erit, Gaius heres est: l.* 1. *l.* 36. *hic.* vel verbo uno, ut, *Titium Mavio substituo*: aut pluribus institutis; *Eos invicem substituo. l.* 4. §. 1. *eod.*

Simplex tacita est, quæ non exprimitur, sed vel ex institutione, vel substitutione, vel sine ea intelligitur. *vide l.* 24. *de hered. inst. l.* 4. *in pr. hic.* §. 3. *Inst. eod. l.* 41. *in pr. hic.*

Du-

Duplex substitutio expressa fit, vel verbis generalibus; ut, *instituo Titium & Gaium, eosque invicem substituo*: vel specialibus: ut, *Titius heres esto; & si Titius heres non erit, Gaius heres esto*: vel singularibus; ut, *si Titius non vult, vel non potest esse heres, Gaius heres esto.*

Tacita duplex substitutio; vel inest institutioni; ut, si testator dicat; *Titius & Seius, uter eorum vivet, heres esto*: *l.* 24. *&* 25. *de hered. inst.* vel substitutioni; Quia pupillari expressæ inest tacita vulgaris. *l.* 4. *ff.* §. 4. *C. hic.* *

61. Pupillaris substitutio est, qua parentes liberis suis impuberibus, quos in potestate habent, in alterius potestatem non recasuris, sed futuris sui juris, directò in secundum casum substituunt.

* Est vel simplex, quæ est sola sine vulgari substitutione; vel duplex, *l.* 1. *hic.* quæ cum ea, *l.* 37. §. *filio. hic.*

Utraque vel expressa, vel tacita.

Expressa est, quæ fit verbis, & vel expressa substitutionis conditione; ut, *in l.* 2. §. 5. *l.* 31. *l.* 98. *l.* 41. §. *fin. hic.* vel uno verbo, pluribus impuberibus institutis, dicendo; *eosque invicem substituo.*

Tacita cum impuberi vulgariter substituitur. *l.* 4. *ff. l.* 4. *C. hic.* *

62. Quasi pupillaris substitutio est, qua parentes liberis suis furiosis, vel mente captis directò in tertium casum substituunt.

* Est vel expressa, quæ verbis expressis; ut, *si filius in furore moriatur, Titius heres esto*: vel tacita, quæ sub vulgari, aut pupillari, filio furioso facta, comprehenditur. *

63. Militaris substitutio est, qua miles ex privilegio militari substituit in quartum casum; veluti quandocunque heres decesserit.

* Fit vel expressè; ita, *si filius intra pubertatem, aut postea intra annum 35 decesserit:* vel compendiosè; ita, *quandocunque filius decesserit:* aut mortis casu non expresso; ut, *filio meo Titius heres esto.* *

[Substitutio duplex, vel multiplex est, aut monopleuros, aut reciproca.]

64. Substitutio monopleuros est, quæ ab una tantum parte fit; veluti, *si primus heri non erit, secundus heres erit.*

59. Substitutio reciproca est, qua heredes instituti sibi invicem substituuntur.

[Meminerunt & aliarum substitutionum doctores; puta, exemplaris, breviloquæ, compendiosæ.]

66. Substitutionem exemplarem doctores vocant, quam supra appellavimus quasi pupillarem.

67. Substitutionem reciprocam seu breviloquam nominant, qua heredes instituti sibi invicem generali verbo substituuntur: veluti, *Titium & Mævium heredes instituo, & invicem substituo.*

68. Substitutionem compendiosam appellant, quæ verborum compendio, multa tempora, consequenter multas substitutiones, complectitur; ut, *quandocunque heres meus decesserit, Titius heres esto.*

De conditionibus institutionum.

[Conditionis vox variè accipitur.]

69. Conditio propriè dicta est, adjectio accidentaria, quæ actum in futurum incertum eventum suspendit: veluti, *si navis ex Asia venerit.*

[Puta ita ut, eâ impletâ, actus valeat, deficiente reddatur inutilis.

Acci-

Accidentariam dicimus, quia talis esse debet, ut subjecto adesse & abesse possit; alioqui non facit actum, puta institutionem (cujus respectu hic conditio consideratur) conditionalem; sed manet, licet ea adjiciatur, pura; ut, *si moriar, Titius heres esto.*

Dividitur autem conditio multis modis.]

70. Impossibilis conditio est, cui natura vel jus repugnat; veluti, *si cælum digito tetigerit; si hominem occiderit.*

71. Turpis conditio est, quæ est contra bonos mores, veluti, *si in foro nudus saltaverit.*

72. Perplexa conditio est, quæ ex duabus per se possibilibus, sed se invicem impedientibus, constat; veluti, *si Titius heres erit, Seius heres esto: si Seius heres erit, Titius heres esto. l. si Titius. 16.*

73. Necessaria conditio est, quæ non potest non existere; veluti, *si Sol cras orietur.*

74. Casualis, seu fortuita est, cujus eventus ab incerto externo eventu pendet, ita ut non sit in honoratæ personæ potestate; veluti, *si navis ex Asia venerit. Cod. de cad. tollend. l. unic. §. sed hæc omnia.*

75. Potestativa est, cujus eventus est in potestate personæ honoratæ: veluti, *si in Capitolium ascenderit, heres esto.*

76. Mixta est, quæ partim à voluntate personæ honoratæ, partim aliunde pendet; veluti, *si Seius uxorem duxerit.*

77. Simplex conditio est, quæ est una; veluti, *si Titius consul erit.*

78. Conjuncta est, quæ ex duabus, vel pluribus conjunctim adjectis constat; veluti, *si Titius consul erit, & navis ex Asia venerit. Instit. de hered. Instit. §. penult.*

79. Disjuncta, seu alternata est, quæ ex duabus,

bus, vel pluribus disjunctim adjectis, constat; veluti, *si Titius consul fuerit, aut navis ex Asia venerit. d. §. penult.*

80. Conditio juris est, quæ si à testatore prætermittatur, nihilominus vi & potestate juris inest; veluti, *Titius heres esto, si volet.*

81. Conditio facti est, quæ nisi à testatore adjiciatur, non inest; veluti, *si navis ex Asia venerit.*

82. Affirmativa est, quæ verbis affirmantibus concipitur: veluti, *si navis ex Asia venerit.*

83. Captatoria institutio est, qua testator conditione in futurum collata, alienam hereditatem captat; veluti, *Titius si me heredem scripserit, heres esto.*

84. Negativa est, quæ verbis negantibus concipitur; veluti, *si navis ex Asia non venerit.*

85. Conditio individua est, quæ non potest pro parte impleri; veluti, *si insulam ædificaverit. infr. de legat. 3. l. fideicommissa. 11. §. in opere. & §. seq. & de condict. & demonstr. l. pen. in princ. si decem Titio dederit. infr. de cond. & dem. l. cui fundus. 56.*

86. Dividua est, quæ potest pro parte impleri, ita ut pars relicti accipiatur: veluti, *si Titius & Seius, decem Mævio dederint, heredes sunto dicta l. cui fundus.*

87. Cautio Mutiana est, qua quis cavet se id non facturum, sub cujus non faciendi conditione, quam vivus implere non potest, honoratus est; veluti, *Mævius, si in capitolium non ascenderit, heres esto.* Quia non est certum eum non ascensurum, ideoque cavens se non ascensurum poterit hereditatem adire.

De jure deliberandi.

[QUia aditæ hereditatis effectus est, quod omnia jura defuncti, tam activa, quam passiva, transeunt in heredem, ut is omnia hereditaria onera subire, & creditoribus hereditariis juxta ac legatariis, satisfacere teneatur; ne quis facile pro lucrosa damnosam adiret hereditatem, proditum pro remedio est, ex anterioribus jus deliberandi; à Iustiniano beneficium inventarii.]

88. Ius deliberandi est, quod extraneis heredibus de adeunda vel repudianda hereditate, *Inst. de hered. qualit. & diff.* §. *extranei.* & Iure Prætorio suis heredibus, *C. hoc tit. l. cum in antiquioribus.* 19. de commiscendis vel abstinendis bonis hereditariis concessum est. *Inst. de hered. qualit.* §. *sui autem.*

[Puta ita ut primitus spatium à testatore præfigeretur. *Vlp. fragm. tit.* 22. §. *cretio.* Postmodum ut ex lege esset annus à die mortis testatoris, vel ab adita hereditate. *l.* 9. *C. de jur. delib.*]

* Vel potius, jus deliberandi est, facultas heredi concessa, ut intra tempus certum consultare & perquirere possit, an hereditatem sibi delatam acquirere, an repudiare velit. *

89. Beneficium legis, & inventarii est, ut heres, qui omissa deliberatione inventarium rerum hereditariarum recte confecit, neque creditoribus hereditariis ultra vires hereditarias, neque fideicommissariis aut legatariis ultra dodrantem teneatur. *Cod. hoc tit. l. ult.* §. *& si præfatam.*

90. Beneficium inventarii duntaxat est, ut heres qui tempus deliberandi petiit, & rerum hereditariarum inventarium recte confecit, legatariis

riis & fideicommissariis ultra dodrantem non teneatur, licet creditoribus hereditariis etiam ultra vires hereditarias sit obstrictus. *d. l. ult. §. fin a. hoc aliquis.*

[Inventarium (sic dictum quod in eo inveniatur omnium rerum hereditariarum descriptio) est legitima bonorum in hereditate repertorum annotatio & in scripturam redactio.

Quod quomodo concipi, & intra qua tempora, debeat, huc non pertinet.]

De testamento militis.

91. TEstamentum militis est, quod à milite factum est.

92. Testamentum militare est, quod à milite factum est jure militari.

[Nempe non omne testamentum militis est militare.

Quia & jure communi miles testari potest.]

* Miles, hic est, qui in armis militat; sacramento rogatus, adactus, *l. ex militari.* 11. *pr. hic.* & in numeros relatus, *l. ex tempore.* 42. *eod.* sive matriculis militaribus scriptus. *l. scriniarios.* 16. *C. eod.*

Iure militari etiam licet non sint milites, rectè testantur illi, qui necessariò militiam sequuntur; ut legatus, præses provinciæ; si in hostico deprehenduntur & ibi decedunt. *l. ult. hic. l. un. de bonor. poss. ex testam. milit.* *

De acquirenda vel amittenda hereditate.

* HEreditatis acquisitio nihil aliud est, quam actus vindicandæ hereditatis, ex testamento delatæ. *

[Here-

[Hereditatem acquirit heres adeundo, vel pro herede se gerendo: suus heres ipso jure, si jus civile respicis : jure prætorio se immiscendo.]

93. Aditio est, actus quo quis hereditatem sibi ex testamento, vel ab intestato, delatam suscipit.

94. Pro herede gerit, qui tanquam heres & dominus aliquid facit in rebus hereditariis. *l. pro herede. 20. in princ. & Inst. de hered. qualit. §. item extraneus.*

95. Hereditatem agnoscere est, nudam acquirendæ hereditatis voluntatem demonstrare.

96. Se immiscere dicitur suus vel necessarius, *infr. de separat. l. 1. §. ult.* heres, qui id facit, quo facto diceretur pro herede gerere, si esset heres extraneus. *l. cum bonis. 87. in princip.*

[His opponuntur repudiatio, abstentio, omissio hereditatis.]

97. Repudiatio, seu recusatio est, actus heredis extranei, quo declarat se nolle fieri heredem. Olim repudiatio erat actus solennis; recusatio actus non solennis.

* Fit repudiatio, vel verbis, vel re, vel alio indicio. *l. 95. hic.*

Verbis; ut si quis expresse dicat se heredem esse nolle.

Re; cum hoc facto aliquo ostendit: *vide l. 17. §. 1. l. 60. l. 77. eod. l. 23. §. 1. de inoff. test. l. Clodius. 97. hic.*

Indicio alio; ut scripto, nutu, patiendo res hereditarias destrui; ab alio, ut ab herede occupari, & sic possideri. *l. 37. ff. ad SC. Treb. vide Enarr. Cod. de repud. hered.* *

98. Abstentio est, actus quo suus heres, facul-

tate

tate ſibi à Prætore conceſſa, declarat ſe nolle eſſe heredem.

99. Hereditatem omittere dicitur, qui, tempore ſtatuto eam non accipiens, ab ea excluditur.

Teſtamenta quemadmodum aperiantur, inſpiciantur, & deſcribantur.

100. AD cauſam teſtamenti pertinet quodcunque quaſi ad teſtamentum factum eſt, in quacunque materia fuerit ſcriptum; quod pertineat ad ultimam voluntatem, *l.* 2. §. *ad cauſam.*

[Aperire tabulas hic non tantum eſt, tabulas teſtamenti patefacere naturaliter, ut in titulo ſequente; ſed etiam civiliter, id eſt, ſecundum leges & mores civitatis in qua fit apertio. *Goth. ad l.* 2. *C. eod.*

Si in duobus exemplis ſcriptum ſit teſtamentum, altero patefacto, apertæ ſunt tabulæ. Quod ſi quis exemplum fecerit, exemplo apertonondum apertum eſt teſtamentum. *l.* 10. *l. ult. hic.*]

101. Inſpici tabulæ teſtamenti dicuntur cum verba teſtamenti leguntur. *l.* 2. §. *inſpectio.*

[Nempe inſpectio tabularum etiam earum lectionem continet. *d. l.* 2. §. *inſpectio.*

Deſcribere tabulas dicimus, quarum exemplum accipimus. *l. ſi quæ ſunt. famil. erciſc.*]

* *Si quis omiſſa cauſſa teſtamenti ab inteſtato* &c. *poſſideat hereditatem.*

VTilis actio prætoria datur legatariis & fideicommiſſariis, adverſus eum qui fraudulenter, omiſsâ ſucceſſione ſibi ex teſtamento delatâ, heredi-

reditatem ab intestato, & sic titulo universali, *l. ult. hic.* possidet; perinde ac si ex testamento successionem accepisset. *l.* 1. *l.* 12. §. *ult. eod.* *

De Senatusconsulto Silaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.

102. SEnatusconsulto Silaniano cavetur, ne testamenti tabulæ ejus qui vi aperta, non clam, (ut veneno) necatus esse dicetur, ante aperiantur quam de necati servis, sub eodem tecto existentibus, vel criminis consciis, vel qui simul cum domino (puta in itinere) fuerunt, quæstio habeatur, & noxii puniantur. *l.* 1. *in princ.* §. *hoc autem. &* §. *cum dominus.*

* Noxii sunt, vel qui necarunt, vel cum possent, opem non tulerunt. *d. l.* 1. *l.* 19. *eod.* *

103. Senatusconsulto, quod Augusti temporibus Tauro & Lepido Consulibus factum est, cavetur, ut de testamento contra Senatusconsultum Silanianum aperto non quæratur post quinquennium, nisi arguantur ii, qui, parricidii pœna teneri possunt. *l. in cognitione.* 13.

104. Senatusconsulto Claudiano (quod & Neronianum, *Paulus. lib.* 3. *sent. tit.* 8. §. *Neroniano.* & Pisonianum appellatur, *l. Senatusconsulto.* 8. & Claudio Nerone Cæsare, L. Calpurnio Pisone Consulibus factum est.) *Tacitus. lib.* 13. *&* 14. §. *Cujac. lib.* 1. *obser. cap.* 18. Silaniani Senatusconsulti sententia confirmatur, & insuper cavetur, ut viro occiso etiam de servis uxoris, & uxore occisa etiam de servis mariti, quæstio habeatur, *l.* 1. §. *si vir Paulus. d.* §. *Neroniano.* & ut, si pœnæ obnoxius servus venierit, ac postea quan-

quandocunque ſupplicio affectus eſſet, venditor emptori pretium reſtituat. *d. l. Senatuſconſulto. in princ.*

Si quis aliquem teſtari prohibuerit, vel coëgerit.

105. TEſtari prohibet, vel cogit, qui vim facit, non qui blandis verbis perſuadet. *hic. l. ult. & Cod. eod. l. ult.*

[In hac definitione conſiſtit edicti caput. *l. 3. eod.*]

De jure codicillorum.

[COdicillus à codice diminutivum nomen habet.

Codex, ſeu caudex, craſſior arboris pars eſt, quæ ſupra terram aſſurgit, ex qua antiqui tabulas faciebant ſcriptioni, illitâ cerâ, aptas.

Unde & codicis & codicilli vox pro omni dicitur ſcriptura, ab arborum cortice.

Hic accipitur pro ſcriptura, quâ moriens leviter & ſine ulla ſolennitate, aut heredis inſtitutione, de eo teſtatur, quod de bonis ſuis poſt mortem ſuam fieri velit. Unde rectè hic definiuntur.

106. Codicilli, ſunt ultimæ voluntatis inſtrumentum, *C. hoc tit. l. pen.* non ſolenne, *l. 6. §. 1. & 2. & Inſt. eod. §. ult.* quo hereditas nec dari, nec adimi directò poteſt. *l. 2. §. ult. & C. eod. l. 2. & Inſt. eod. §. pen.*

* Vel ſunt codicilli ultima teſtati & inteſtati voluntas, imperfecta, de eo quod quis poſt mortem ſuam de bonis ſuis fieri velit, citra directam heredis inſtitutionem & animum teſtamentum faciendi.

Sunt

Sunt vel ſcripti, qui ſoli tales ex ſermonis proprietate; *l. ult. C. quemad. teſtam. aper.* vel non ſcripti, cum voluntas nuncupatur. *l. ult.* §. *ult. C. hic. l. ult. C. de bonis libert. l.* 13. *C. de SS. Eccleſ.*

Utrique fieri poſſunt; vel ab inteſtato, cum teſtator nullo teſtamento condito eos facit: vel teſtatò, cum fiunt ab eo qui teſtamentum fecit. §. 1. *Inſt. hic.*

Et tum vel ante teſtamentum, vel poſt, vel in ipſo teſtamento. *d.* §. 1. *

De legatis & fideicommiſſis.

[UNiverſitas bonorum teſtamentis, vel codicillis transfertur: ſingulæ res legatis, vel fideicommiſſis; licet & hæc in univerſitate locum habeant.

Legare, idem eſt, quod decernere, mandare. Inde legatio & legatum.

In ultimis voluntatibus legandi vox latè patet. *l.* 120. *de V. S.* Strictim vero legare dicitur, qui res particulares directis verbis in teſtamento relinquit. Unde legatum hic recte definitur:]

107. Legatum eſt, delibatio hereditatis, qua defunctus ex eo quod univerſum foret heredis, aliquid in aliquem collatum vult; *de leg.* 1. *l. legatum.* 116. *in princ.* Vel donatio in teſtamento relicta: *d. l.* 2. *legatum.* 36. Vel donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præſtanda: *Inſt. de legat.* §. 1. Vel quod legis modo; id eſt, imperativè in teſtamento relinquitur: *Ulp. tit.* 25. *in princ.* Vel ultima voluntas directa, particularis.

* Erant jure veteri legatorum genera quatuor, per vindicationem, damnationem, ſinendi modo, & præceptionem. §. 2. *Inſt. hic.*

Per

Per vindicationem; quando verba ad legatarium directa, ipseque capere jubetur, ut puta; si dicat testator, *do, lego, capito, sumito, servum, rem illam.*

Per damnationem, cum heres verbis ad se directis jubetur dare; ut, *damnas esto heres meus*; vel, *damno, jubeo heredem meum, hoc, vel illud dare, vel facere.*

Sinendi modo, ex utroque præcedente erat mixtum.

Per præceptionem, non legabatur nisi uni ex heredibus scriptis: hoc modo; *illam rem præcipito, præsumito, præcipuam habeto. Theoph.* §. 2. *Inst. hic.* *

108. Delibare hereditatem est, intra dodrantem legata, vel fideicommissa, relinquere.

109. Onerare hereditatem est, ultra dodrantem asse minus legare, aut fideicommissum relinquere.

110. Exhaurire hereditatem est, totum assem legatis vel fideicommissis insumere.

111. Fideicommissum est, quod à defuncto verbis precariis, (*Verba precaria definita sunt supra, num.* 53.) relictum est. *Ulp. tit.* 25. *in princ. & tit.* 26. *in princ.*

* Est vel universale, vel particulare.

Vniversale est, quando testator fidei heredis committit, ut totam hereditatem, vel hereditatis partem, alteri restituat.

Particulare est, quando heres rogatur, non totam hereditatem, ejusve partem, sed rem singularem restituere. *

De

De annuis legatis & fideicommissis, aliàs de annuis & menstruis legatis.

112. ANnua legata vel fideicommissa sunt plura, *l.* 4. *l. cum in anno.* 11. initio singulorum annorum præstanda, *d. l.* 4. primi quidem anni pura, sequentium annorum conditionalia, si legatarius vivet. *l.* 5. *l. in singulare.* 8. *l.* 22.

113. Menstrua similiter sunt plura, sed singulis mensibus præstanda, primi mensis pura, sequentia conditionalia.

114. Annua, bima, trima die legatum dicitur, quod per partes tribus annuis vicibus solvi debet, & quidem per partes æquales; nisi testator aliud jusserit.

De usu & usufructu, & reditu, & habitatione, & operis per legatum vel fideicommissum datis.

VSus definitus est, *lib.* 2. *num.* 69.
Vsusfructus, *lib.* 2. *num.* 58.
115. Habitatio, *lib.* 2. *num.* 70.
Operæ, *lib.* 2. *num.* 66.
Reditus sunt annui fructus ex re provenientes. *l. quidam.* 17.

De servitute legata.

SErvitus definita est, *lib.* 2. *num.* 74.

De dote prælegata.

DOs definita est, *lib.* 4. *num.* 106. 107. & 108.

De optione, vel electione legata.

116. OPtio, seu electio est facultas unam ex pluribus rebus ejusdem generis eligendi. Olim optio erat solennis; electio non solennis.

De tritico, vino, vel oleo legato.

[TRitici nomen in jure civili quandoque pro toto frumenti genere usurpatur. *l. triticum. ff. de V. O.* Nihil tamen prohibet triticum esse frumenti speciem, *d. l. triticum*, & plura esse tritici genera, ut ex Columella, *lib.* 2. *cap.* 6. ex Cornelio Celso. *lib.* 2. *de re medica*, videre est.

Hic triticum tantum expressum, *ut & in l.* 1. *& rubr. de tritic. action.* propter excellentiam frumenti, quod optimi est alimenti, commune ubique, & miræ fertilitatis.

Vini legato continetur omne, quod ex vinea natum est, etiam acetum ex vino factum. *l.* 1. *l.* 9. *hic.*] * Item vasa non magnæ amplitudinis. *l.* 3. §. 1. *eod.* non zythum. *d. l.* 9. *

[Zythum vocant potum qui ex frugibus præparatur apud Ægyptios, vel ex hordeo, vel ex tritico, aut pane. *l.* 9. *eod.* Hispanis cerea dicitur, hodie inde nobis cerevisia.]

De instructo, vel instrumento legato.

117. INstrumentum est, quod alterius rei; *ut agri, l. quæsitum.* 12. §. *si in agro, vineæ. l. villæ.* 16. §. *si navis. l. ult.* vel personæ; *Ut patrisfamilias. l. quæsitum.* 12. §. *sed si fundus.* causa paratum est, & neque est ejus pars, *d. l. quæsitum.*

situm. §. *Papiniano*. & §§. *seqq*. nec ex eodem genere. *d. l. ult*.

118. Fundus instructus est, cui non solum fundi, sed & patrisfamilias instrumenta accedunt. *l. quæsitum*. 12. *sed si fundus*.

119. Fundi instrumenta, seu dotes, *l. in instrumento*. 8. *in princ*. sunt quæ fructus gerendi, cogendi, conservandi gratia, & quæ horum instrumentorum causa parantur. *d. l. quæsitum*. §. *sed instrumenti*.

120. Patrisfamilias instrumenta sunt, quæ paterfamilias habet ut instructior sit; ut supellex. *d. l. quæsitum*. §. *sed si fundus*.

121. Vineæ instrumenta sunt, quæ ad vineam colendam, vel conservandam pertinent; ut pali, perticæ, rastra, ligones. *l. villæ*. 16. §. 1.

122. Domus instrumenta sunt, quæ non voluptatis, sed tempestatis, aut incendii arcendæ causa parantur, *d. l. quæsitum*. §. *domus*. nec sunt ædibus affixa, *d. l. quæsitum*. §. *si Papinianus*. & §§. *sequentib*.

123. Cauponæ instrumenta sunt, quæ negotiationis cauponæ causa parata sunt. *l. tabernæ*. 13. *in princ*.

124. Tabernæ instrumenta sunt, quæ negotiationi quæ ibi exercetur, inserviunt, *l. cum quæratur*. 13. & loci propria sunt; ut tabernæ, cauponæ instrumenta sunt dolia, vasa, calices: non etiam institores. *d. l. tabernæ. in princ*.

De peculio legato.

PEculium definitum. *supr. lib*. 3. *num*. 77.

De penu legata.

125. PEnus, sunt esculenta, & potulenta ad futurum usum recondita. *Gellius lib*. 4. *c*. 1.

126. Penarium est, locus in quo penus asservatur. *Gell. d. loco.*

[Penori legato cedunt cibaria omnia, quæ paterfamilias usus sui causa, ejusque familiæ, quam circa se, suósque habet, paravit, & cibaria jumentorum usibus ipsius deservientium, & legumina quæ in cella penuaria habentur. Ligna quoque & carbones penus parandi causa, & thus & cerei in domesticum usum parati, & unguenta, & odores, & chartæ epistolares, & vasa, sine quibus penus haberi non potest, & quæcunque alendi causa habentur, eâ appellatione continentur. *l. 3. per tot. l. 5. hic.*]

De supellectile legata.

127. SVpellex est, domesticum patrisfamilias instrumentum, *l. 1. l. 7. §. 1.* quod in re mobili consistit, & neque argento aurove facto, neque vesti adnumeratur. *l. 2. d. l. 1.* & omnino in aliam speciem non cadit, *d. l. 7. §. 1.*

[Supellectilis appellatione vestis non continetur; quoniam proprio generi adscribitur. *l. 4. de legat. 1.*]

De alimentis & cibariis legatis.

128. ALimentorum appellatione continentur ea omnia sine quibus corpus ali non potest; ut, cibaria, vestitus, habitatio. *l. 16. & l. ult.*

129. Alimentarius est, cui alimenta ab aliquo debentur. *sup. de transact. l. cum si. 8. §. eam transactionem.*

130. Cibaria & diaria continent ea tantum, quæ ad cibum pertinent; non etiam habitationem,

tionem, vel vestiarium, vel calciarium. *l. diariis.* 21.

De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste, vel vestimentis & statuis legatis.

* AVro vel argento legato, omne factum & infectum, non etiam signatum continetur. *l.* 19. *in princ. hic.* *

131. Aurum, vel argentum infectum est, quod certam speciem non suscepit, sed est in massa, vel lamina.

132. Factum est, quod notam speciem suscepit: ut, poculi, aut vasis.

133. Signatum est, quod publicâ formâ percussum inter numeratas pecunias refertur.

134. Mundus muliebris est, quo mulier fit mundior & elegantior, *l. argumento.* 25. §. *ornamento. vers. mundus. & l. pediculis.* 32. §. *Titia.* iis exclusis quæ valetudinis causa parantur, *d. l. argumento.* §. *ult.* & quæ vir sibi retinuit, non uxori tradidit. *l. pen. in princ.*

* Eo etiam unguenta continentur. *d. l.* 25. §. 10. *vers. mundus.* præter ea, quibus sanitatis causa unguimur. *d. l.* 25. §. *ult.* *

135. Ornamentum muliebre est, quo mulier ornatur; id est, quod ad nullam aliam rem quàm ad ornandum corpus mulieris paratur: ut, *inaures, armillæ, annuli non signatorii. d. l. argumento.* 25. §. *ornamenta.*

136. Vnguenta muliebria sunt, quibus mulier, vel ornatus, *d. l. argumento.* §. *ornamenta.* vel sanitatis causa, ungitur. *d. l. ult.*

137. Vestis, seu vestimentum, est, quod induendi, procingendi, amiciendi, insternendi, in-

injiciendi, incubandi causa paratur; *l. vestis.* 23. *in princ. & l. inter.* 33. nec tantum contextum, sed etiam consummatum est. *d. l. vestu.* §. 1 *l. vestimentum.* 22.

138. Vestimenta virilia sunt, quæ patrisfamilias causa parata sunt. *l. vestis.* 23, §. *pen.*

139. Puerilia sunt, quæ ad nullum alium usum pertinent nisi puerilem, ut togæ prætextæ. *d. l.* 23. §. *penult.*

140. Muliebria sunt, quæ matrisfamilias causa sunt comparata. Quibus vir non facile uti potest sine vituperatione. *d.* §. *pen.*

141. Communia sunt, quibus promiscuè utitur mulier cum viro. Quibus sine vituperatione, vel vir, vel uxor utatur. *d.* §. *penult.*

142. Familiaria sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt. *d.* §. *penult.*

143. Statua est, simulacrum, vel sculptum, ut in marmore; vel fusum, ut in auro, argento, ære. *l. si statuam.* 14. *& Cod. de stat. & imag. l.* 1.

144. Imago est, quodvis simulacrum, sive sculptum sit, ut in ebore, aut marmore; sive fusum, ut ex argento, vel ære; *l.* 5. §. *ult. & sup. de rei vindic. l. in rei vindic. l. in rem.* 23. §. *si quis. & Cod. de stat. & imag. l.* 1. sive pictum; *l. si imaginem.* 12. *& Inst. de rer. divis.* §. *si quis in aliena.* sive à corporis polita superficie redditum; ut, *apud Virgil. Eclog.* 2.

—— *si nunquam fallit imago.*

De liberatione legata.

145. Liberatio est, obligationis dissolutio.

* Liberatio legatur, si vel nominis liberatio expressè; vel Chirographum legetur; vel damnetur

tur heres ne agat; *l.* 1. *l.* 3. *l.* 8. §. *pen. hic.* vel ut debitorem liberet. *l.* 19. *eod.* *

De rebus dubiis.

146. RES dubia dicitur, cum de vera orationis sententia non constat: vel quia propter obscuritatem nulla interpretatio occurrit.

* Ejus legatum non valet. *l.* 11. *l.* 26. *hic.* *

De his quæ pœnæ causa relinquuntur.

147. POenæ causa relictum dicitur, quod non amore personæ honoratæ relinquitur, sed coërcendæ personæ oneratæ causa; vel quo minus aliquid faciat; veluti, *heres meus, si Titiam uxorem duxerit, vel nisi duxerit, centum Mævio dato.*

* Pœna à conditione, potius ex voluntate testatoris, quam ex verbis distinguitur. *l.* 2. *hic.* *

De regula Catoniana.

148. REgula Catoniana, à Catone Iurisconsulto introducta est, ut ultima voluntas pura quæ ab initio non valet, ex postfacto non confirmetur. *l.* 1. *in princ. l. ult. & sup. de leg.* 1. *l. cetera.* 41. §. *tractari.*

De his quæ pro non scriptis habentur.

149. PRo non scriptis habentur, quæ vel ab initio non valent, (atque hæc propriè dicuntur haberi pro non scriptis, *Cod. de cad. toll. l. unic.* §. 1.) vel postea pervene-

runt ad eam causam, à qua incipere non possunt. *l.* 3. §. *ult.*

150. Incapax est, qui à testamento capere non potest; ideoque quod relictum est, pro non scripto habetur. *l.* 1. *in princ. l.* 4. §. 1.

De his quæ ut indignis auferuntur.

151. INdignus dicitur, qui ex testamento capere non potest, sed inde nullum emolumentum percipit, quoniam ei relictum aufertur, & confiscatur.

De conditionibus, & demonstrationibus & causis, & modis eorum quæ in testamento scribuntur.

COnditionum definitiones. *vide supr. ad tit. de condit. num.* 69. *& seqq.*

152. Demonstratio est, quæ in re judicanda vice nominis fungitur, ad tempus præteritum, vel præsens relata; veluti, *Stichum, quem à Seio emi, vel qui meus est, Sempronio do lego. Cujac.* 2. *obser. cap.* 39.

* Imò demonstratio est, quæ personam cui aliquid relinquitur, vel rem quæ relinquitur, aliqua circumscriptione ostendit.

Demonstratio ex futuro (abusivè sic dicta; quia res rebus & notis præsentibus, ut certa sit, est designanda), vim conditionis habet; Vnde si ita legetur: *Stichum, qui meus erit, cum moriar, heres dato*, is nisi testatoris sit tempore mortis, non debetur. *l.* 6. *de legat.* 1. *l.* 85. *ff. eod.* *

153. Causa est, quæ testamentum præcedit, & testatorem impulit ad relinquendum; veluti, *quia negotia mea gessit.*

[Causam

[Causam προκαταρκτικὴν vocant Dialectici.]

* Modus est adjectio, quæ ostendit, quid legatarium ex legato facere testator velit. *Cujac. in par. hic.* *

154. Modus ergò est, causa futura, seu finalis, veluti, *Titio centum lego, ut insulam ædificet.*

[Nempe est pars ordinationis, & ideò pro causa finali habetur.]

Ad legem Falcidiam.

155. LEx Falcidia est, plebiscitum Augusti temporibus, C. Domitio, B. Affinio Consulibus, P. Falcidio Tribuno plebis, rogante, factum, *dist.* 2. *c. quadam. Dion, in Augusto.* ut testatori legare liceat, usque ad dodrantem; ita ut quadrans penes heredem, vel heredes maneat: *l.* 1. *in princ.* quæ vero uxoris causa empta, parata sunt, si ei legentur, & extra modum hujus legis sint. *l. sed usufructus.* 81. §. *ult. alia capita addit Cujacius; cui non assentior.*

156. Quarta Falcidia est, quam heres ex verbis legis de legatis, ex ejus productione de fideicommissis, *l.* 1. *in princ.* (*Legem Falcidiam de legatis loquentem, ad fideicommissa in testamento relicta, produxit Senatusconsultum Pegasianum, Inst. de fideic. hered.* §. *sed quia heredes. quod Iustinianus in Trebellianum transtulit, Inst. eod.* §. *sed quia stipulationes, & ad fideicommissa ab intestato relicta per constitutionem Divi Pii, l. filiusfam.* 18.) & mortis causa donationibus, *ex Constitutione Severi. Cod. eod. l.* 5. *& de donat. caus. mort. l.* 2. detrahit.

Ad Senatusconsultum Trebellianum.

157. SEnatusconsulto Trebelliano continetur, ut si hereditas ex causa fideicommissi restituta sit, actiones hereditariæ, tam activæ, quam passivæ, ad fideicommissarium transferantur. *Inst. de fideic. her.* §. *& Milonis.* Quod eatenus obtinet, quatenus hereditas restituta est. Ei ex Senatusconsulto Pegasiano per Iustiniani constitutionem accessit, ut heres sponte hereditatem adiens, de fideicommissis, quartam Falcidiam detrahere possit: *Inst. eod.* §. *sed quia stipulationes.* & ut adire nolens cogatur, desiderante fideicommissario, adire, & omnia tam commoda quam incommoda ad eum transferre.

158. Trebellianica à Doctoribus appellatur quarta quam heres detrahit ex universitate bonorum; id est, ex hereditate fideicommissaria: ac distinguitur à quarta Falcidia, quæ detrahitur ex rebus particularibus. *Gloss. & doct. in l. filium quem,* 24. *Cod. fam. ercisc.*

Quando dies legatorum, vel fideicommissorum cedat.

159. DIes legati cedit, cum incipit deberi. *infr. verb. sign. l. cedere diem.* 213. *in pr.*

* Vel potius, quoad hanc materiam, quoties certum est debitum iri, cum adita est hereditas. *l. si Titio.* 22. §. 1. *in fin. hic.*

Cedit aliter dies in legatis simplicibus, & quidem vel purè, vel in diem certam, vel incertam, vel sub conditione relictis: aliter in legatis conjunctis.

Legatum purum cedit à morte testatoris; ut

&

& legatum in diem certum relictum. *l. un.* §. 1. *C. de caduc. toll.*

Conditionale legatum, neque debetur, neque peti potest ante conditionem existentem. *d. l. un.* §. *sin autem.* 7. *l.* 4. *&* 5. *hic.*

Ut nec legatum in diem incertum, ante diem existentem. *d. l. un.* §. 7.

In legato conjuncto, id est, ex puro & conditionali composito, dies pro natura utriusque legati cedit. *

160. Dies venit, cum incipit posse peti. *Ibid.*

Vt legatorum, seu fideicommissorum, servandorum causa caveatur.

161. Cautio de legatis, & fideicommissis, quæ & vulgaris, *supr. de legat.* 1. *l. filiusfam.* 114. §. *iidem principes.* & communis, *infr. de separationib. l.* 4. cautio dicitur, est prætoria, *l.* 1. *in princ. & Institut. de divers. stipulat.* §. *præterea.* satisdatio, *datis fidejussoribus. l.* 1. §. 1. 2. 3. 4. qua heres, *d. l.* 1. §. *non solum autem legatorum.* legatariis & fideicommissariis, vel legatorum, aut fideicommissorum dispensatoribus, *sup. de leg.* 1. *l. quondam.* 96. §. *pen.* de legatis, vel fideicommissis quorum solutio differtur, *l. hac stipulatio.* 14. *& l. seq.* cavet, se quibus diebus testator dari, vel fieri voluit, daturum, vel facturum, & dolum malum absuturum. *d. l.* 1. *in princ.*

LIBER SEXTUS

Ex sexta parte Digestorum.

De bonorum possessionibus.

[AD Prætoria judicia transitus est hac parte; & postquam explicatum quomodò ex testamento succedatur jure civili, explicatur quibus modis Prætor tam ex ultima voluntate, quam ab intestato successiones deferat. Generali nomine bonorum possessiones dicuntur.]

1. Bonorum possessio est, jus persequendi, retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque, cum moreretur, fuit. *l.* 3. §. *bonorum.*

[Dividitur varie; alia est edictalis, alia decretalis.]

2. Bonorum possessio edictalis est, quæ ex edicto Prætoris defertur.

[In abstracto puta considerata: generis nomen retinens, donec non decernitur certæ personæ.

Decretalis est, quam adversus petentem edictalem bonorum possessionem, objectis difficultatibus Prætor cum causæ cognitione decernit. *Menoch. de adipisc. possess. rem.* 1. *n.* 17. & ex eo nos. *Enchir.*

Illa est, vel ordinaria, vel extraordinaria.]

3. Ordinariæ sunt, quæ certo successivo ordine deferuntur.

* Tales olim erant plures. Nunc aliquibus à Iustiniano evacuatis, sex tantum utiles reperiuntur; duæ ex testamento, quatuor ab intestato. §. 1. 2. *Inst. hic.* *

4. Ex-

4. Extraordinaria est, quæ extra ordinem defertur, modò ex testamento, modò ab intestato.

* Tales sunt quatuor: ut ex legibus, Carboniana, ventris & litis agnoscendæ gratia. *

De bonorum possessione contra tabulas.

[Bonorum possessio ex testamento, datur vel contra tabulas, vel secundum tabulas.]

5. Bonorum possessio contra tabulas datur præteritis, *l.* 1. *in princ. & infra, tit. prox. l.* 1. *in princip.* (nisi præteritio pro exheredatione habeatur) & institutis commisso per præteritos edicto, *l.* 4. §. *pen. & Inst. de exher. lib.* §. *ult. l. si post.* 10. §. *ult.* liberis, *d. l.* 1. parentibus, *infr. si à par. quis man. sit. l.* 1. & adversus tabulas libertorum centenariis majorum patronis, *Inst. de succ. lib.* 1. §. *sed nostra.* per quam liberi, vel parentes omnia bona scripto heredi auferunt, *l. cum emancipatus.* 13. *in princ.* legata verò tanquam conjunctis personis præstant: *infr. tit. prox. l.* 1. *in princ.* patroni vero tertiam tantum partem consequuntur bonorum liberti, cui liberi non succedunt. *Inst. de success. libert. d.* §. *sed nostra.*

6. Centenarius est, qui 100 aureos in bonis habet. *d.* §. *sed nostra.*

De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.

[Petitæ bonorum possessionis contra tabulas, licet primus effectus sit, ut totum testamentum rescindatur; atque ita non institutio modò, sed & legata juxta ac fideicommissa corruant; placuit tamen, ex æquitate Prætoria, ut quibus-

dam, hoc eſt conjunctis perſonis, legata præſtentur.]

7. Conjunctæ perſonæ ſunt liberi, parentes, & uxor, vel nurus, cui dotis nomine relictum eſt. *l.* 1. *hic.*

[Hic nempe. Liberis enim tantum, & parentibus proſpexit Prætor; non fratri, & ſorori conſervavit legatum. *l.* 2. *eod.*]

De collatione bonorum.

* Collationis appellatio generalis eſt, interdum enim pro contributione alicujus pecuniæ ad opus publicum; interdum pro literarum comparatione; interdum pro beneficii Eccleſiaſtici vacantis aſſignatione; interdum aliis modis accipitur: Hic pro ſecundo petitæ bonorum poſſeſſionis contra tabulas teſtamenti effectu. *

[Et duplex eſt, bonorum, & dotis. Bonorum collatio ſecundum rubricam hic definitur. Sed quia placuit patrem nòn videri dotem filiæ eſſe præcipuam, etiam collatæ dotis habenda ratio.]

8. Collatio eſt contributio, qua liberi ſua cum parentis bonis commiſcent, & confundunt, ut omnium bonorum debitam partem ſinguli per diviſionem accipiant.

[Secundum Baldum eſt, rei propriæ in commune illatio, ut hereditati communi permixta inter omnes coheredes æqualiter dividatur. *gl. & Dd. hic in Rubr.*]

* Fit vel re ipſa, vel cautione. Reipſa, inita ipſo facto collationis ratione.

Cautione, datis fidejuſſoribus aut pignoribus de conferendo. *l.* 1. §. *quamvis.* §. *jubet. hic.* *

De

De collatione dotis.

[Collatio dotis eſt, contributio qua filia ſua, vel emancipata, tam ſuis, quam emancipatis dotem profectitiam confert, ut immixta communi hereditati inter coheredes æqualiter dividatur. *l.* 4. *l.* 8. *hic.*]

De conjungendis cum emancipato liberis ejus.

[Tertius effectus bonorum poſſeſſionis contra tabulas, ex clauſula à Iuliano edicto perpetuo adjecta, eſt, ut emancipato petenti bonorum poſſeſſionem contra tabulas teſtamenti paterni, filius ejus, in poteſtate avi retentus, jungatur, cui ſoli, non fratribus ſuis, conferat.]

9. Conjungi emancipatus cum liberis ſuis integri juris dicitur, cum in unam portionem cum liberis ſuis admittitur: ita ut ejus portionis dimidiam partem emancipatus: dimidiam liberi ejus conſequantur. *l.* 1. *in princip. hic.*

★ *De ventre in poſſeſſionem mittendo.*

Ventri non exheredato, ſi id quod in utero eſt, inter ſuos heredes eſt futurum, dat Prætor vice contra tabulas bonorum poſſeſſionem. *l.* 1. *l.* 2. §. 2. *hic.* *

De Carboniano edicto.

10. Carbonianum edictum eſt, cujus auctor fuit Prætor Carbo, ut bonorum poſſeſſio decernatur, quæ Carboniana dicitur.

11. Car-

11. Carboniana bonorum possessio est, decretalis, quæ impuberi, cui status & hereditatis controversia fit; interim datur, dilatâ controversiâ in tempus pubertatis. *l.* 1. *in princ.*

De bonorum possessione secundum tabulas.

12. TEstamenti tabulæ, sunt omnis materia, in qua testamentum scriptum est. *l.* 1. *in princip.*

13. Supremæ tabulæ sunt post quas, nullæ factæ sunt. *d. l.* 1. §. 1.

[Bonorum possessio secundum tabulas est, quæ datur heredibus scriptis, secundum tenorem testamenti; &, iis deficientibus, substitutis, juris civilis confirmandi gratia.]

* Utilis datur heredibus nuncupatis. *l.* 2. *C. hic.*

Si à parente quis manumissus.

COnceditur patri aut avo paterno præterito contra tabulas filii emancipati, bonorum possessio, nisi, ut emanciparet, pecuniam acceperit. *l.* 1. *& t. t. hic.*

De bonorum possessione ex testamento militis.

BOnorum possessio contra tabulas, non datur contra testamentum militis, aut ejus qui in hostili agro decedit. *l. un. hic.* *

De jure patronatus.

* DAtur patronis bonorum possessio contra testamentum liberti, si liberi non sunt instituti,

ſtituti, §. 5. *verſ. ſed noſtra. Inſtit. de ſucceſſ. libert.* *

14. Ius patronatus eſt, quod patronus habet in perſonam, (*ratione obſequii, infr. tit. de obſequ. & infr. de oper. libertor.*) & bona (*ratione ſucceſſionis & legitimæ, infr. de bon. libert. & Inſt. de ſucceſſ. libertor.*) liberti.

[Partes ejus ſunt, in obſequiis, in operis, in bonis libertorum.]

De obſequiis parentibus & patronis præſtandis.

15. OBſequium eſt, honor qui alicui exhibetur. *l.* 1. *in princ. l.* 7. §. *ult.*

* Verſatur hic honor potiſſimum in eo, ut libertus tam in faciendo, quam in non faciendo, patroni perſonam ſibi honeſtam & ſanctam eſſe teſtetur. *l. liberto.* 9. *hic.*

In faciendo; ut conſuetum obſequium præſtet, ut eum veneretur, ei aſſurgat. *l. libertos.* 6. *C. eod.*

In non faciendo; ut ab eo juramentum calumniæ non exigat; *l.* 16. *l.* 34. §. 4. *de jurejur.* eum ſine venia in jus non vocet; *l.* 2. *C. de in jus voc.* vocatum nullâ famosâ actione impetat; *l.* 1. *C. hic.* actione motâ ab injuriis, *l. pen. C. eod.* & omni verborum aſperitate abſtineat. *l.* 4. *C. eod.* *

De operis libertorum.

OPeras definivi, *lib.* 2. *num.* 66. 67. 68.

De aſſignandis libertis.

16. ASſignare eſt, quocunque modo, & quacunque voluntate, *l.* 1. §. *aſſignare.* & §. *ſeq.*

§. *seq.* & *l.* 7. & *Inst. eod.* §. *pen.* & *ult.* libertum uni, vel quibusdam liberis in potestate constitutis, *d. l.* 1. *in princ.* & *Instit. eod.* §. *datur.* attribuere, ut ad hunc solum, vel ad hos solos, aliis liberis exclusis, jus patronatus transeat. *d. l. in princ.* & *Inst. eod. in princ.*

Si quid in fraudem patroni factum sit.

[Siquid in fraudem patroni libertus de bonis suis alienavit, actio datur, Fabiana, vel Calvisiana dicta.]

17. Actio Fabiana & Calvisiana, sunt Prætoriæ, *l.* 1. *in princ.* in personam. *d. l.* 1. §. *hac actio.* rei persecutoriæ, perpetuæ, *l.* 3. §. 1. arbitrariæ, (*quia nec sunt bonæfidei, cum inter tales actiones non numerentur. Inst. de act.* §. *actiones.* *Nec stricti juris, cum in eis juretur in litem. l.* 5. §. 1. & *sup. de in lit. jur. l.* 6.) quæ patrono, *l.* 3. & 4. & ejus heredi, *d. l.* 1. §. *hac actio.* adversus eum qui accepit, vel alii dari jussit, *l.* 5. *in princ.* quod libertus alienavit in fraudem patroni, quominus debitam portionem consequatur, *l.* 1. *in princ. id est, trientem. Instit. de success. libert.* §. *sed nostra.* & adversus ejus heredem, *d. l.* 1. §. *hac actio.* dantur ad revocanda ea quæ sic alienata fuerunt: *l.* 3. §. *si intestatus.* & §. *seq.* Et Fabiana quidem competit, si libertus testatus decessit. *l.* 4. *in princ.* Calvisiana, si intestatus. *d. l.* 5. §. *patronum.*

Si tabulæ testamenti nullæ extabunt unde liberi.

[Bonorum possessiones ab intestato (quæ tunc dantur cum non extant tabulæ validi testamenti.) quatuor sunt. 1. Unde liberi. 2. Unde legitimi. 3. Unde cognati. 4. Unde vir & uxor.]

18. Bo-

18. Bonorum possessio unde liberi, in primo ordine ab intestato defertur liberis in bonis parentis. * Liberis naturalibus, *l.* 1. *C. hic.* & in potestate constitutis adoptivis; extra eam, emancipatis. *l.* 1. *pr.* §. 6. *l.* 4. *hic.* non suis; *d. l.* 1. §. 3. quia hi ipso jure heredes existunt. *l.* 7. *de inoff. test.* *

Vnde legitimi.

19. Bonorum possessio unde legitimi, in secundo ordine, ab intestato defertur, iis qui lege, vel Senatusconsulto, vel principis constitutione, ad hereditatem vocantur. *l.* 2. §. *ult.* & *l.* 3.

Vnde cognati.

20. Bonorum possessio unde cognati, in tertio ordine, ab intestato defertur proximis defuncti cognatis. *infr. quis ord. in bonor. poss. serv. l.* 1. *in princ. sed in.* §. *sed eas. vers. sublata. Inst. de bonor. poss. vocatur quinta bonorum possessio, connumeratis duabus ex testamento delatis contra tabulas, & secundum tabulas.*

21. Cognati sunt, qui vel per masculos, *l.* 5. *l. pen.* & *infr. tit. prox. l.* 1. §. feminasve. *quis ord. in bon. poss. ser. l. pen.* §. 1. & *Inst. de success. cog.* §. *eos & vulgo.* sanguine juncti, vel per adoptionem in eadem familia constituti sunt. *l.* 1. §. *cognationem. l.* 3. & *Inst. de heredit. quæ ab intest. def.* §. *admonendi.*

* Cognati hic sunt, qui ratione sanguinis juncti erant defuncto, non tamen erant in ejus familia; ut conjuncti per fæminas, *l. ult.* §. *cognati.* & §. *cognationis. de grad. & affin.* §. *pen. Inst. de success. cogn.* & conjuncti per masculos quorum ad-

adgnatio per capitis deminutionem sublata est. §. 1. *Inst. eod.*

Est autem cognatio, vel naturalis tantum, vel civilis tantum, vel naturalis & civilis simul. *

22. Cognatio naturalis tantum est, inter eos qui sunt ejusdem sanguinis, non ejusdem familiæ, ut inter eos qui per feminas sunt conjuncti. *infr. de gradib. l. 4. §. cognationis.*

23. Cognatio civilis tantum, seu legitima tantum, est, inter eos qui sunt ejusdem familiæ, non ejusdem sanguinis; ut inter eos qui per adoptionem conjuncti sunt. *d. l. 4. §. cognationis.*

24. Cognatio naturalis & legitima est, inter eos qui sunt ejusdem sanguinis & ejusdem familiæ; ut inter conjunctos per masculos ex justis nuptiis. *d. §. cognationis.*

25. Adgnatio est, cognatio, seu conjunctio civilis, inter eos qui sunt ejusdem familiæ.

[Communia bonorum possessionibus sunt. 1. Ut, prioribus vocatis eas non accipientibus, in eorum locum sequentes succedant. 2. Ut gradu proximiores remotioribus præferantur. Ad prius pertinet successorium edictum.]

De successorio edicto.

26. Successorium edictum est, quo, si priori loco vocati bonorum possessionem non accipiant, alii in eorum locum succedunt, & ad bonorum possessionem vocantur.

* Locum habet, in bonorum possessione unde liberi, *l. 5. §. pen. ff si tab. test. null. ext.* & bonorum possessione unde cognati. *§. placebat. 7. Inst. de legit. agnat. success. l. fin. C. hic.* Ex Iustiniani constitutione etiam in bonorum possessione unde legitimi. *l. ult. §. placebat. 9. C. de bonis libert. d. §. placebat. 7.* *

De

De gradibus, & affinibus, & nominibus eorum.

* QUia cognatorum & agnatorum varia est ratio, & ad proximum gradum tam hereditates, quam tutelæ, redeunt, gradus cognationum nosse oportet *

27. Gradus est, cognatorum inter se distantia, à generatione sumpta.

28. Linea est, quæ plures in diversis gradibus cognatos continet. *l. stemmata. 9. h. t.*

29. Linea superior est, quæ parentes continet.

30. Linea inferior est, quæ liberos continet.

31. Linea transversa est, quæ transversales comprehendit.

32. Parentes, seu ascendentes sunt, originis liberorum auctores.

Liberos, qui & descendentes vocantur, definivi, *lib. 5. defin.* 8.

33. Transversales sunt, quorum neuter ab altero, sed utrique ab eodem communi parente ortum ducunt.

34. Transversales æquales sunt, qui æquè distant à communi parente; ut, fratres, vel consobrini.

35. Transversales inæquales sunt, qui inæqualiter distant à communi parente; ut, patruus, & fratris filius.

36. Transversales superiores sunt, qui sunt communi parenti propinquiores; ut, patruus.

37. Transversales inferiores sunt, qui sunt à communi parente remotiores; ut, filius fratris.

38. Avus est, patris, vel matris pater. *l. ult.* §. 2.

39. Avia

39. Avia eſt, patris, vel matris mater. *d.* §. 2.

40. Proavus eſt, avi, vel aviæ pater. *d. l. ult.* §. 3.

41. Proavia eſt, avi, vel aviæ mater. *d.* §. 3.

42. Abavus eſt, proavi, vel proaviæ pater. *d. l. ult.* §. 4.

43. Abavia eſt, proavi, vel proaviæ mater. *d.* §. 4.

44. Atavus eſt, abavi, vel abaviæ pater. *d. l. ult.* §. 5.

45. Atavia eſt, abavi, vel abaviæ mater. *d.* §. 5.

46. Tritavus eſt, atavi, vel ataviæ pater. *d. l. ult.* §. 6.

47. Tritavia eſt, atavi vel ataviæ mater. *d.* §. 6.

48. Fratres, vel ſorores conſanguinei ſunt, qui ex eodem patre geniti ſunt.

49. Fratres, vel ſorores uterini ſunt, qui ex eadem matre nati ſunt.

50. Fratres vel ſorores germani ſunt, qui ſunt ex eodem patre, & ex eadem matre.

51. Patrueles ſunt, qui, quæve, ex duobus fratribus progenerantur. *l.* 1. §. 4. *& Inſtitut. eod.* §. 4.

52. Conſobrini, vel conſobrinæ, ſunt qui, quæve, ex duabus ſororibus naſcuntur. *dictis jurib.*

53. Amitini, vel amitinæ, ſunt, qui, quæve, ex fratre, & ſorore orti ſunt. *dictis juribus.*

54. Sobrini, vel ſobrinæ, ſunt qui ex duobus duabuſve patruelibus, ſeu conſobrinis, ſive amitinis orti ſunt. *l.* 3. *& Inſt. eod.* §. 6.

55. Patruus eſt, patris frater. *d. l. ult.* §. 3. *verſ. patruus. & Inſt. eod.* §. 3.

56. Amita eſt, patris ſoror. *d.* §. 3. *verſ. amita. & Inſt. eod. d.* §. 3.

57. Avun-

57. Avunculus est, matris frater. *d.* §. 3. *vers. avunculus. & Inst. eod.* §. 3.

58. Matertera est, matris soror. *d.* §. 3. *v. matertera. & Inst. eod. d.* §. 3.

59. Patruus magnus est, avi frater. *d. l. ult.* §. 4. *vers. patruus magnus. & Inst. eod. lege* 4.

60. Amita magna est, avi soror. *d. l. ult.* §. 4. *vers. amita magna. & Inst. eod. d.* §. 4.

61. Avunculus magnus est, aviæ frater. *d. l. ult.* §. 4. *vers. avunculus magnus. & Inst. eod. d.* §. 4.

62. Matertera magna est, aviæ soror. *d. l. ult.* §. 4. *vers. amita magna. & Inst. eod. d.* §. 4.

63. Propatruus, sive patruus major est, proavi frater. *d. l. ult.* §. 5. *& Instit. eod.* §. 5.

64. Proamita, sive amita major est, proavi soror. *dictis juribus.*

65. Proavunculus, sive avunculus major est, proaviæ frater. *dictis juribus.*

66. Promatertera, seu matertera major est, proaviæ soror. *dictis juribus.*

67. Abpatruus, seu patruus maximus est, abavi frater. *d. l. ult.* §. 6. *Instit. eod.* §. 6.

68. Abamita, seu amita maxima est, abavi soror. *dictis juribus.*

69. Abavunculus, seu avunculus maximus est, abaviæ frater. *dictis juribus.*

70. Abmatertera, seu matertera maxima est, abaviæ soror. *dictis juribus.*

71. Propior seu propius sobrino vel sobrinâ sunt, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia; seu sobrini vel sobrinæ, pater, mater. *d. l. ult.* §. 5. §. *patrui magni. & Inst. eod.* §. 5.

72. Affinitas, jure civili, est conjunctio ex justis nuptiis proveniens inter conjugem, & alterius conjugis cognatos. *l.* 4. §. *sed quoniam. &* §. *sciendum.*

sciendum. Iure canonico est, conjunctio ex feminis inter virum, & mulieris cognatos; nec non inter mulierem, & viri cognatos. *extra de eo qui cognov. consf. uxor. sua. c. 6. & c. tu.* 410.

73. Socer est, pater viri, vel uxoris, *l. 6. §. & qualem*.

74. Socrus est, mater viri, vel uxoris. *d. l. 6. §. & quidam.*

75. Gener est, filiæ maritus. *d. §. & quidam.*

76. Nurus est, filii uxor. *d. §. & quidam.*

77. Prosocer, vel socer magnus, est, viri, vel uxoris, avus. *d. §. & quidam.*

78. Prosocrus, vel socrus magna, est, viri, vel uxoris, avia. *d. §. & quidam.*

79. Progener est, neptis maritus. *d. §. & quidam.*

80. Pronurus est, nepotis uxor. *d. §. & quidam.*

81. Vitricus meus est, matris meæ maritus, qui non est meus pater. *d. §. & quidam.*

82. Noverca mea est, patris mei uxor, quæ non est mea mater. *d. §. & quidam.*

83. Privignus, vel privigna, sunt filius, filiave conjugis ex alio præcedente matrimonio suscepti. *d. §. & quidam.*

84. Levir est, frater mariti, *d. §. & quidam.* vel uxoris, *Hotom. in disp. de grad. affin.*

85. Glos est, soror mariti, *d. §. & quidam*. vel uxoris. *d. disp. de grad. affin.*

86. Fratria est, uxor fratris. *d. §. & quidam.*

87. Sororius est, sororis maritus.

Vnde vir & uxor.

[VLtima bonorum possessio est, unde vir, & uxor.]

88. Bo-

88. Bonorum possessio unde vir, & uxor, defertur conjugi superstiti, in bonis conjugis ab intestato defuncti, vel defunctæ, ordine quarta. *Cod. hoc tit. l. unic. & infr. qui ord. in bon. poss. servet. l. 1. in princ.*

Vt ex legibus Senatusveconsultis bonorum possessio detur.

[ACcedit extra ordinem bonorum possessio ut ex legibus.]

89. Bonorum possessio ut ex legibus, extra ordinem his datur, quibus lege, vel Senatusconsulto, vel principis constitutione, ex testamento, vel ab intestato, dari oportet. *l. 1. in princ. & Inst. de bon. poss.* §. 7.

* *Quis ordo in bonorum possessione servetur.*

IN petenda bonorum possessione ab intestato, primùm vocantur sui, secundo legitimi, tertiò proximi cognati; deinde vir & uxor. *l. 1. in pr. hic.* *

De suis, & legitimis heredibus.

SUi heredis definitionem *vide lib. 5. num. 9.*

90. Legitimus heres est, qui ex verbis, aut mente, & interpretatione Leg. 12 Tab. aut novo civili jure, ad intestati hereditatem vocatur. *l. capitis. 11. & de hered. petit. l. 1.*

91. Novum jus est, quod est Leg. 12 Tab. posterius. *sup. de cap. min. l. 7. in princ.*

* Intestatus decedere dicitur, qui aut omninò non fecit testamentum, aut non jure fecit (vel quia solemnia aut substantialia omisit, vel quia jus

 facien-

faciendi non habuit. (Nam & is, licet non proprie; *l. 1. in pr. hic. l. 2. §. 3. ff. unde legit. ex juris tamen pariter. l. 4. §. 3. ff. qui pet. tut. l. 5. ff. qui test. fac. l. 9. de reb. dub. l. 14. §. fin. ff. ad leg. Falc.* loquendi usu est intestatus.) aut quod jure fecerat ruptum irritumve factum est; aut si ex eo nemo heres exstitit. §. 1. *Inst. de hered. qua ab intest. def.* *

Ad Senatusconsultum Tertullianum, & Orphitianum.

92. Senatusconsultum Tertullianum, Hadriani temporibus factum liberorum intestatorum hereditatem matri defert. *Instit. de Senatusconsulto Tertulliano. §. postea.*

93. Senatusconsultum Orphitianum, divi Marci ætate factum, Orphitio & Rufo Coss. matris intestatæ hereditatem filiis, & filiabus defert. *Inst. de Senatusconsulto Orphit. in princ.*

De operis novi nuntiatione.

[Est & obligationum genus ex damno, quod quidem nondum factum est, futurum tamen timetur; quales tres sunt. 1. oritur ex operis novi nuntiatione. 2. de damno infecto. 3. de aqua, & aquæ pluviæ arcendæ.]

94. Operis appellatione hic significatur, quod solo conjunctum est, cujus ædificatio, vel demolitio videtur novum opus continere. 1. §. *hoc autem edictum non omnia.*

95. Novum opus facit, qui ædificando, aut detrahendo aliquid, pristinam operis faciem mutat. *d. l. 1. §. opus.*

96. Nuntiare novum opus est, denuntiare ne opus

opus novum fiat, quod nondum factum est. *d. l.* 1. §. 1.

* Nuntiatio ergò est, legitima prohibitio facta ædificanti; ut ab opere novo nobis nocituro desistat, donec de jure ædificantis constet, aut præstita sit eo nomine satisdatio.

Fit vel nudis verbis, quæ usurpatur tum, cum in suo quidem, sed contra jus servitutis, vicinus ædificat; *l.* 1. §. 2. *l.* 5. §. 10. *hic.* vel lapilli jactu; *l.* 1. §. 6. *ff. quod vi aut clam. ff. l.* 5. §. 10. vel per Prætorem ejus officio implorato. *d. l.* 1. §. 2. 6. *cum* §§. *seqq.* *

De damno infecto, & de suggrundis, & protectionibus, aliàs projectionibus.

97. DAmnum infectum est, quod nondum contigit, sed futurum timetur à vicini ædificio ruinoso, vel aliqua parte ejus.

* De eo datur interdictum, metuenti damnum ex vicini ædibus aut tecto, juranti se non calumniæ causa petere, *l.* 7. *pr. l.* 17. §. 12. *hic.* ut vicinus caveat per stipulationem suo nomine, alieno per satisdationem, de damno, si quod datum fuerit, resarciendo. *l.* 15. §. 2. 3. 4. *l.* 19. *eod.* *

De suggrundis. *Vide sup. lib.* 2. *defin.* 98.

98. Projectum est, quod ultra ædes extenditur, ita ut ab altera parte suspensum maneat: ut mœniana, & protecta.

99. Mœnianum (Gallicè *Gallerie*) est, quod spectandi causa extra ædes projicitur.

Protectum. *Def. sup. lib.* 2. *def.* 99.

De aqua, & aqua pluvia arcenda.

100. AQua pluvia est, quæ de cælo cadit atque imbre excrescit. *l.* 1. *in princ.*

101. Actio aquæ pluviæ arcendæ datur ei cujus agro, *l.* 1. §. *item sciendum est, aut actionem, non alias.* aqua pluvia, *l.* 1. *in princ.* ex opere quod alius manu fecit, nocitura est, *d. l.* 2. §. 1. adversus eum in cujus prædio factum opus est. *d. l.* 5. §. ejusque successorem, sive in jus. *l.* 6. §. *penult.* sive in rem successerit: *l. emptor.* 12. Vt si opus fecit, vel facienti heres extitit, opus suis impensis tollat, aliàs tolli patiatur. *d. l.* 6. §. *pen.*

De publicanis, & vectigalibus & commissis.

[QVintum obligationis genus respicit ad vectigalia.]

102. Publicanus est, redemptor, *sup. locati. l. cum in plures.* 60. §. *pen.* vectigalium. *l.* 1. §. 1. *l. quanta.* 12. §. *ult. & l. seq. in princ. & infr. de verb. signif. l. cum qui.* 16.

103. Redemptura est, vectigalium conductio. *sup. de Instit. act. l.* 5. §. *Labeo.*

104. Vectigalia, *hic.* seu publica, *sup. pro socio. l. ut in conductionibus.* 33. seu publica vectigalia, *infr. de verb. signif. l. inter publica.* 17. §. 1. sunt reditus fisci, aut Reipublicæ, aut fructus, quibus Respublica sustinetur, *Tacitus, lib.* 13. *annal.*

[Nempe vel vectigalia publica, vel præcise publica vocantur; quæ qui conducunt, ut est in definitione, publicani dicuntur.]

105. Scriptura est, vectigal quod pastores ex publicis pascuis solvunt.

106. Pe-

106. Pecuarius est, publicanus qui scripturam à pastoribus exigit.

107. Decuma est, fructuum pars decima, quam aratores, publicum agrum colentes, vectigalis nomine solvunt.

108. Decumanus est, publicanus, qui decumam ab aratoribus exigit.

109. Portorium est, octava pars mercium exportatarum, vel importatarum, quam vectigalis nomine mercatores solvunt.

110. Portitor, seu octonarius est, qui portorium à mercatoribus exigit.

111. Professio est, mercis quæ vectigal debet, ad publicanum delatio.

112. Res in commissum incidere dicitur, cum ob professionem, aut vectigalis solutionem, dolo malo. *l. ult. §. dici quoque.* omissam, confiscatur; *l. commissa.* 14. Si per errorem id contigerit, duplum vectigalis nomine solvitur quam solvi debeat.

113. Actio in factum, intra annum, mixta, in duplum; post annum, rei persecutoria, in simplum, à Prætore datur, contra publicanum, ei qui ab ipso publicano vectigalis nomine, vel ab ejus familia, rapinam, vel furtum, vel damnum, passus est. *l. 1. in princ. §. & restituendi. & l. 5.*

De donationibus.

[VLtimum obligationis genus est, ex causa donationis.]

* Donatio (dicta à dono, quasi dono datum, *l. Senatusc.* 35. §. 1. *tit. seq.*) in genere est actus quo res aliqua, vel sola ex liberalitate & simpliciter, vel respectu habito ad causam aliquam donandi animo in alterum transfertur *

[Dividitur 1. in donationem propriè dictam, (per quam donatarius non obligatur naturaliter, nisi ad antidora.) & donationem impropriè dictam, quæ accipientem obligat. *Auctor Isag. hic.* 2. Item in donationem simplicem, ob causam, sub modo, & conditionalem. *

114. Simplex donatio est, liberalis, nullo jure cogente, facta concessio. *l. donari. 29. in princ. & de verb. signif. l. donari.* 82.

* Seu est, actus, quo res aliqua, nullo jure cogente propter meram liberalitatem, alteri volenti traditur. *

Donatio ob causam, & sub modo est, cum datur, vel ut aliquid fiat, vel ut non fiat, vel cum certo modo certaque lege. *l.* 1. §. 1. *hic. tit. C. de donat. quæ sub mod. vel cond.*

* Modus si sit gratuitus, non mutat simplicem donationem; veluti, *si quis donet alteri, ut villam, equum emat, uxorem ducat.* *

Donatio conditionalis est, cum quis ita donat, ut tum demum accipientis rem fieri velit, cùm aliquid secutum erit, vel ut statim quidem accipientis fiat; si tamen aliquid aut factum fuerit, aut non fuerit, velit eam ad se reverti. Qualis est donatio mortis causa.]

* Tempus etiam donationi addi potest. *l. ult. C. hic.* & quidem varie. Nam vel donatur ad certum tempus, *l.* 2. *C. de donat, quæ sub modo &c.* vel ad incertum, *d. l.* 2. vel ex incerto tempore. Nec hæ leges simplici donationi adjectæ eam faciunt ob causam. *l.* 3. *C. eod.* *

De mortis causa donationibus, & capionibus.

115. MOrtis causa donatio est, cum quis ita donat ut se, quam donatarium, & dona-

donatarium, quam heredem habere malit. *l. 1. in princ. & Inst. de donat. §. mortis causa. vers. & in summa.*

* Seu, mortis causa donatio est, actus, quo donator mortis suæ metu, in alterum, præsentem, rem aliquam eo animo confert, ut morte secutâ ejus sit. *

[Ejus tres sunt species. 1. Cum quis citra ullum præsentis periculi metum, sed sola mortalitatis cogitatione donat, & id quidem exprimit: *puta quod id si non faciat, pura sit donatio.* 2. Cum quis imminente mortis periculo ita donat, ut statim fiat accipientis. 3. Si quis periculo mortis sic det, ut non fiat statim accipientis.]

116. Mortis causa capitur, quod propter mortem alicujus obvenit, nec aliquo proprio nomine appellatur.

De manumissionibus.

MAnumissionem definivi. *Supra. lib. 1. def. 44.*

De manumissis vindicta.

[MAnumissio procedebat multis modis; præcipuus erat, quando fiebat vindicta.]

117. Vindicta est, virga Prætoris, per quem servus ad libertatem perducitur.

118. Manumissus vindicta dicitur, quem capite virga tacto Prætor liberum pronuntiabat, & circumagebat.

De manumissis testamento.

[ET testamento relinquitur libertas. Idque vel purè directò, ita ut manumissus fiat libertus Orcinus, id est, defuncti testatoris: §. *libertas*

bertas. Inst. de sing. reb. per fid. res. vel per fideicommissum. Item vel pure, vel in diem, vel sub conditione.]

De fideicommissariis libertatibus.

119. Fideicommissaria libertas est, quam servus, ex testatoris voluntate; ab alio manumittente accipit.

De Statuliberis.

120. Statuliber est, cui libertas in domini testamento relicta est, jure directo, *sup. de manum. test. l. libertate. 55. in princ. & ad l. Falcid. l. ejus.* 37. in diem, qui nondum venit, vel sub conditione, quæ adhuc pendet. *l. 1. in princ.*

[Vel, Statuliber est, qui statutam & destinatam in tempus, vel conditionem habet libertatem. *l. 1. h. t. Vlpian. tit.* 2.]

* *Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.*

Ipso jure libertatem consequuntur, quibus dies, vel conditio manumissioni præstituta, lapsus sit, vel exstiterit: *l. 3. de statulib. l. 1. & tit. hic.* vel per heredem stat, quominus impleatur. *dd. ll.* *

Qui, & à quibus manumissi liberi non fiunt, & ad legem Æliam Sentiam.

121. Lege Ælia Sentia, temporibus Augusti lata, Sexto Ælio, Gaio Sentio Consulibus,

ſulibus, cavetur, ut manumiſſio in fraudem creditorum non valeat, *Inſt. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ in princ.* niſi ſervus qui ad libertatem pervenit, ſolus heres inſtituatur, qui neceſſarius heres fiat. *Inſt. eod* §. 1. & ut minor 20 annis non aliter manumittere poſſit, quam vindicta, manumiſſionis cauſa apud conſilium probata. *Inſt. eod.* §. *ead.* Sed Iuſtinianus puberibus permiſit etiam in teſtamento libertatem ſervis ſuis relinquere. *Inſt. eod.* §. *ult. & Nov.* 119. *cap.* 2.

* In fraudem creditorum manumittere videtur, qui vel jam tempore quo manumittit, ſolvendo non eſt, vel qui datis libertatibus, deſiturus eſt ſolvendo eſſe; §. *in fraudem. Inſt. hic* id eſt, ſolidum quod debet ſolvere poſſe. *l. ſolvendo.* 114. *de verb. ſignif.* *

122. Conſilium, ſeu Concilium eſt, ſelectorum virorum cœtus, Principi, vel Prætori, vel Præſidi aſſidentium. Aſſidebant autem Romæ 5 Senatores, & 5 Equites; In provinciis vero 20 cives Romani qui recuperatores vocabantur. *Cod. de libert. & eor. lib. l.* 2. *& de vind. & apud conſ. manu. l. ult. Vlp. tit.* 2. §. *ead. lex. Theoph. in* §. *eadem. Inſtitut. qui & ex quib. cauſ. manu. non poſſ.*

De jure aureorum annulorum.

[PRæter libertatem quidam manumiſſi etiam ingenuitate fruebantur: impetrato ſcilicet jure aureorum annulorum.]

123. Ius aureorum annulorum eſt, cujus ratione aliquis poteſt, tanquam ingenuus, aureos annulos geſtare. *l. pen. & l. ult.*

* Erat annulus aureus inſigne ordinis equeſtris. *Plin. nat. hiſtor. lib.* 33. *cap.* 1. *

De natalibus restituendis.

124. NAtalibus restitutus dicitur libertus quem princeps restituit natalibus, in quibus omnes homines ab initio (id est, ante servitutem jure gentium introductam) nascebantur: adeò ut omninò habeatur pro ingenuo. *l.* 3. *&* 2. *& Cod. de jur. aur. annul. l.* 1.

De liberali causa.

125. LIberalis causa, seu causa status est, præjudicium, quo quæritur utrum aliquis sit liber, an servus; vel utrum sit ingenuus, an libertinus.

* Præjudicium dicitur, quod ante judicatum, sequentibus sententiis, vel negotiis dijudicandis, viam sternit & limites præbet. *

Quibus ad libertatem proclamare non licet.

* DE liberali causa agere non possunt, quibus ad libertatem proclamare non licet. *

126. Proclamare in libertatem dicitur, qui ex possessione servitutis asserit se in libertatem.

De collusione detegenda.

127. COlludere dicuntur, qui non seriò inter se judicio contendunt, sed contendere simulant, ex compacto agentes, ut alter ab altero se vinci sinat.

De acquirendo rerum dominio.

[POst judicia personalia sequitur petitorium : Quod est de rerum dominio, aut earum possessione.]

128. Dominium est, jus quo res nostra est, ita ut de eâ pro libitu disponere possimus, *Cod. mand. l. in re mandata.* 21. nisi vi, *arg. l.* 4. *in princ. sup. de stat. hom.* aut jure, aut testamento, aut conventione, prohibeamur. *Cod. de reb. alien. non alien. l. ult.*

[Est vel naturale, vel civile.]

129. Dominium naturale est, quod mulier matrimonio stante habet in rebus dotalbius. *Cod. de jur. dot. l. pen.*

130. Dominium civile est; quod maritus habet in rebus dotalibus. *d. l. pen.*

[Item est, vel directum, vel utile : Nempe]

131. Cum quis dominii titulum retinet, utilitate in alium translata, ille directum, hic utile dominium habere dicitur. *supr. si ag. vectig. id est, emphyt. petat. l.* 1. *in fin. & Cod. de haret. auth. si vero dominus, & de fund. patrim. l. si possessores.* 12.

[Item vel plenum, vel nudum.]

132. Plenum dominium est, à quo ususfructus separatus non est. *supr. de usuf. l. qui usumf.* 38. §. 1. *l. si extraneo.* 46. *in princ. & quib. mod. ususfr. amitt. l.* 2. *in princ. & l. si tibi.* 17.

133. Dominium nudum est, à quo ususfructus est separatus. *supr. quib. mod. ususf. am. l.* 2. *in princ. & de usu & usufr. leg. l. si ususfructus.* 8. *l. si alii.* 19. *& Institut. de usufr.* §. 1. *&* §. *ult.*

134. Secundum dominium est, à quo solus usus abest. *sup. de usu & hab. l. si ita.* 16. §. 1.

[Item est, vel ipsius rei quoad proprietatem; vel servitutis in re constituta, vel possessionis. Nempe partes dominii sunt rei proprietas, & possessio.]

135. Dominium servitutis est, quod is habet cui servitus constituta est; ut fructuarius. §. *si usufr. petatur. l.* 3.

136. Dominium possessionis est, quod habet is ad quem possessio jure pertinet. *sup. de condict. ind. l. indebiti.* 15. §. 1.

[Dominium est earum rerum quæ sunt in commercio.]

Commercium *definivi. lib.* 3. *def.* 121.

[Acquiritur dominium jure gentium vel civili.

Iure gentium; 1. occupatione. 2. accessione. 3. perceptione. 4. traditione.

Occupatione acquiruntur res, 1. vel quia nullius sunt. 2. vel quia ab hostibus capiuntur.]

* Res nullius sunt, vel natura, vel facto, vel tempore.

Natura, quæ vel animatæ, vel inanimatæ:

Illarum occupatio potest dici venatio, harum inventio.

Venatio est aut bestiarum, quæ in specie venatio; aut piscium, quæ piscatio; aut avium & aucupium dicitur. *

Hostes *definiuntur infra. lib.* 7. *defin.* 142.

[Fera animalia hic dicuntur non præcise quæ ferocem, sed feram habent naturam, h. e. quà libere vagantur, nec sede se certâ continent.]

* Inventio est, occupatio aliarum rerum quam animatarum. *

[Thesaurus *definitus est, lib.* 9. *def.* 8.

Accessio *definita, lib.* 4. *defin.* 25. hic est, modus

dus acquirendi dominii, quâ res fit alicujus, quia rei, quæ ipsius est, accedit.]

137. Alluvio, est incrementum latens, quod ita à flumine fit, ut animadverti non possit quantum quoquo temporis momento adjicitur. *l.* 7. §. 1. *& Inst. de rer. divis.* §. *praterea.*

[Alvei mutatio est, cum flumen alveo naturali relicto, ita aliò cœpit fluere, ut ex alieno agro, non modo inundato, alveum novum fecit. *Inst.* §. 21. *de rer. divis.*

Specificatio est, quando rei non modò externa figura, sed forma, ita mutatur, ut nova species constituatur.]

138. Confusio est rerum liquidarum, seu liquefactarum conjunctio. *l.* 7. §. *voluntas. &* §. *seq. & Inst. de rer. divis.* §. *si duorum.*

[Puta talis qua vel veterem formam amittunt; vel retinent quidem, sed separari difficulter possunt; puta cùm ex vino & melle fit mulsum, vel duo vina confunduntur.]

139. Commixtio est, rerum solidarum, singulis corporibus in sua substantia durantibus, conjunctio. *Inst. eodem.* §. *quod si frumentum.*

[Quæ ideo non novam speciem, sed majorem modò acervum facit.

Perceptione acquiruntur fructus.

Traditioni adesse debet justus titulus. Qui est duplex, vel onerosus, vel lucratorius.]

140. Titulus onerosus, seu causa onerosa est, ex quo rem acquirens aliquid invicem rependit; ut emptor pretium, permutator rem.

141. Titulus lucrativus, seu causa lucrativa est, quæ merum lucrum affert, sine onere aliquid invicem præstandi; ut, donatio, legatum.

142. Traditio est, actus, quo rei possessio seu detentio, ad alium (id est, ad accipientem) transfertur.

[Vel traditio est, rei suæ, quoad dominium, in alium translatio.]

* Traditio est, rei suæ quoad dominium in alium translatio, ab eo qui jus transferendi habet, cùm animo dominium transferendi, facta. §. 40. *Inst. hic. l. 20. hic.*

Est vel vera, vel ficta.

Vera, quæ fit de manu in manum; estque sic rerum corporalium.

Ficta, vel quasi, quæ non per se, sed cùm rebus quibus inhærent, traditæ existimantur; estque rerum incorporalium. *l.* 43. §. 1. & 2. *eod.*

Fit etiam symbolo; ut traditione clavium horrei, vel cellæ vinariæ; nec non monstratione; ut si quis à se alteri venditum oculis emptoris ex alto loco subjicit. *

De acquirenda vel amittenda possessione.

143. Possidere est, rem corporalem, *l.* 3. *in princ.* sibi per se, vel per alium, *l. generaliter.* 9. *l. quod meo.* 18. *in princ. l. si id quod.* 25. §. 1. detinere.

* Detentio in genere, nihil aliud est, quam rei κατοχὴ, quæ fit quocunque tenendi animo. *l.* 1. *pr. hic.*

Qui, si fit, ut alii, aut saltem non sibi, habeat; *l.* 8. 9. *ff. commod. l.* 17. *depos. l.* 9. *de R. V.* detentio in specie: si, ut sibi, possessio appellatur.

Hæc est, detentio rei corporalis, aliis possessoribus vacuæ, in commercio existentis, cum animo sibi habendi. *

[Est possessio alia, justa, alia naturalis, alia civilis; alia legitima, alia non legitima; alia bonæfidei, alia malæfidei.]

144. Iusta

144. Iusta possessio est, quæ est ex justa causa; ut, emptionis, aut donationis.

145. Naturalis est, quæ in facto consistit, *l. possessionem.* 29. & corpore detinetur. *l.* 1. *in princ. & infr. de vi & vi armata. l.* 1. §. *sine autem.*

* Seu, Naturalis possessio est, detentio rei vacuæ in commercio existentis; cum animo sibi habendi, citra tamen affectionem domini.

Est vel voluntaria, vel non voluntaria.

Voluntaria est, rei vacuæ cum animo sibi habendi, volente domino, apprehensio.

Non voluntaria est, rei alienæ sine voluntate domini, cum animo sibi habendi, injusta occupatio.

146. Est vel violenta, vel clandestina, vel precaria. *inf. uti possid. l.* 3. *in princ. &* §. *ult. & l.* 3. *in princ.* *

147. Civilis est, quæ jure & animo constat: nimirum cum quis animo & cogitatione domini possidet. *l. si id quod.* 25. §. *ult. & Cod. eod. l. nemo.* 10. *& infr. de vi & vi armata. d. l.* 1. §. *sive autem.*

148. Legitima est, quæ omnium silentio & taciturnitate firmatur. *Cod. hoc tit. d. l. nemo.*

149. Non legitima possessio est, de qua est controversia, & judicium pendens. *d. l. nemo.*

150. Bonæfidei possessor est, qui ignorat rem esse alienam; *infra de leg. Fab. de plagariis. l.* 3. *in princip.* vel qui domini cogitatione rem possidet, *Cod. de furt. l. pen. vers. cum igitur.* id est, qui putat se esse dominum rei quam possidet.

151. Mala fide possidet, qui, sciens rem ad se non pertinere, possidet.

[Distinguitur possidere, & in possessione esse.]

152. In

152. In possessione est, qui non possidet rem quam detinet. *supr. de rei vind. l. officium.* 9.

De usurpationibus, & usucapionibus.

[PEr traditam possessionem, vel confestim acquiritur dominium; puta cum is, qui tradit, rei dominus est; vel procedit usucapio, cum à non domino est tradita, atque ita dominium temporis progressu, per possessionem non usurpatam, acquiritur. §. *pen. Inst. per quas pers. acq.*]

153. Usurpatio est, usucapionis interruptio. *l. 2. h. t.*

* Est vel naturalis, vel civilis.

Naturalis est, qua naturali aliquo facto; puta vi fluminis, vel maris, vel hominis ipsius, hoc est, cum res mobilis aufertur, vel immobilis occupatur; alicui possessio interrumpitur; *l. 5. hic.* vel res ab eo qui eam nomine nostro possidet, alienatur. *l.* 33. §. 4. *eod.*

Civilis est, quæ de jure novo fit per citationem, vel aliam extra judicialem denuntiationem testatò factam; *l. 2. C. de annal. except.* magis quidem per litis contestationem. *l.* 10. *C. de acq. poss.* *

154. Usucapio est, adjectiò dominii, per continuationem possessionis, temporis lege definiti. *l.* 3. *& l. nunquam.* 31. §. 1.

[Ad usucapionem plura, & inter alia titulus requiritur ad usucapiendum idoneus: quales sunt plures; qui deinceps declarantur.]

Pro soluto.

155. PRo soluto usucapit creditor cui bona fide accipienti, res debita, vel alia pro re debita, à non domino, soluta est, *l. pro soluto. C. de*

C. de usucap. & qui ex falsa causa, diversa ab emptione, rem per errorem accepit; si tam tradens, quam accipiens putarunt rem esse debitam. *§ pen.*

Pro emptore.

156. PRo emptore usucapit, qui rem à non domino, *supr. de contr. empt. l. clavibus.* 74. bona fide emit, & accepit, *l.* 2. *in princ.* vel quasi emit; ut quia litis æstimationem solvit, *l.* 1. *& l.* 3. vel justissimo errore ductus rem sibi emptam putat. *l. quod vulgo.* 11. *& infr. pro suo. l. ult.* §. 1.

Pro herede, vel pro possessore.

157. PRo herede usucapit, qui rem alienam bona fide possidenti successit, *sup. de acq. poss. l.* 3. §. *ex plurimis.* quive justo errore ductus, putat se esse heredem, vel bonorum possessorem, *sup. de usurp. & usuc. l. non solum.* 33. §. 1. & heres, vel bonorum possessor, qui justo errore ductus putat rem esse hereditariam. *l.* 3.

Pro donato.

158. PRo donato usucapit is, cui, bona fide accipienti, res à non domino tradita est, ex causa donationis. *l.* 1. *hic.*

Pro derelicto.

159. PRo derelicto habere est, rem ea mente abjicere, ut in rerum tuarum numero amplius esse nolis. *Inst. de rer. divis.* §. *pen.*

160. Pro derelicto usucapit, qui rem à non domino

domino pro derelicto habitam, occupavit, cum à domino pro derelicto habitam, putaret. *l.* 4. *hic.*

Pro legato.

161. PRo legato usucapit is, cui res legata est à non domino. *l.* 1. & 4. & qui falso putat valere legatum sibi à domino relictum. *d. l.* 4. & *l. ult.*

Pro dote.

162. PRo dote usucapit, qui rem dotis nomine, à non domino, vel à non domina accepit; cum dominum, seu dominam, esse putaret. *l.* 1. *in princ.* & *Cod. eod. l. unic.*

Pro suo.

163. PRo suo usucapit, qui alium verum titulum habet, *l.* 1. *in princ.* vel justo errore ductus se habere putat, *l.* 3. *l.* 4. §. *ult.* & qui alio titulo caret, ac tantum pro suo possidet. *l.* 2.

De re judicata, & de effectu sententiarum, & de interlocutionibus.

164. RES judicata est, quæ finem controversiarum pronuntiatione judicis accepit. *l.* 1. *h. t.*

[Seu lis finita per pronuntiationem judicis. Quæ pronuntiatio sententia dicitur.]

165. Sententia est, pronuntiatio judicis, quæ liti finem imponit.

* Seu est, rei controversæ, in judicio rite facta decisio. l. 19. §. 1. *de recept. arbitr.* *

[Est

[Est vel definitiva, vel interlocutoria.

Definitiva est, quæ principalem causam terminat.

Id fit, vel absolutione, vel condemnatione.]

166. Absolutio est, sententia pro reo contra actorem lata.

167. Condemnatio est, sententia pro actore, contra reum lata.

168. Interlocutio est, præceptum judicis, quod ad progressum judicii spectat, nec absolutionem, nec condemnationem continens.

* Confessio est, ejus quod ab adversario intenditur, facta asseveratio, seu adfirmatio.

Est aut judicialis, quæ fit in jure; *l.* 6. *hic.* aut extrajudicialis; *l.* 40. *de pact. Gl. in l.* 4. *de interr. act.* quæ fit extra judicium. *

De cessione bonorum.

169. BOnis cedere dicitur, qui, oneratus ære alieno, bona sua creditoribus dimittit.

* Cessio bonorum est, beneficium sive remedium miserabile & flebile, debitori, qui solvendo non est, pro evitandis carceribus concessum. *l.* 1. *l. cum.* & 7. *C. hic.* *

Quibus ex causis in possessionem eatur.

[REi (id est, crediti; puta dotis, & judicati) servandæ causa mittitur aliquis in possessionem, inter alias, si debitor latitet. *l.* 1. §. 1. *hic.*]

170. Latitare est, cum tractu aliquo latêre. *l.* 7. §. *latitare.*

[Creditor est, vel hypothecarius, vel chirographa-

grapharius, vel privilegiatus, vel non privilegiatus.]

171. Creditor hypothecarius, seu pigneratitius est, cui non solum actio personalis ex contractu principali, sed etiam hypothecaria ex conventione de pignore competit.

172. Chirographarius est, qui tantum actionem personalem habet, sine pignore & hypotheca.

173. Privilegiarius est, qui ex speciali privilegio (quod & prærogativa vocatur) ceteris ejusdem debitoris creditoribus præfertur.

174. Non privilegiarius est, qui privilegio caret.

[Privilegium est temporis, vel causæ.]

175. Privilegium temporis est, quod datur anterioribus creditoribus, contra eos qui sunt tempore posteriores.

176. Privilegium causæ est, in quo personæ, vel obligationis, non temporis ratio habetur.

De rebus auctoritate judicis possidendis, seu venundandis.

[Effectus decretæ missionis præcipuus est, quod debitor cogitur admittere creditorem in rerum suarum possessionem.

Decretum circa hanc rem est, vel primum, vel secundum.]

177. Primum decretum est, quo Prætor, mittens creditores in possessionem bonorum debitoris, non facit eos possessores, sed tantum in possessione constituit, *sup. tit. prox. l. 2. & l. cum legatorum.* 12. ita ut custodiam & pignus Prætorium obtineant. *sup. pro empt. l. misso.* 12. *& qui pot. in pign. hab. l. 2.*

* Seu

* Seu est, jussus Magistratus, quo ob contumaciam rei, actor in bonorum possessionem custodiæ causa mittitur, ut ea pignoris loco detineat, donec reus compareat, aut respondeat. *l.* 13. *tit. prac. l.* 5. *&* 8. *C. hic. l.* 3. *ff. ne vis fiat ei qui in poss.* *

178. Secundum decretum est, quo Prætor jubet creditores ea bona possidere in quorum possessionem eos antea miserat; non ut ea detineant jure dominii, & inter se partiantur: sed ut legitimè distrahant, & ita sibi prospiciant. *sup. tit. prox. l.* 7. §. 1. *&* 2.

* Seu est, alterum Magistratus jussum, quo creditorem seu actorem, qui rei custodiæ causa in possessionem missus fuerat, ob perseverantem rei contumaciam, verum possessorem decernit, aut etiam dominum esse jubet. *d. l.* 7. §. 1. *&* 2. *l.* 5. *l.* 7. §. 1. *de damno inf.* *

De separationibus.

[IN possessione, & distractione bonorum debitoris solet separatio impetrari.]

179. Separatio est, bonorum defuncti, à bonis heredis, *l.* 1. *in princ. &* §. 1. vel castrensium, à paganis, *d. l.* 1. §. *si filiifam.* vel bonorum libertæ, ab hereditariis per libertam quæsitis, *l. pen.* §. 1. disjunctio.

De curatore bonis dando.

[Solet & curator bonis præfici extra ordinem.]

180. Bonorum curator est, cui bonorum custodia, & administratio à Prætore, *l.* 2. *in princ. &* *sup. de curat. furios. l.* 3. *& l.* 5. vel à creditoribus, *l. ult.* commissa est. [Etiam distractio,

tractio, ut, ex redacto creditoribus satisfaciat. *dd. ll.*]

Quæ in fraudem creditorum facta sunt, ut restituantur.

[QUia debitores, distractionem bonorum suorum metuentes, maturè res suas in fraudem creditorum solent alienare, provisum huic rei est per actionem, dictam Paulianam, & rescissoriam.]

181. Actio Pauliana, in factum, *l. ait Prætor.* 10. *vers. interdum. & §. annus. l. hac in factum.* 14. à Prætore datur creditoribus, vel bonorum curatori, *d. l.* 1. *in princ.* ad ea revocanda, quæ in eorum fraudem debitor alienavit, *d. l.* 1. §. 1. *& Cod. eod. l.* 1. *& sup. de usur. d. l. videamus generali. §. in Faviana.* adversus eum qui res à debitore accepit, si aut fraudis conscius sit, *d. l.* 1. *in princ. & l.* 6. §. *hoc edictum. & Cod. eod. l. pen.* aut ex causa lucrativa accepit, *d. l.* 6. §. *simili. d. l. ait Prætor. vers. interdum. & Cod. eod. d. l. pen.* &c. contra ipsum fraudatorem, si quædam ita disperdidit, ut recuperari nequeant. *l.* 1. *in princ. & l. ult.* §. *ult.*

182. Actio rescissoria, in rem, à Prætore, rescissa alienatione, quam debitor in fraudem creditorum fecit, creditoribus, bona debitoris secundo decreto possidere jussis, datur, adversus quemcunque possessorem, ad res alienatas vindicandas, ac si alienatæ non fuissent. Proinde secundo illo decreto comprehenderetur. *Inst. de act.* §. *item si quis in fraudem.*

De interdictis, sive extraordinariis cognitionibus, quæ pro his competunt.

[Extraordinaria possessionum judicia dicuntur interdicta.]

183. Interdictum est, formula & conceptio verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubet, vel prohibet, *Inst. hoc tit. in princ.*

* Seu interdictum est, enunciatum Prætoris inter duos aliquos, qui de possessione vel quasi contendunt, emissum, facti quidem speciem, caussamque non incidens, sed quomodo de ea judicandum sit, judicem informans. *Theoph. princ. Inst. hic.* *

[Dividuntur interdicta variè. 1. Sunt, à formâ concipiendi, vel prohibitoria, vel restitutoria, vel exhibitoria.]

184. Interdicta prohibitoria sunt, quibus Prætor aliquid fieri prohibet. *Inst. eod.* §. 1. *vers. prohibitoria.*

185. Restitutoria sunt, quibus Prætor restitui jubet. *d.* §. 1. *vers. restitutoria.*

186. Exhibitoria sunt, quibus Prætor jubet exhiberi. *d.* §. 1. *vers. exhibitoria.*

[A materia, interdicta sunt, vel divini, vel humani juris gratia.]

187. Divini juris gratia sunt, quæ sunt de rebus divinis; ut sacris, vel religiosis. *l.* 1. *in princ.* & *l.* 2. §. 1.

188. Hominum gratia sunt, quæ ad publicam utilitatem spectant, vel ad jus suum tuendum, vel ad officium tuendum, vel ad rem familiarem. *d. l.* 2. §. 1.

[A fine sunt, vel adipiscendæ, vel recuperandæ, vel retinendæ possessionis.]

189. Adipiscendæ possessionis est, quo quis posses-

possessionem adipiscitur, quam antea non habuit. *l.* 2. §. *ult. vers. adipiscendæ.* & *Inst. eod.* §. *adipiscendæ.*

190. Recuperandæ possessionis est, quo possessio amissa recuperatur. *d. l.* 2. *vers. ult. vers. recuperandæ,* & *Inst. eod.* §. *recuperandæ.*

191. Retinendæ possessionis est, quo quis possessionem quam habet, retinet. *d. l.* 2. §. *ult. vers. retinendæ.* & *Inst. eod.* §. *retinendæ.*

[A tempore, vel perpetua sunt, vel annalia.]

192. Annalia sunt, quæ anno terminantur: id est, quæ pœnalia sunt. ut, *inf. de vi* & *vi armata. l.* 1. *in princ.*

193. Perpetua sunt, quæ anno non terminantur, id est, quæ sunt rei persecutoria. ut, *d. l.* 1. *in princ.*

[Ab accidente, vel sunt simplicia, vel duplicia.]

194. Simplicia sunt, in quibus alius est actor, alius reus. *Inst. eod.* §. *pen.*

195. Duplicia sunt, in quibus uterque litigantium est actor, & reus.

[A causa intrinseca, vel quæ proprietatis, vel quæ solius possessionis causam habent.]

196. Proprietatis causam habent, quibus possessio ei attribuitur ad quem proprietas pertinet. *l.* 2. §. *quædam.* & *infr. de aq. quot.* & *æst. l.* 1. §. *ait Prætor.* 38. §. *si ex castello.* 40. & §. *ult.*

197. Solius possessionis causam habent, in quibus nulla ratio habetur proprietatis; veluti, unde vi, *inf. de vi* & *vi armata. l.* 1. *in princ.* §. *adjicitur.* & 9 *sequent.* uti possidetis. *infr. uti possidetis. l.* 1. §. *inter.*

198. Actio quæ pro interdicto competit, est, Prætoria, extraordinaria, in factum, personalis, quæ ei pro quo Prætor interdixit, adversus eum qui contra

contra interdictum fecit, in id datur quod agentis interest.

Quorum bonorum.

[DE hereditatibus sunt quatuor interdicta; quorum primum, à primis verbis edicti, quorum bonorum dicitur.]

199. Interdicto quorum bonorum Prætor jubet, ut bonorum possessori id restituatur, quod aliquis de his bonis pro herede, aut pro possessore possidet; nisi usucaptum sit; & quod dolo malo fecit ut desineret possidere. *l.* 1. *in princ.*

Quod legatorum.

[ALterum appellatur, quod legatorum.]

200. Interdicto quod legatorum Prætor jubet, ut quod quis legati nomine, vel fideicommissi, non ex voluntate heredis, vel bonorum possessoris, occupavit, id ei restituat, quò facilius Falcidiam deducere possit. *l.* 1. §. *continet. & Cod. eod. l. unic.*

Ne vis fiat ei qui in possessionem missus erit.

[TErtium non modò hereditati, & legatis commune est; sed & ad alias res pertinet; estque prohibitorium & restitutorium. Quippe]

201. Hoc interdicto Prætor prohibet, ne ei qui in possessionem missus est, vis fiat, quominus in possessionem veniat, aut quo magis de possessione dejiceretur, id restituat. *l.* 1. §. 1. & 2. *l.* 3. *in princ.* §. *pen.*

De tabulis exhibendis.

[QUartum edictum est exhibitorium, spectans tabulas testamenti.]

202. Exhibere tabulas est, ipsius materiæ apprehendendæ copiam facere apud Prætorem. *l.* 3. §. *quid sit. & §. seq.*

203. Tabulæ hoc loco, dicuntur, quæ ad causam testamenti pertinent, *l.* 1. §. *hoc interdictum*. §. *fine & §. itaque.* qualescunque sint, & quotcunque sint, *d. l.* 1. §. *proinde.* dummodo is qui tabulas fecit, mortuus sit. *d. l.* 1. §. *pen.*

204. Interdicto de tabulis exhibendis Prætor jubet, ut is penes quem sunt tabulæ testamenti ab aliquo relictæ, cujusve dolo malo factum est, ut penes se esse desinerent, *l.* 1. *in princ.* eas, illi cui aliquid in his tabulis relictum est, exhibeat. *l.* 3. §. *solent.* De libello aliave scriptura relicta similiter interdicit. *d. l.* 1. *in princ,*

Ne quid in loco sacro fiat.

[RÉs divinas tangit interdictum de locis sacris, circa quæ quamvis, titulum si spectes, prohibitorium tantum videatur esse interdictum : esse tamen & restitutorium definitio docet.]

205. Hoc interdicto Prætor in loco sacro, deformitatis, vel incommodi causa, *l.* 1. §. *quod ait.* aliquid immitti vetat : *d. l.* 1. *in princ.* & si quid factum, vel immissum sit, id restitui jubet. *sup. de interd. l.* 2. §. *locorum. & infr. ne quid in loco publ. l.* 2. §. 1. Hoc interdictum datur ad loca sancta, *sup. de oper. no. nuntiat. l.* 2. & religiosa.

De locis & itineribus publicis.

[DE rebus publicis primò generale est interdictum hoc titulo, deinde specialia titulis sequentibus.]

206. Locus publicus est, cujus solum publicum est. *argum. l.* 2. *viam infr. tit. prox.*

207. Iter publicum, *hac rub.* seu via publica, *l.* 1. *&* 2. *& infr. tit.* 10. *&* 11. *& alibi passim.* seu via regia, *d. l.* 2. § *viarum.* seu consularis, *d.* §. *viarum.* seu militaris, *l. ult.* §. 1. seu Prætoria, *d.* §. *viarum. hoc tit. prox.* est cujus solum publicum est; in directum certis finibus latitudinis, ab eo qui jus publicandi habuit relictum, ut ea publicè iretur, commearetur. *d. l.* 2. *viarum.*

208. Via privata, sive agraria, *infr. tit. prox. d. l.* 2. §. *privata.* est, quæ est in fundo serviente, & ad alterius fundum dominantem ducit, vel quæ post viam publicam excipit, in villam, aut agrum ducens.

209. Vicinalis est, quæ in vicis est, vel in vicos ducit. *d. l.* 2. §. *viarum.*

Ne quid in loco publico, vel itinere fiat.

[PRimum interdictum speciale est, ne quid in loco publico fiat.]

210. Loca publica hic vocantur, quæ privatorum usibus deserviunt, non quasi cujusque propria, sed jure civitatis. *l.* 2. §. *& tam publicis.*

211. Interdicto de loco publico prohibet, ne quid in loco publico fiat, vel immittatur, unde alteri damnum detur, nisi id lege, Senatusconsulto, edi-

edicto, principis decreto, concessum sit. *l.* 1. *in princip.*

212. Damnum pati videtur, qui commodum amittit quod ex publico consequebatur, quale quale sit. *d. l.* 2. §. *damnum.* & §. *seq.*

[Secundum interdictum pertinet ad vias rusticas, & ipsas vias spectat.]

213. Interdicto de via publica, sive itinere publico rustico tuendo, Prætor prohibet, ne in ea via itinereve aliquid fiat, *l.* 2. §. *hoc interdictum tantum.* quo ea deterior fiat, & quod quis ita factum immissumve habet, vel dolo malo fecit quominus haberet, id restituat. *d. l.* 2. §. *Prætor ait.* & §. *hoc interdictum locum habet.*

214. Deterior via fieri dicitur, si usus ejus ad commeandum, vel eundum, vel agendum, corrumpatur. *d. l.* 2. §. *deteriorem.*

215. Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit, sive tollat id quod factum est, sive reponat quod sublatum est. *d. l.* 2. *restituas.* 27.

[Tertium viæ publicæ usum spectat.]

216. Interdicto de usu ejusdem viæ publicæ, sive itineris publici, Prætor vim fieri vetat, quominus alicui ire, agere liceat. *d. l.* 2. *ult.*

De loco publico fruendo.

[Quartum loci publici fruitionem.]

217. Interdicto de loco publico fruendo Prætor prohibet, ne ei, qui à jus locandi habente locum publicum fruendum conduxit, ejusve socio, vis fiat quominus è lege locationis frui liceat. *l.* 1. *h. t.*

De via publica, & itinere publico reficiendo.

[QUintum de via publica reficienda.]

218. Interdicto de via publica, & itinere publico reficiendo Prætor prohibet, ne vis alicui fiat, quominus viam publicam, iterve publicum aperire, reficere, liceat, dum ne ea via, idve iter, deterius fiat. *l.* 1. *in princ.*

De fluminibus, ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo pejus navigetur.

[FLumina, à fluendo dicta. Quædam sunt perennia, quæ semper fluunt; quædam torrentia, quæ hieme fluunt, æstate exarescunt.]

219. Flumen publicum est, quod perenne est. *l.* 1. §. *Fluminum.*

220. Ripa est, quæ plenissimum flumen continet, *l. pen.* §. 1. vel id quod flumen, naturalem sui cursus rigorem tenens, continet. *l.* 1. §. *ripa.*

[De fluminibus plura sunt interdicta.]

221. Interdicto de fluminibus primò Prætor prohibet ne quid in flumine publico, ripave ejus sine legis permissu, *l.* 1 §. *Labeo.* fiat; immittaturve, quo statio, iterve, navigatio, deterius sit, vel fiat, *l.* 1. *in pr.* & si quid adversus ea factum, vel immissum sit, id restitui jubet. *d. l.* 1. §. *deinde.* Similiter interdictum redditur, de mari, littore maris, *d. l.* 1. §. *si in mari.* & flumine non navigabili. *d. l.* 1. §. *non autem.*

Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priori æstate fluxit.

222. INterdicto secundo de fluminibus Prætor in flumine publico, ripave ejus aliquid fieri, vel immitti prohibet, quo aliter aqua fluat, quam priori æstate fluxit, *l. unic. in princ.* & quod quis adversus ea factum, vel immissum habet, id eum restituere jubet. *d. l. unic. §. deinde.*

Vt in flumine publico navigare liceat.

223. INterdicto tertio de fluminibus Prætor prohibet ne vis fiat quo minus in flumine publico navem, seu ratem agere, quove minus per ripam onerare, & exonerare liceat, & ne vis fiat, quominus per lacum, fossam, stagnum publicum navigare liceat. *l. unic. in princ.*

224. Lacus est, quod perpetuam habeat aquam. *d. l. unic. §. lacus.*

225. Stagnum est, quod temporalem continet aquam ibidem stagnantem, quæ plerumque hyeme cogitur. *d. l. unica. §. stagnum.*

226. Fossa est, receptaculum aquæ, manu factum. *d. l. unic. §. fossa.*

227. Interdicto de pecoribus Prætor prohibet, ne cui vis fiat, quominus pecus ad flumen publicum, ripamve ejus appellere liceat. *d. l. unic. §. ult.*

De

De ripa munienda.

228. INterdicto de ripa munienda Prætor prohibet, ne vis fiat quominus in flumine publico ripave ejus opus facere, ripæ, agrive qui circa ripam est, tuendi causa, liceat; dummodò navigatio ob id deterior non fiat, & vicinis, atque his qui trans flumen agros possident, damni infecti in annos decem, boni viri arbitratu, caveatur, vel, satisdetur, pro qualitate personæ. Similiter interdicendum de ripa lacus, vel fossæ, vel stagni, munienda. *l. unica. in princip.* §. *per totam.*

De vi, & vi armata.

[SEquentia interdicta singulas res privatas, easque vel soli & immobiles, vel mobiles concernunt. Primum interdictum vocatur unde vi.]

Vim, & varias ejus species, definivi *lib.* 1. *ad tit. quod metus causa. num.* 160. *& sequent.*

229. Vis privata (quæ in hac rubrica simpliciter vocatur vis) est, quæ privatim fit sine armis. *Inst. de interd.* §. *recuperandæ.*

230. Vis publica, seu armata dicitur, quæ fit armis adhibitis. *d.* §. *recuperandæ.*

231. Interdicto de vi is, qui per vim atrocem, *l.* 1. §. *hoc interdictum.* 1. *&* §. *plane.* de civili, vel naturali possessione, *d. l.* 1. §. *dejicitur.* soli, aut rei solo cohærentis, *d. l.* 1. §. *hoc interdictum non ad eorum. &* §. *denique.* alterum dejecit, eam possessionem ei restituere jubetur, una cum rebus, quas ibi dejectionis tempore habuit, si intra annum conveniatur qui dejecit: aliàs cum iis tantum rebus quæ ad se pervenerunt, vel dolo malo

fecit ne ad se pervenirent. *d. l.* 1. *in princ.* & §. *ult. l.* 2. 3. *in princ. l.* 1. *in interdicto.* 16.

* Est hoc interdictum Unde vi duplex, directum, & utile.

Directum datur pro recuperanda possessione rerum immobilium corporalium.

Utile, pro recuperanda quasi possessione rerum incorporalium. *

Uti possidetis.

[SEcundum interdictum vocatur uti possidetis.]

232. Interdictum uti possidetis inter eos redditur, qui de possessione rei immobilis, *l.* 1. §. 1. & *Instit. de interd.* §. *retinendæ.* vel quasi possessione rei incorporalis, ut servitutis, *l. ult.* & *sup. si ser. vind. l. servitus.* 8. §. *Aristo.* & *extra de probat. c. licet.* 9. contendunt. Quo interdicto Prætor vim fieri vetat, quominus penes eum possessio maneat, qui tempore litis contestatæ possidet, dummodò nec vi, nec clam, nec precario ab adversario possideat. *Inst. de interd.* §. *retinendæ. vers. hodie.*

De superficiebus.

[TErtium est, de superficiebus.

Quid sit superficies, & superficiarius, *vid. lib.* 2. *def.* 50. & 51.]

233. Interdicto de superficie Prætor prohibet ne vis fiat, quominus ita quis superficie fruatur, ut ex lege locationis, conductionis, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario fruatur. *l.* 1. *in princip.*

De itinere actuque privato.

[DE itinere, actuque privato duo sunt interdicta. Primum est de ejus usu; Alterum de itinere actuque reficiendo.]

234. Interdicto de usu itineris, actusque, vel viæ privatæ, Prætor prohibet ne ei qui hoc anno, *l. 1. in princ.* retrorsus ex die interdicti computato, *d. l. 1. §. annum.* (id est, aliqua parte hujus anni), *l. 3. in princ.* nec vi, nec clam, nec precario ab adversario hac servitute usus est, vis fiat, quominus ita utatur, *d. l. 1. in princ.*

235. Interdicto de itinere, actuque; seu via reficienda, Prætor prohibet, *l. pen.* ne ei qui hac servitute hoc anno retrorsus computato (id est, aliqua parte hujus anni) nec vi, nec clam, nec precario, usus est, *l. 3. §. ait prætor.* ac jus reficiendi habet, *d. l. 3. §. hoc autem.* caventi adversario de damno infecto, *d. l. 3. §. ait prætor. l. 5. §. ult.* vis fiat, quominus ita, ut ei jus est, reficiat. *d. l. 3. d. §. ait Prætor.*

* Reficere hic significat ad pristinam formam, iter, & actum, & viam reducere; hoc est, ne quis dilatet, aut producat, aut deprimat, aut exaggeret, & aliud faciat: Est enim reficere longe aliud facere. *d. l. 3. §. reficere. 15.* *

De aqua quotidiana, & æstiva.

[SEquuntur interdicta de aquæ ductu; quæ sunt plura.

Primum de aqua quotidiana, secundum de æstiva, tertium de aqua ex castello ducenda, quartum de rivis.]

236. Aqua quotidiana est, quæ assiduè duci solet, vel æstate, vel hieme; licet non ducatur; immò

immò etiamsi usum intermissione servitutis divisum habeat. *l.* 1. §. *quotidiana.* §. *duo aut. &* §. *quod autem.*

237. Aqua æstiva est, quam æstate tantum ducere licet, vel expedit. *d. l.* 1. §. *duo autem. &* §. *seq. & l.* 6.

238. Æstas est, anni tempus ab æquinoctio verno ad æquinoctium autumnale. *d. l.* 1. §. *æstatem.*

239. Æquinoctium est, dies civilis, quo nox est luci æqualis.

240. Æquinoctium vernum est, sole existente in principio Arietis, id est, 21 die Martii.

241. Æquinoctium autumnale est, sole existente in principio libræ, id est, 23 die Septembris.

242. Castellum est, receptaculum publicum, aquam suscipiens.

243. Caput aquæ est, unde aqua nascitur. *l.* 1. §. *caput.*

244. Rivales sunt, qui per eundem rivum aquam ducunt. *d. l.* 1. §. *si inter.*

245. Interdicto, de aqua quotidiana ducenda, Prætor prohibet, ne ei qui hoc anno, *l.* 1. *in princ.* (id est, aliqua parte hujus anni, *d. l.* 1. §. *idem ait.*) aquam perennem, *d. l.* 1. §. *loquitur.* à capite, *d. l.* 1. §. *hoc interdicto.* bona fide (id est, putans se habere jus aquæ ducendæ.) *d. l.* 1. §. *sed & si. &* §. *Aristo.* nec vi, nec clam, nec precario, ab adversario, duxit, vis fiat, quominus ita ducat, *d. l.* 1. *in princ. &* §. *illud tantum.* & ut si quis opus fecit, quo aquæ ductus impediretur, vel aqua corrumperetur, inquinaretur, deterior fieret, id restituat. *d. l.* 1. §. 1. *&* §. *Labeo.*

246. Interdicto de aqua æstiva Prætor prohibet, nè ei qui superiori æstate, *d. l.* 1. §. *deinde. &* §. *quia aut.* aquam à capite, *d. l.* 1. §. *hac interdicta.*

dicta. & §. hoc interdictum necessario. bona fide, nec vi, nec clam, nec precario, ab adversario, duxit, *d. l.* 1. §. *deinde*, vis fiat quominus ita ducat; *d.l.*1. §. *deinde. &* §. *seq.*

247. Interdicto de aqua castellaria, Prætor prohibet, ne ei cui aquam ex castello ducere à principe permissum est, vis fiat, quominus ita ut permissum est aquam ducat; vel, si de damno infecto caveat, quominus aquæ ita ducendæ causa opus faciat. *L.* 1. §. *ait Prætor. &* §. *idque.*

De Rivis.

248. Rivus est, locus per longitudinem depressus quo aqua decurrit. *l.* 1. §. *ait ergo.*

249. Specus est, locus ex quo despicitur. *d. l.* 1. §. *specus.*

250. Incile est, locus depressus ad latus fluminis, aut lacus; ex eo dictus quod vel lapis vel terra inciditur, unde primum aqua ex flumine, vel lacu, deducitur. *l.* 1. §. *incile.*

251. Septa sunt, quæ ad incile opponuntur aquæ derivandæ causa: sive lignea sint, sive lapidea, sive qualibet alia materia sint, ad continendam transmittendamque aquam excogitata. *d. l.* 1. §. *septa.*

252. Reficere est, quod corruptum est, instaurare. Quod quidem fit etiam tegendo, substruendo, farciendo, ædificando, item advehendo, & adportando, quæ ad eamdem rem sunt necessaria. *l.* 1. §. *deinde.*

253. Interdicto de rivis, specubus, septis Prætor prohibet, ne illi qui superiori æstate, aut eodem anno, aquam nec vi, nec clam, nec precario ab adversario, duxit, vis fiat, quominus aquæ ita ducendæ causa, rivum, specum, septa,

reficiat, vel purget. *l.* 1. *in princ. & §. hic interdicto. & l.* 3. *§. iisd.*

De fonte.

[INterdicta de fonte itidem sunt duo; unum de usu ejus, alterum de eo reficiendo.]

254. Interdicto de usu aquæ fontanæ Prætor prohibet, ne ei qui ex fonte, quo de agitur, hoc anno aqua, nec vi, nec clam, nec precario ab adversario usus est, vis fiat, quominus ita utatur. De lacu, puteo, piscina, similiter interdicit. *l.* 1. *in princip.*

255. Interdicto de fonte reficiendo Prætor prohibet, ne ei qui nec vi, nec clam, nec precario ab adversario, aqua ex fonte usus est, vis fiat, quo minus fontem purget, reficiat, ut aqua currere, eodemque modo uti possit. *d. l. unic. §. deinde.*

De cloacis.

256. CLoaca est, locus cavus, per quem colluvies quædam fluit. *l.* 1. *§. cloaca.*

[Est vel publica, vel privata. De utraque est interdictum.]

257. Interdicto de cloaca privata Prætor prohibet, ne ei, ex cujus ædibus cloaca in vicini ædes pervenit, de damno infecto caventi, vis fiat, quominus eam cloacam purgare, & reficere liceat. *l.* 1. *in princip.*

258. Interdicto de cloaca publica Prætor jubet, ut quod quis in ea factum, vel immissum habet, quo usus ejus deterior fit, vel fiat, id restituat: & prohibet ne quid in ea fiat, immittaturve; quo usus ejus deterior sit, vel fiat. *d. l.* 1. *§. pen.*

pen. & ult. Item prohibet ne vis fiat quominus eam purgare, & reficere liceat, *l.* 2. sic tamen ut de damno infecto caveatur; ut, *in superiori interd. & similibus.*

Quod vi, aut clam.

[DE opere quod in solo, vi, aut clam factum est, interdictum est, quod vi, aut clam dicitur; & est restitutorium.]

259. Opus facere dicitur, non solum qui aliquid novi operis facit, sed etiam qui destruit. *l.* 7. *§. bellissimè. §. est & alia. §. notavimus. §. praeterea. & seq. cum sint.*

260. Vi facit, qui prohibitus facit; & qui quominus prohiberetur consecutus est, vel periculo adversariis denuntiato, vel janua clausa. *l.* 1. *§. quid sit. & §§. seqq. l. vi facit.* 20. *in princ.*

261. Clam facit, qui celavit adversarium, cum existimaret, aut existimare deberet eum esse prohibiturum. *l.* 3. *§. pen. & ult. l.* 4. *& l.* 5. *in princ.*

262. Interdicto quod vi, aut clam, Praetor jubet opus vi, aut clam, aut partim vi, partim clam, in solo factum restitui. *l.* 1. *in princ. & §. nec interdictum. l.* 7. *§. notavimus. l. is qui.* 11. *§. interdictum. & Cod. de verb. sign. l. pen. vers. hominem.*

De remissionibus.

[QUod opus vi, aut clam fieri dicatur, nuntiatio in causa; qua remissa, non fit amplius vi, aut clam. *l.* 7. §. 2. *quod vi aut clam.*]

263. Remissio est, nuntiationis novi operis abolitio à Praetore facta. [*l. un. per tot. hic.*]

264. Interdicto de remissionibus Praetor prohibet,

hibet, ne vis fiat opus novum facienti, postquam nuntiatio à Prætore remissa fuerit. [*d. l. un. in pr.*]

De precario.

[POst id quod vi, aut clam fit, sequitur precarium.]

265. Precarium est, quod precibus utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. *l. 1. in princip.*

266. Interdicto de precario Prætor jubet eum qui precario ab altero habet, aut dolo fecit ut id desineret habere, id illi restituere. *l. 2. in princ.*

De arboribus cædendis.

[DE arboribus duo sunt interdicta.]

267. Arbores sunt, quæ radices habent, nec sunt adeò teneræ, ut herbarum numero sint. *infr. arbor. fur. cæs. l. 3. & 4.*

268. Primo interdicto de arboribus cædendis Prætor prohibet, ne ei, in cujus ædes arbor ex vicini ædibus impendet, vis fiat, quominus eam adimere, sibique habere liceat, si per dominum arboris stat, quominus eam adimat. *l. 1. in princip.*

269. Secundo interdicto de arboribus cædendis Prætor prohibet, ne ei, in cujus agrum arbor ex agro vicini impendet, vis fiat, quominus pedes 15 à terra eam altius coërcere, lignaque sibi habere liceat, si per dominum arboris stat, quominus eam ita coërceat. *d. l. 1. §. deinde.*

De glande legenda.

[DE fructibus interdictum, est, de glande legenda.]

270. Glans,

270. Glans est, omnis fructus à terra proveniens. *l. unic.* §. 1.

271. Interdicto de glande legenda Prætor prohibet, nè ei, ex cujus agro in agrum vicini glans cecidit, vis fiat, quominus eam, tertio quoque die, legere, & auferre liceat. *d. l. unic. in princip.*

De homine libero exhibendo.

[RES mobiles concernunt interdicta de liberis hominibus, servis, & aliis rebus in commercio.

De liberis primum interdictum est, de libero homine exhibendo, quocunque puta.]

272. Exhibere est, in publicum producere, & videndi, tangendique hominis facultatem præbere. Propriè namque exhibere est, extra secretum habere. *l.* 3. §. *ait Prætor. h. t.*

273. Interdicto de homine libero exhibendo Prætor jubet hominem liberum ab eo exhiberi, à quo retinetur dolo malo. *l.* 1. *h. t.*

De liberis exhibendis, item ducendis.

[RELiqua speciatim concernunt liberos nostros proprios; suntque duo, unum exhibitorium, & de exhibendis; alterum prohibitorium, & de ducendis liberis dicitur.]

274. Interdicto de liberis exhibendis Prætor, jubet filium filiamve-familias, parenti, in cujus potestate est, exhiberi ab eo apud quem est, vel qui dolo malo facit, quominus apud se esset. *l.* 1. *in princ.*

* Vel; interdictum de liberis exhibendis est, quod datur parentibus, qui liberos cujuscunque sexus, vel gradus, *l.* 1. *in pr. &* §. 1. *hic.* habent

in

in potestate, *d. l.* 1. §. 1. *l.* 2. *C. eod.* adversus eum apud quem, non suâ sponte, *l. ult. hic.* sed inviti, etiam sine dolo malo, sunt; vel qui dolo fecit quominus apud eum essent; *d. l.* 1. *in pr.* ut eos exhibeat. *d. l.* 1. *in princ.* & §. 1. *d. l.* 2. *

275. Interdicto de liberis ducendis Prætor prohibet, vim parenti fieri, quominus filium in sua potestate constitutum, ducere liceat. *l.* 3. *in princ.*

Utrubi.

[DE rebus quæ sunt in commercio interdicta sunt. 1. Utrubi. 2. De migrando. 3. Salvianum.]

276. Interdicto utrubi Prætor vim fieri vetat, quominus possessio rei mobilis penes eum maneat, qui tempore litis contestatæ possidet, dummodò nec vi, nec clam, nec precario ab adversario, possideat. *l. unic. & Institut. de interd.* §. *retinenda.*

De migrando.

277. INterdicto de migrando Prætor prohibet vim inquilino, ex ædibus migranti, fieri, quo minus res introductas, importatas, ibi natas, factasve, abducere, vel asportare liceat; nisi jure pignoris locatori sint obnoxiæ. *l.* 1. *in princip. h. t.*

De Salviano interdicto.

* INterdictum Salvianum est, restitutorium, adipiscendorum causa pignorum, quæ ex prædio conducto rustico, vel urbano, ablata aut alienata perhibentur.

Est

Est duplex; directum, & utile. *

278. Interdicto Salviano, directo, locator fundi adipiscitur possessionem rerum sibi à colono pro mercede, & deterioratione fundi pignoratarum. *l.* 1. §. 1.

Utile datur ædium locatori, & de partu ancillæ pignoratæ. *d. l.* 1. *in princ. & Inst. de interd.* §. *adipiscendæ. vers. interdictum.* & aliis creditoribus contra suos debitores. *Cod. de precar. l.* 1.

De exceptionibus, præscriptionibus & præjudiciis.

[PRæcedentibus, conditionibus puta, præjudiciis, cum petitoriis, tum possessoriis, sunt communes actiones & exceptiones, de quibus agitur ὕστερον πρότερον.]

279. Exceptio est, actionis exclusio; *l.* 2. *in princ.* vel conditio quæ modò reum eximit damnatione, modò minuit damnationem. *l. exceptio.* 22. *in princip.*

* Rectius; exceptio est jus, quod vel ex personis judicium constituentibus, vel ex ipsa causa controversa desumptum, judicium de summo jure suscipiendum sive ad tempus, sive in totum excludit. Et sic omnibus exceptionum speciebus descriptio convenit. *

[Est vel civilis, vel Prætoria; vel rei cohærens, vel personæ; vel perpetua, seu peremptoria, vel temporalis seu dilatoria.]

280. Exceptio civilis est, quæ jure civili est introducta, ut Macedoniani, & Velleiani Senatusconsulti.

281. Prætoria est, quæ Prætoris edicto est introducta, ut pacti, *sup. de pact. l.* 7. §. *ait Prætor.* vel doli. *infr. de doli mali except. l.* 1. §. 1.

282. Rei

282. Rei cohærere dicitur, quæ non solum reo prodest, sed etiam intercessoribus; ut exceptio doli mali. *l.* 7. §. 1.

283. Personæ cohærere dicitur, quæ soli reo prodest; ut, exceptio cessionis bonorum. *Inst. de rep.* §. *ult. in fine.*

284. Perpetua, seu peremptoria est, quæ in perpetuum actionem perimit; ut, exceptio doli, vel rei judicatæ. *Inst. hoc tit.* §. *persona.*

285. Temporalis, seu dilatoria est, quæ actionem non perimit, sed ad tempus differt; ut, exceptio procuratoria, & pacti ne intra certum tempus petatur. *Inst. eod.* §. *pen. & ult.*

[Nempe ita generaliter exceptiones dividuntur. Speciales sunt, 1. exceptio præscriptionis. 2. præjudicii. 3. rei judicatæ. 4. doli mali. 5. metus.]

286. Præscriptio, si latè accipiatur, idem est quod exceptio: si propriè, & angustè sumatur, est species exceptionis; id est, exceptio temporis, *ut Cod. lib.* 7. *tit.* 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. vel fori. *ut Cod. ubi de ratioci. agi oportet. l.* 2. *& ubi quis de curial. vel cohort. aliave cond. l.* 2. *& in quibus causis milit. for. præs. uti non poss. in rub. & l. unic.*

287. Exceptio præjudicii est, quæ agentem summovet, ne futuræ graviori actioni præjudicium fiat. *l. si post litem.* 13. *l. fundum.* 16. *l. fundi.* 18. *l. rei.* 21. *& sup. comm. præd. l.* 1. §. 1. *& Cod. de pet. hered. l. ult. in princ.*

* Non semper actio exceptione excluditur; sed sæpe actor eam replicatione elidit.

Replicatio est, exceptionis exceptio, seu allegatio competens actori, ad infringendam rei exceptionem. *l.* 2. §. 2. *hic.*

Duplicatio est, allegatio, quâ actor iniquam rei replicationem elidit. §. 1. *Inst. de replicat. d. l.* 2.

Triplicatio est, quâ reus elidit iniquam actoris duplicationem.

Qua-

Quadruplicatio est, quæ triplicationem elidit, §. 2. *Inst. eod. d. l.* 2. §. 3. *

De exceptione rei judicatæ.

288. EXceptio rei judicatæ datur reo absoluto, qui ab eodem actore, de eadem re, ex eadem causa, convenitur. *l. cum quæritur.* 12. *l. quantitas.* 13. *l. & an ead.* 14. *in pr. l. si cum argentum.* 21. §. 1. *l. cum de hoc.* 27.

289. Res eadem pinguius accipitur etiam si ejus quantitas, vel qualitas, mutata sit. *d. l. si cum argentum.* §. 1.

* Est rei judicatæ replicatio. *l.* 9. §. 1. *l.* 24. *hic.* *

De diversis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum.

[PRæscriptio temporis multas sub se species continet. Nempe. 1. actioni in personam temporali opponitur exceptio finiti temporis, quo terminatur actio. 2. perpetua longissimo tempore, h. e. triginta, vel quadraginta annis, præscribitur. 3. actioni in rem opponitur præscriptio longi temporis, decem inter præsentes, viginti inter absentes; habita interruptionis & accessionis ratione, & observatâ regula, *Successori tempus decessoris accedere; dummodo successor quoque aliquo tempore possederit.*]

290. Temporalis præscriptio est, quæ à lapsu temporis sumitur.

291. Auctoris possessioni, possessio successoris, ab illo causam habentis, accedere dicitur, cùm tempora harum possessionum conjunguntur; adeò ut possessio mutatione personæ possidentis non interrumpatur. *l. de accessionib.* 14. §. 1.

§. 1. & §. *itaque*. & *l. pen.* §. 1. & *Inst. de usucap.* §. *de activa*. & §. *seq.*

De doli mali & metus exceptione.

292. DOli exceptio à Prætore datur, ut reus damnatione eximatur, ne alterius dolus ei noceat. *l.* 1. §. 1. & *Inst. de except.* §. 1.

* Contra eam replicatio doli non admittitur. *l.* 4. §. 13. *hic.* *

293. Exceptio metus datur à Prætore ad infirmandam actionem, ex eo quod metu factum est, sive ipse actor, sive alius metum intulerit, *l.* 4. §. *pen.* & *sup. de except. l.* 7. §. 1. & *Instit. eod.* §. 1.

* Replicationem metus admittit. *l.* 12. §. 1. *ff. quod met. caus.* *

Quarum rerum actio non datur.

[EXceptione non est opus in iis rebus, quarum actio à Prætore non datur.]

294. Non dari actio dicitur, cum Prætor actionem, ipso jure competentem, propter evidentem ejus iniquitatem, denegat, ne actio frustra moveatur, quam constat per exceptionem elisum iri. Quod potissimum contingit, quia constat reum jurasse. *sup. de jurejur. l.* 7. *in princ. l. nam posteaque.* 9. *in princ. l.* 1. §. *quæ onerandæ.* vel libertatem obligatione oneratam esse, vel in alea gestum fuisse. *l.* 2. §. 1. & *Cod. de aleat. l.* 1. & 2.

295. Libertatis onerandæ causa facta dicuntur, quæ ita liberto imponuntur; ut si patronum offenderit, ab eo peti possint, adeò ut exactionis metu semper sit patrono ita subjectus, ut eo præcipiente quidvis sustineat. *d. l.* 1. §. *quæ onerandæ*.

* Sed

* Sed ita tribus casibus prædictis Prætor denegat actionem, si manifestum sit, vel fuisse juratum, vel libertatem oneratam, vel in alea gestum; alioquin actio proponetur, eique exceptio objicietur. *l. 9. de jurejur.* *

De litigiosis.

[Est & exceptio de rebus litigiosis; quæ, si quis sciens rem emat litigiosam, petenti ejusdem possessionem opponitur.]

296. Res litigiosa dicitur, de cujus dominio lis mota est adversario, *Novel.* 112. *c.* 1. vel ejus procuratore, seu tutore, aut curatore, in jus vocato: *l.* 1. *in fin.* * Nec non nomen debitoris, seu actio in litem deducta. *l.* 1. *C. hic.*

Lis mota, hic, censetur, non solum cum lis contestata fuerit; sed simulatque adversarius de ea re coram judice conventus est, id est, per solam ejus in jus vocationem sic factam, ut is ignorare nequeat, qua de re conveniatur. *d. Novel.* 112. *c.* 1. *auth. litigiosa. C. eod.* *

De obligationibus & actionibus.

[Sequuntur actiones, quarum mater est obligatio.

297. Obligatio est, juris vinculum, quo quis aliquid dare, aut facere tenetur. *l.* 3. *hic.*

[Est vel naturalis, vel civilis; vel generalis, vel specialis; vel alternata, vel dividua, vel individua, vel mixta; vel certa, vel incerta; vel pura, vel ad diem, vel ex die, vel conditionalis.]

298. Naturalis obligatio est, quæ solo æquitatis

tatis vinculo continetur. *infr. de solut. l. strictum.* 95. §. *naturalis.*

* Vel naturalis obligatio est, quæ ex naturali ratione causam habet, *l.* 1. §. 9. *hic.* & solo æquitatis vinculo nititur. *l.* 95. §. 4. *de solut.*

Oritur vel ex conventione, vel citra eam.

Ex conventione quoties ei non omnimodo lex ut obligationem civilem pariat, assistit. *vide hic Enarr. C. nost. h. t.*

Citra conventionem oritur, vel ex facto aliquo præcedente, quo tamen non omnimodo agitur ut pro eo aliquid præstetur, vel citra illud ex pietate. *vide d. loc.* *.

[Civilis obligatio est jure civili (quatenus Prætorium comprehendit, & juri gentium opponitur) introducta.]

299. Civilis obligatio [Iustiniano] est, juris vinculum, quo necessitate alicujus rei solvendæ (id est, dandi, vel faciendi) astringimur, secundum nostræ civitatis jura. *Inst. de oblig. in princip.*

Civilis angustè accepta, seu legitima est, quæ lege, aut alia juris civilis parte, introducta, vel comprobata est. *Inst. eod.* §. 1.

300. Honoraria est, quæ jure honorario, id est, à Prætore, vel Ædili curuli, constituta est. *Inst. eod.* §. 1. *& de diverf. stipu.* §. *Pratoria.*

301. Generalis obligatio est, ex qua debetur genus; ut, *homo.*

302. Specialis est, ex qua debetur species; ut, *Stichus.*

303. Alternata est, ex qua duo disjunctim debentur, ita ut non utrumque, sed alterutrum solvi debeat; veluti, *Stichus, aut Pamphilus.*

304. Obligatio dividua est, qua res omninò dividua debetur, ita ut partis solutione obligatio

pro

pro ea parte tollatur. *infr. tit. prox. l.* 2. §. 1. *& Inst. quib. mod. obl. toll.* §. 1. *vers. sicut.*

305. Individua est, qua res omninò individua debetur, adeò ut nec pars solvi, nec pro parte liberatio contingere possit. *d. l.* 2. §. 1.

Quæ sit res dividua, vel individua; vel partim dividua, partim individua, *definivi. lib.* 1. *num.* 64. 65. 66.

306. Obligatio mixta est, qua res partim dividua, partim individua, debetur; ut, *homo. d. l.* 2. §. 1. *rursus.*

307. Obligatio mixta dicitur, quæ partim consistit in dando, partim in faciendo; veluti, *si quem centum dare, & insulam facere oportet. Cod. de contr. stip. l. veteris.* 13.

308. Certa obligatio est, qua res certa debetur. *Inst. de verb. obl. in princ.*

309. Incerta est, qua res incerta debetur. *Inst. d. loco.*

Quæ sit res certa, vel incerta, *vide num.* 3. *&* 4.

310. Pura est, ex qua statim debetur & peti potest. *Inst. de verb. obl.* §. *omnis.*

311. Ex die est, ex qua ante diem exigi non potest, *l. obligari.* 44. §. 1. licet statim & ante diem debeatur. Hæc vocatur etiam in diem. *Inst. de verb. oblig.* §. *omnis.*

312. Ad diem est, quæ usque ad diem est efficax, postea per exceptionem inefficax redditur. *d. l. obligari.* §. 1.

313. Conditionalis est, ex qua ante conditionem existentem nec exigi potest, nec debetur. *d.* §. *omnis.*

314. Actio est, jus persequendi in judicio quod sibi debetur. *l. nihil.* 51. *& Inst. de act. in princip.*

[Est vel realis, vel personalis, vel mixta; vel

vel principalis, vel præparatoria; vel in solidum, vel non in solidum; vel generalis, vel universalis, vel specialis; vel civilis, vel Prætoria; vel directa, vel utilis, vel ex facto, vel in factum; perpetua, vel temporalis.]

315. Actio realis, sive in rem, datur habenti jus in re, adversus eum qui rem tenet; *Instit. de act.* §. 1. ut rei vindicatio, *sup. de rei vind. l. officium.* 9. *& l. in rem.* 23 *in princ.* & actio hypothecaria. *sup. de pign. l. si fundus.* 16. §. *in vindicatione. & l. pignoris.* 17. *& Cod. eod. l. pignoris.* 18.

316. Actio personalis, seu in personam, datur creditori, adversus debitorem; ut, stipulatori adversus promissorem. *Inst. de act.* §. 1.

* Vel, actio personalis (usu juris condictio dicitur, *l.* 25. *vers. in personam. hic.*) est, qua agimus, ut adversarius, qui nobis ex contractu, vel delicto obligatus est, condemnetur ad dandum, vel faciendum aliquid.

Est vel directa, vel utilis.

Directa (ex primaria juris intentione oriens) est, cujus quidem vel exercitium, vel utilitas & commodum totum; non verò ipsa alteri committi potest. *l. si in solutum.* 6. *C. hic.*

Utilis, (ex mente & interpretatione legis competens.) est, qua toties alteri acquiritur, quoties æquitas exposcere videtur. *l.* 5. §. 8. *C. de hered. vel action. vendit. l.* 16. *de pact. l. C. hic.* *

317. Actio mixta accipitur, ac definitur duobus modis; primò quæ simul est in rem, & in personam. *Inst. de act.* §. *quadam.*

318. Rursus actio mixta est, quæ rem simul, & pœnam persequitur. *Institut. eod.* §. *sequens.*

319. Principalis est, quæ non dirigitur in alterum

alterum posterius judicium; ut, petitio hereditatis.

320. Præparatoria est, quæ ideò movetur, ut etiam pars alteri judicio futuro sit; ut, querela inofficiosi testamenti est præparatoria petitionis hereditatis.

321. In solidum est, ex qua reus in solidum damnatur.

322. Non in solidum est, quæ limitationem, seu deminutionem condemnationis recipit; ut, actio de peculio. *Inst. de act.* §. *actiones. & §. sunt præterea.*

323. Generalis est, in quam multæ causæ, atque adeò multæ actiones, veniunt; ut, negotiorum gestorum, tutelæ, pro socio. *sup. pro socio. l. pro socio.* 38.

324. Universalis est, quæ est de universitate bonorum; ut, petitio hereditatis. *sup. de rei vind. l.* 1. *in princ.*

325. Specialis est, quæ est de re speciali; ut, rei vindicatio, *d. l.* 1. *in princ.* mandati, commodati, depositi. *d. l. pro socio.*

326. Civilis est, quæ jure civili est introducta.

327. Honoraria, quæ jure honorario est introducta.

328. Prætoria est, quæ à Prætore instituta est.

329. Ædilitia est, quæ edicto Ædilium curulium introducta est; ut, redhibitoria, & quanti minoris. *C. de ædil. actionibus.*

330. Directa est, quæ datur ex verbis legis, vel edicti. *Inst. de l. Aquil.* §. *ult.*

331. Item directa est, qua quis suo nomine tenetur. *Inst. quod cum eo.* §. *ult. & de nox. act.* §. *omnis.*

332. Præterea directa est, actio principa-

lis, non præparatoria. *Cod. de crim. expil. heredit. l.* 1.

333. Demum directa actio est, principalis, non contraria. *Institut. de obl. quæ quasi ex contr.*

334. Utilis est, quæ non ex verbis, sed ex mente & interpretatione legis, competit.

335. Ex facto est, quæ ex delicto, vel quasi delicto, competit. *l. activum*. 25. §. 1.

336. In factum est, omnis actio utilis.

337. Præterea actio in factum est, quæ à Prætore est introducta; sive hoc nomine in edicto appelletur, sive propria & speciali appellatione careat; nec non quæ à Prætore pro tribunali decernitur.

338. Perpetua est, quæ longissimo tempore terminatur, id est, 30 vel 40 annis. *Instit. de perp. & temp. act. in princ.*

339. Temporalis est, quæ breviori tempore finitur.

LIBER

LIBER SEPTIMUS

Ex septima parte Digestorum.

De verborum obligationibus.

1. STipulatio est, verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum; facturumve se, quod interrogatus est, respondet. *l.* 5. §. 1. *h. t.*

* Vel, contractus (*l.* 1. §. 1. *& 7. de O. & A.*) nominatus, *l.* 1. §. *ult. de pact.* quo quis verbis, *l.* 2. §. *ult. de reb. cred. l.* 1. §. 7. *de O. & A.* interroganti, aliquid se daturum, aut generalius præstiturum, congrue promittit. *d. l.* 1. §. 7. *princ. Inst. hic.* *

[Est vel judicialis, vel Prætoria. *Inst. de divis. stipul.*]

2. Iudicialis stipulatio est, quæ à mero judicis officio proficiscitur. *l.* 5. *in princip. & Inst. de div. stip.* §. 1.

3. Prætoria, sive honoraria est, quæ à mero Prætoris, aut Ædilis curulis, officio proficiscitur. *d. l.* 5. *in princ. Inst. hoc tit.* §. *Prætoria.*

[Prætoria alia est communis, alia conventionalis. *Inst. eod.*]

4. Communis est, quæ modò Prætore modò judice jubente, interponitur. *d. l.* 5. *in princ. & Inst. hoc tit.* §. *ult.*

5. Conventionalis est; quæ ex conventione utriusque partis concipitur. *d. l.* 5. *in princ. & Inst. hoc tit.* §. *penult.*

* Rursus stipulationes aliæ sunt certæ, aliæ incertæ; aliæ dividuæ, aliæ individuæ; aliæ dandi, aliæ faciendi.

Certæ sunt, in quas res certa est deducta; hoc est, cum apparet, quid, quale, quantum sit, quod stipulatum.

Incertæ, cum in eas res incertæ sunt deductæ; cum illud non apparet.

Dividuæ, si res in stipulationem deductæ natura & jure partium præstationem recipiunt.

Dandi sunt, in quibus hoc agitur, ut res aliqua à promissore interroganti detur.

Faciendi, in quibus facta, sive negativè, ut aliquid à nobis non fiat; sive affirmative, ut fiat, versantur.

Est & stipulatio, alia pura, alia in diem, alia conditionalis. *

De duobus reis constituendis.

[ET stipulandi & promittendi duo pluresve rei fieri possunt. *Inst. hic.*]

6. Reus est, ad quem res pertinet, seu de cujus re agitur. *Cic. lib.* 3. *de oratore.*

7. Rei, vel correi credendi sunt quibus singulis eadem res, ex eodem contractu, in solidum debetur, ita ut unus exigens omnium obligationem dissolvat. *Inst. hoc tit.* §. 1.

8. Rei, vel correi debendi sunt, qui eandem rem, ex eodem contractu, singuli in solidum debent, ita ut unus solvens omnes liberet. *d.* §. 1.

9. Rei stipulandi sunt, rei credendi ex stipulatione.

10. Rei promittendi sunt, rei debendi ex stipulatione.

* *De stipulatione servorum.*

STipulatio fit, vel ab homine libero, vel à servo. Nam & servi etiam hereditarii, §. 1. *Inst. hic.* jus

jus ſtipulandi, ſed ex perſona domini, *princ. Inſt. eod.* non ſua, §. 9. *Inſt. de action. junct. l.* 32. *de reg. jur.* habent. *

De fidejuſſoribus, & mandatoribus.

[NOn noſtro tantum, ſed & alieno nomine ſtipulari poſſumus. Unde ſtipulatio eſt, vel principalis, vel acceſſoria, ut interceſſoris, & fidejuſſoris.]

11. Interceſſor eſt, qui alterius principali obligationi accedit.

12. Fidejuſſor, id eſt, adpromiſſor, eſt, interceſſor, qui per ſtipulationem obligatur pro reo, civiliter, vel naturaliter obligato. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 6. §. *ult. & Inſt. eod.* §. 1.

* Seu Fidejuſſor eſt, qui pro alio principali debitore, ſuo nomine ſtipulanti, promittit, & ſalvâ manente obligatione principali, eam fide ſua eſſe jubet, id eſt, pro ea ipſe obligat. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 8. *ff. l.* 5. *l.* 23. *C. hic. l.* 5. §. 2. *de verb. oblig.* *

13. Expromiſſor eſt, qui ſuæ, *ſup. de Senatuſc. Macedon. l. ult. & de donat. l. hoc jure.* 19. §. *ſi quis ſervo* vel alienæ, *ſupr. de oper. libert. l. qui libertinus.* 37. §. *ult. & de re judic. l.* 4. §. *ait Prætor.* obligationis novandæ cauſa promittit.

14. Mandator hoc loco dicitur, qui ſua fide & periculo credi mandavit.

De novationibus, & delegationibus.

[SEquuntur modi diſſolvendæ obligationis; tales ſunt novatio, delegatio, ſolutio, confuſio, acceptilatio.]

15. Novatio eſt, prioris debiti, in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, trans-

fusio, atque translatio; hoc est, cum ex præcedenti causa ita nova constituitur; ut, prior perimatur. *l.* 1. *in princip.*

[Est duplex : voluntaria, & necessaria.]

16. Voluntaria novatio est, quæ fit per stipulationem, sive creditor à suo debitore, sive ab eo quem debitor sibi delegavit, sive à quocunque alio, novandi causa stipuletur. *l. aliam.* 29. *& Cod. eod. l.* 1. *& Institut. quibus modis tollit. oblig.*

17. Necessaria est, quæ fit per judicium; id est, cum creditor litem contestatur cum eo qui sibi à debitore suo delegatus fuit, *C. eod. l.* 3. vel cum debitor suo creditori condemnatur. *Cod. de usur. rei jud. l. ult. vers. si enim.*

[Delegatio est duplex, vel debitoris, vel actionis.]

18. Actionis, sive crediti delegatio est, cessio actionis; seu mandatum, constituens eum, cui delegatur, procuratorem in rem suam.

* Vel quia nomen emit, *l.* 1. §. 1. *C. hic.* vel à suo debitore in solutum accepit. *l.* 3. *in princ. Cod. eod.*

Præparatur per contractum; puta, per nominis venditionem: inchoatur cum contractus ille impletur, id est, cum actio mandatur seu ceditur; Perficitur cum delegatarius à debitore, contra quem sibi actio mandata est, stipulatur, ac judicio petit. *l.* 1. *in princ. &* §. 1. *& l.* 3. *in princ. C. eod.* *

19. Debitorem delegare dicitur, qui vice sua alium reum dat creditori, vel cui creditor jussit. *l. delegare est.* 11. *in princip.*

* Est ergò delegatio debitoris, mandatum quo creditor jubet debitorem quod ipsi debet, alteri promittere. *

De

De solutionibus, & liberationibus.

20. SOlvere est, præstare quod debetur, *l. prout quidque.* 80. vel pro eo aliud, si creditor consentiat, *Cod. eod. l. manifesti.* 17. *& Inst. quib. mod. oblig. in princ.* vel quod est tantum in solutione, non in obligatione. *l. si quis stipulatus.* 57. *& sup. de re jud. l.* 6. §. 1.

* Est solutio, hic, totius debiti idonea satisfactio, creditori, per debitorem suum, vel ejus nomine alium, justo tempore & loco, naturali & reali præstatione, facta. *

Liberationem definivi, *lib. 5. defin.* 145.

21. Confusio est, crediti, & debiti; vel principalis, & accessoriæ obligationis, in eamdem personam concursus.

22. Pignoratio (vulgo repressaliæ) est, cum non à debitore exigitur, sed ab alio ejusdem universitatis, & ejusdem civitatis, aut vici, aut pagi.

De acceptilatione.

23. ACceptilatio est, imaginaria solutio, *Inst. quibus ne toll. ob.* §. 1. vel verborum conceptio, quibus creditor, animo dissolvendæ obligationis, interroganti debitori respondet, se recepisse, quod non recepit; veluti, *Quod tibi promisi, habesne acceptum? habeo. l. an inutilis.* 8. *in princ. & §. acceptum. & Institut. d.* §. 1.

De stipulationibus prætoriis.

STipulatio Prætoria definita est, *supra, n.* 5.

[Prætoriæ stipulationes etiam dividuntur in judiciales, cautionales, communes.]

24. Prætoriæ judiciales sunt, quæ propter judicium interponuntur, ut ratum fiat; veluti, *judicatum solvi. l.* 1. §. 1.

25. Prætoriæ cautionales sunt, quæ instar actionis habent, &, ut sit nova actio, interponuntur; ut, *ratam rem haberi. d. l.* 1. §. *cautionales.*

26. Prætoriæ communes sunt, quæ fiunt judicio sistendi causa, *d. l.* 1. §. *communes.*

Rem pupilli, vel adolescentis salvam fore.

[PRætoriæ stipulationis exemplum est, rem pupilli, vel adolescentis salvam fore.]

27. Rei appellatione significatur non solum, quod est in patrimonio; sed etiam quod est in nominibus, & omninò quidquid venit in judicium tutelæ. *l. cum pupillus.* 9.

28. Rem pupilli, vel adolescentis salvam fore tutor, vel protutor, vel curator, *l.* 4. §. *illud.* §. *hanc stipularem.* & §. *ult.* & *l. si ad species.* 8. cavet, datis fidejussoribus, *d. l.* 4. §. 1. & 2. ut tam ipse, quam fidejussores conveniri possint, nisi id præstetur, quod ex tutela vel curatione dari fierive oportet. *l. pen.*

Iudicatum solvi.

29. IUdicatum solvi cavere dicitur, qui nomine alieno judicium suscipit, *Instit. de satisd.* §. *si vero aliquis.* actori, *sive suo, sive alieno nomine agat*, datis fidejussoribus, *d.* §. *si vero aliquis.* cavens, de re judicata, (id est, solutum iri quod judicabitur, si judex condemnabit), & de re defendenda, & de dolo malo, id est, dolum malum abesse abfuturumque esse. *l.* 7.

[Nem-

[Nempe hæc tres habet clausulas in unum collectas. 1. de re judicata. 2. de re defendenda. 3. de dolo.]

* De re judicata; id est, solutum iri, quantum judex deberi pronuntiaverit. *l. 9. hic.*

De re defendenda; id est, ut, nisi boni viri arbitratu lis agatur, & defendatur reus, quanti hoc nomine interest, exigere actor à reo & fidejussoribus possit. *Gl. & Dd. in l. 9. l. 13. eod.*

De dolo; id est, dolum malum abesse absfuturumque esse. *l. 6. l. 9. l. 19. eod.* *

Ratam rem haberi.

[REm ratam haberi petunt à se invicem procuratores actoris, & rei, aut, cum non satis idoneè de mandato constat; aut, cum mandatum exhibere non coguntur, ut conjunctæ personæ. *l. 21. C. de procur.*]

30. Ratam rem habere est, adgnoscere, & comprobare quod ab alio gestum fuit. *l. quo enim. 12. §. 1. conjunct. part.* 8. *defin.* 206.

31. Ratam rem haberi, seu de rato, cavet, qui mandatum, aut tutoriam seu curatoriam potestatem, non ostendens, alieno nomine agit vel contrahit; *l. si nec satisdatio.* 21. *& Cod. de procurat. l.* 1. *& Institut. de satisd. §. sin autem.* ita ut agens satisdet datis fidejussoribus, *supr. de stipul. Prætor. l.* 7. contrahens, prout libuerit, promittat, dominum rem ratam habiturum; ut, nisi dominus ratum habeat, stipulatio committatur in id quod stipulantis interest. *l. si commissa.* 13. *in princip. & l. in stipulatione.* 19.

De privatis delictis.

[POst judicia ex causa civili, sequuntur quæ sunt ex delictis.

Delicta alia sunt privata, alia extraordinaria, alia popularia, alia publica. Et privata quidem, propriè delicta; publica vel extraordinaria, propriè crimina dicuntur.]

32. Privata delicta sunt, ex quibus ordinaria actio datur, *l. ult.* ei soli cujus interest. *infr. tit. prox. l. cujus.* 10. *& Inst. de obl. quæ ex del.* §. *furti autem actio.*

* Vel; Privata delicta sunt, in quibus injuria privato illata cognitione judicis, sed non pedanei datique, vindicatur. *l.* 9. §. 5. *de publican. l. ult. hic. l. un. C. quand. civil. act. præjud. crim. l. fin. de furt.*

Sunt aut ordinaria, aut extraordinaria.

Ordinaria sunt, in quibus certa pœna præstituta est, certaque & civilis petendi & judicandi forma servatur. *l. fin. hic.*

Extraordinaria sunt, in quibus nulla certa pœna præstituta est, certâque petitione non agitur; sed pro arbitrio judicis & qualitate commissi. *

De furtis.

[PRivatorum delictorum species sunt, quatuor generales, ab Imperatore in Institutionibus modò explicatæ, furtum, rapina, damnum, injuria: nonnullæ præter eas magis speciales, & ad res certas tantum pertinentes, hic explicatæ.]

33. Furtum est, contractio rei fraudulosa, lucri faciendi causa. *l.* 1. §. *ult. & Inst. de ob. quæ ex del.* §. 1.

[Est vel manifestum, vel nec manifestum.]

34. Fur manifestus est, qui cum re surrepta deprehenditur, antequam eò pertulerit, quo perferre destinavit, ut ea die ibi maneret cum furto. *l. 3. 4. 5. & Inst. d. §. furtorum.*

* Fur visus, *secundum Cujacium, lib.* 11. *obs.* 58. habetur pro manifesto, si dominus qui vidit, visu acclamaverit, *Quo te fur proripis? Quove res abit mea?* & quid simile. *fac. l. 7. §. 1. hic.* *

35. Fur nec manifestus est, qui cum re surrepta non deprehenditur, antequam eò pervenerit ubi ea die, cum furto manere destinavit. *dict. jurib.*

36. Actio furti est merè pœnalis, *C. hoc tit. l. ancillæ.* 12. *& sup. de cond. furt. l. 7. §. 1. & Inst. de obl. quæ ex del. §. ult.* in quadruplum, de furto manifesto, vel in duplum, de furto nec manifesto. *C. hoc tit. l. de his.* 11. *& Inst. de obl. quæ ex delict. §. pœna, & de act. §. in duplum. & §. quadrupli.*

De tigno juncto.

[PUra de tigno furtivo alienis ædibus, vel alienæ vineæ juncto.]

37. Tignum est, omnis materia ex qua ædificium constat, vel quæ est vineæ necessaria. *l. 1. §. 1. & sup. ad exhib. l. 7. in princ. & de acq. rer. dom. l. 7. §. cum in suo. & infr. de verb. sign. l. 1. qui.* 62. *& Inst. de rer. divis. §. cum in suo.*

38. Actio de tigno juncto, Leg. 12 Tab. ei, cujus tignum alienis ædibus, aut alienæ vineæ junctum est, adversus eum qui junxit, datur in duplum; denegatâ rei vindicatione, ne ædificia diruantur, aut vinearum cultura turbetur. *l. 1. in princ. cum sim.*

Si is qui in testamento liber esse jussus erit, post mortem domini, ante aditam hereditatem, surripuisse, aut corrupisse quid dicatur.

39. ACtio ex hoc titulo à Prætore, *l.* 1. §. 1. in duplum datur in eum qui, cum in testamento domini liber esse jussus sit, jacente hereditate, dolo malo, aut lata culpa, fecit quominus ex his bonis aliquid ad heredem perveniret, *d. l.* 1. *in princ.* sive quid surripuerit, sive corruperit. *hac rubr.*

Furti adversus nautas, caupones, stabularios.

NAuta, caupo, stabularius, definiti sunt, *lib.* 1. *defin.* 190. 191. 192.

40. Actio in factum, *supr. naut. caup. stab. l. pen.* §. 1. *&* §. *pen. & l. ult.* §. 1. viatori, seu vectori, *d. l. pen. in princ.* cui nautæ, vel cauponis, vel stabularii minister, vel cohabitans, *l. unic.* §. *ult. & sup. naut. caup. stab. d. l. pen.* §. *pen. & l. ult. in princ.* rem in navi, seu caupona, seu stabulo, *l. unic.* §. *cum enim. & supr. naut. caup. stab. d. l. ult. in princ.* surripuit, *l. unic. in princ.* à Prætore, *d. l. unic.* §. *cum enim. & sup. naut. caup. stab. d. l. pen.* §. 1. *&* §. *pen. d. l. ult. in pr. &* §. *hoc aut.* datur, in nautam, vel cauponem, vel stabularium, *d. l. unic.* §. *& est. & sup. naut. caup. stab.* in duplum. *d. l. ult.* §. 1.

Si familia furtum fecisse dicatur.

41. FAmiliæ verbo hic significantur omnes servi sub ejusdem domini potestate con-

constituti. *l. pronuntiasti.* 165. *infr. de verb. signif.*

[Unde hic consideratur furtum à servis commissum.]

Arborum furtim cæsarum.

ARbores definivi, *part.* 6. *num.* 277.

42. Cædere dicitur, non solum qui succidit, sed etiam qui cædendi causa ferit. *l.* 5. *in princip.*

43. Cingere, seu deglabrare est, librum, seu corticem detrahere, *d. l.* 5 *in princip.*

44. Subsecare est, serra secare. *d. l.* 5. *in princ.*

45. Furtim cædere dicitur, qui clam; *l. facienda.* 8. §. 1. id est, ignorante domino, & ejus celandi animo facit. *l.* 7. *in princip.*

46. Actio arborum furtim cæsarum directum vel utile dominium habenti, *l.* 5. §. *ult.* eo tempore quo arbores cæsæ sunt, licet postea fundum vendiderit, *l. ult.* adversus eum qui arborem cecidit, vel subsecuit, vel cinxit, vel horum aliquid fieri jussit seu mandavit, *d. l.* 5. *in princ. l.* 7. §. *si quis venditus.* & §. *sive autem.* Leg. 12 Tab. *l.* 1. *in princip.* datur in duplum, *d. l.* 7. §. *ult.* ejus quod actoris interest arbores cæsas non esse, deducta æstimatione cæsarum arborum, quæ penes actorem manent. *d. l. facienda.*

Vi bonorum raptorum, & de turba.

[SEcundum generale privatum delictum rapina, cui hic additur damnum in turba datum.]

Vim, & ejus species, *definivi. sup. ad tit.*

quod metus causa. lib. 1. def. 160. & seqq. & ad tit. de vi & vi armata. lib. 6. def. 239. & 240.

Quid autem sit vi facere, *definivi sup. ad tit. quod vi aut clam. lib. 6. num. 270.*

47. Rapina est, violenta, *Instit. hoc tit. in princip.* ablatio rei corporalis mobilis. *Institut. eod. §. 1.*

* Seu rapina est, violenta, & fraudulosa, rei alienæ, mobilis vel se moventis ablatio, invito domino, animo lucri faciendi, facta.

Raptores ergo non sunt, qui ancillas alienas libidinis causa rapiunt. *l. verum est. 39. de furt.*

Raptorum genera plura sunt. Effractores (qui & vecticularii appellantur) sunt qui domos aut horrea furandi causa effringunt, aut parietes perfodiunt. *l. 1. §. simili modo. l. 2. de effract. & expilat.*

Latrones, grassatores & prædones (nihil enim inter hos interest. *Accurs. in l. hostes. 118. de verb. signif.*) sunt qui ferro latera viarum obsident & obvios spoliant.

Piratæ propriè dicuntur, qui mari grassantur. *

[Immobilis res invadi dicitur. §. 1. *Inst. h. t.* Turba à rixa differt numero.]

48. Turba est, multitudinis hominum turbatio, & cœtus. *l. 4. §. 3. h. t.*

[Nempe decem, aut quindecim homines turbam faciunt. *d. l. 4. §. 4.*

49. Rixa est, duorum, vel trium, vel quatuor hominum, contentio. *d. l. 4. §. 3.*

[Ob rapinam actio est vi bonorum raptorum dicta.]

50. Actio vi bonorum raptorum, *l. 2. §. hac actio vulgo.* ob damnum dolo malo datum, hominibus

minibus coactis, *d. l.* 2. *in princ.* homineve uno coacto, *d. l.* 2. §. *sed & si unus.* vel bona rapta, *l.* 2. *in princ.* seu rem aliquam ex bonis raptam, *d. l.* 2. §. *vel cujus. & Inst. eod. vers. qua actio.* à Prætore, *d. l.* 2. *in princ.* datur, ei cujus interest, *d. l.* 2. §. *in hac actione non utique. & §. seq. & Inst. eod. §. ult.* adversus eum qui homines coëgit, vel damnum dedit, seu rapuit, *d. l.* 2. §. *sive. & §. si quis.* intra annum in quadruplum, post annum in simplum. *d. l.* 2. *in princ. & Cod. eod. l.* 2. 3. 4. 5. *& Inst. eod. in princ.*

51. De damno in turba dato, actio ei qui damnum passus est, contra eum qui damnum dedit, vel dolo malo fecit ut daretur, à Prætore datur, intra annum utilem in duplum, post annum in simplum. *l.* 4. *in princip.*

[Actio in factum puta. In ea verò quantitas ad verum pretium refertur; & præsentis temporis fit æstimatio.]

De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.

[Superioribus delictis damni ratione affine est eorum delictum, qui, licet citra vim, ex incendio, ruina, naufragio, nave expugnata, quid capiunt recipiuntve dolo malo.]

52. In eum qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata, aliquid rapuit, vel recepit, dolo malo, vel damnum in his rebus dedit, ei qui rapinam, vel damnum passus est, actio à Prætore datur intra annum utilem in quadruplum, post annum in simplum. *l.* 4. *in princip.*

53. Ex incendio rapere dicitur, qui propter incendium rapit, sive ex loco ubi incendium fit, sive ex adjacentibus prædiis. *l.* 1. §. *ex incendio.*

54. Ex

54. Ex ruina rapere dicitur, qui aliquid ex his quæ ruerunt, vel ex adjacentibus rapit. *d. l.* 1. §. *item ruina.*

55. Ex naufragio rapere dicitur, qui tempore & loco naufragii rapit. *d. l.* 1. §. *ult. l.* 2. *l.* 3. *in princ. & l.* 4. *in princip.*

56. De rate seu navi expugnata, rapere dicitur, qui tempore & loco expugnatæ navis, seu ratis, rapit. *d. l.* 3. §. 1.

57. Expugnatur navis, cum spoliatur, aut mergitur, aut dissolvitur, aut protunditur, * aut funes ejus præciduntur, aut vela conscinduntur, * aut anchoræ involantur. *l.* 6.

De injuriis, & famosis libellis.

[QUartum generale delictum est injuria.]

58. Injuria est, contumelia, quæ vel in corpus infertur, vel ad dignitatem, sive infamiam pertinet. *l.* 1. *in princ. & Inst. eod. in princ. d. l.* 1. §. *omnemque.*

* Seu Injuria est, delictum dolo malo in alterius contemptum, contumeliam & ignominiam, admissum. *.

[Fit vel re, ut verberibus, pulsatione, aliisque modis; vel verbis, ut convitio; vel scriptura, ut famoso libello. *l.* 1. §. 1. *Institut.* §. 1. *eod.*]

59. Verberare est, cum dolore cædere. *l.* 5. §. 1.

60. Pulsare est, cædere sine dolore. *d. l.* 5. §. 1.

61. Pudicitiam attentare est, blandis verbis compellare, impudicitiæ causa. *l. attentari.* 10. *l. item apud.* 15. §. *appellare. &* §. *seq.*

62. Appellare est, blanda oratione alterius pudicitiam attentare. *d. l. item apud.* §. *appellare. &* §. *aliud.*

63. Adfectari dicitur, qui tacitus frequenter sequitur; ita ut assidua frequentia quasi præbeat nonnullam infamiam. *d. l. item apud. §. aliud.*

[Convitium est contumelia petulantius jactata.]

64. Famosus libellus est scriptura in alterius infamiam facta.

[Injuria est levis, gravis, sive atrox, sive major, *l. 7. §. pen. l. 17. §. quadam.* Utrum autem sit levis, an atrox, ex circumstantiis dignoscitur; id est, ex personis, loco, tempore, facto. *d. l. 7. §. ult. Inst. §. atrox. eod.*]

65. De quacunque injuria intra annum, *Cod. tot. l. 5.* datur à Prætore actio privata. *c. eod. l. 7.* injuriæ æstimatione relatâ ad tempus quo injuria facta est, *l. injuriarum æstimatio. 21.* & delato actori jurejurando in litem, ut quanti juraverit, tanti vel minoris judex reum condemnet, prout sibi æquius videbitur. *Inst. eod. §. pœna.*

66. Injuriæ extraordinaria pœna est, quæ arbitrio judicis, cum infamia, imponitur, judicio extraordinario. *Inst. eod. §. 12. summa.*

67. Lege Cornelia injuriarum tenetur, qui alterum pulsavit, aut verberavit, aut ejus domum vi introiit. *l. 5. & Inst. eod. §. sed & lex.*

68. Ex Senatusconsulto, qui in alterius injuriam librum scripsit, composuit, edidit, vel dolo malo fecit quo quid eorum fieret; vel epigrammata, aliudve quidpiam, sive scripturam, produxit, vel quid tale emendum, aut vendendum curavit, improbus, & intestabilis esse jubetur. *l. 5. §. si quis librum. & §. seq.*

69. Intestabilis est, qui nec testimonium dicere, nec ei testimonium dici potest. *sup. qui test. fac. poss. l. cum lege. 26.*

De

De extraordinariis criminibus.

70. CRimina extraordinaria sunt, de quibus extra ordinem agitur, & extraordinaria pœna irrogatur arbitrio judicis.

[Sunt autem multa. Nempe & de privatis delictis supra expositis, & publicis criminibus extra ordinem agi potest. *l. 6. h. t.* Sunt & alia specialia recensita ab Auctore Isagoges. *hic.*]

★ *De sepulchro violato.*

DE crimine sepulchri violati est, actio privata, competens ei ad quem sepulchrum pertinet, in id quod interest; & popularis, in centum aureos ob sepulchrum inhabitatum; ædificiumve non sepulchri causa factum, in ducentos aureos; utraque in eum qui dolo malo fecit: *l. 3. in princ. & §. 1. §. fin. l. 9. hic.*

Sepulchri appellatione omnis sepulturæ locus continetur. *d. l. 3. §. 2. hic.* *

De concussione.

[SPecies extraordinarii criminis sunt, concussio, abigeatus, prævaricatio, latronum occultatio, furtum balnearium, effractura carceris, domus, ostii, aut parietis, expilatio hereditatis; stellionatus, terminus motus, collegii, seu corporis illiciti coitio. *l. 1. de coll. & corp.*]

71. Concussio est, cum quis potestate quam habet, aut habere videtur, ad terrorem, alicui, pecuniæ extorquendæ causa, injiciendum, abutitur.

De

De abigeis.

72. Abigei sunt qui gregem, vel equum de grege, vel bovem de armento, abducunt. *l.* 1. §. 1. *&* 2. *l.* 3. *in princ.*

73. Grex est, corpus, constans ex distantibus capitibus, *Inst. de legat.* §. *si grex.* animalium quæ gregatim pascuntur, *vid.* §. 1. *Instit. de leg. Aquil.* ita ut justus numerus sit; ut, *decem oves; quatuor, vel quinque porci. l.* 3. *in princ.*

De prævaricatione.

74. Prævaricari dicitur accusator, qui cum reo colludit (præsertim si eum crimine publico accuset) & eum adjuvat prodita causa sua, *l.* 1. *& sup. de his qui not. infa. l.* 4. §. *penult.* vera crimina abscondens, *infr. ad Senatusconsultum Turpillianum. l.* 1. §. 1. dum probationes proprias dissimulat, & falsas rei excusationes admittit. *d. l.* 1. *prævaricatorem.*

* Prævaricationis judicium est duplex; vel publicum, vel moribus inductum, *l.* 3. *princip. hic.*

Publicum, cum quæritur de prævaricatione ejus qui publico judicio accusavit. *l.* 1. §. 1. *eod.*

Moribus inductum, cum quæritur de prævaricatione ejus qui partes advocati sustinet. *d. l.* 3. §. 2. *

De receptatoribus.

75. Receptator est, qui latrones, vel aliorum criminum reos, recipit, & occultat.

* Vel,

* Vel, receptator est, qui maleficium dolo, *l.* 3. §. *non tantum. de incend. ruin. nauf.* receptat in suo vel alieno, præstans ei causam se occultandi. *l.* 1. §. *quod autem. de serv. fugit.* *

De furibus balneariis.

76. FUres balnearii sunt, qui vestimenta eorum qui in balneis lavantur, surripiunt.

77. Capsarii sunt, qui mercede vestimenta in balneis servanda suscipiunt. *sup. de off. præf. vig. l.* 3. §. *ult.*

De effractoribus, & expilatoribus.

78. EFfractores sunt, qui carcerem, vel domum, vel ostium, vel parietem, effringunt.

79. Expilatores sunt, qui homines spoliant.

Expilata hereditatis.

80. EXpilare hereditatem dicitur, qui res hereditarias, nondum ab herede possessas, surripit. *l.* 2. §. 1.

Stellionatus.

[STellionatus, à stellione, lacerti genere fraudulento, dictus, deficiente specialis criminis actione, locum habet in criminibus, ut & habet actio de dolo in privatis delictis.]

81. Stellionatus est, omnis dolus, & impostura, proprio nomine carens. *l.* 3. §. 1.

De

De termino moto.

82. TErminus est, qui confines agros distinguit, ac disterminat.

83. Terminus motus dicitur, cum aliquis terminum, finium causa positum, avulsit, *l.* 1. vel propulit, vel ejecit, *l.* 2. vel quavis ratione loco movit, *l.* 3. *in princ.* finiumve obscurandorum causa faciem locorum convertit; puta, ex silva novale fecit. *d. l.* 3. §. *ult.*

De collegiis, & corporibus.

84. COllegium, corpus, actorem, seu syndicum, & sodales definivi, *supra ad tit. quod cujusque univers. nom.*

[Omnia collegia sunt prohibita, nisi nominatim sint permissa. *l.* 3. §. 1.]

De popularibus actionibus.

85. POpularis actio est, quæ suum jus populo tuetur. *l.* 1.

[Undè plerorunque criminum, præsertim extraordinariorum accusationes, quia jus populi tuentur, dicuntur esse populares, & cuilibet de populo competere. Sunt vero & talium judiciorum species plures. *quas vide apud Auctor. Isag. hic.*]

De publicis judiciis.

[POst privata sequuntur judicia publica.]

86. Publica judicia sunt, quæ legibus publicorum judiciorum sunt constituta. *l.* 1. *h. t.*

[Sunt vel capitalia, vel non capitalia.]

87. Ca-

87. Capitalia sunt, quæ morte, vel exilio, caput damnati eximunt de civitate Romana. *l.* 2. *& Inst. eod.* §. *publicorum.*

88. Non capitalia sunt, quæ relegationem, vel aliam coërcitionem cum infamia inferunt, salva libertate & civitate. *dictis juribus.*

De accusationibus & inscriptionibus.

[Judicia publica non per actiones instituuntur, sed per accusationes.]

89. Accusatio est, criminis, & ejus qui crimen admisit, apud judicem persecutio, vindictæ, & pœnæ causa.

* Fit vel solenniter, vel per inquisitionem, vel per denuntiationem, vel per exceptionem.

Solennis accusatio est, criminis delatio, & usque ad sententiam persecutio, facta coram judice per libellum, verbis conceptis juxta formam juris compositum, & porrectum judici ad vindictam publicam.

Inquisitio est, occulti criminis investigatio, & detecti in judicium deductio.

Denuntiatio, & delatio, dicitur, quando commissum crimen judici sine inscriptione detegitur, & maximè per eum cujus non interest.

Estque propriè criminis latentis facta judici, vel fisco, non observatâ formulâ accusandi, nuntiatio.

Exceptio est, accusationis species cum quis objectum crimen retorquet in alium, magis sui defendendi, quam vindicandi causa. *

90. Inscriptio est, libellus, quo quis profitetur se velle aliquem certo crimine, & certa lege, si crimen publicum sit, accusare, eumque inter reos recipi postulat, subscribens se in pœnam talionis, nisi crimen peregerit & probaverit. *l.* 3. §. *item.*

item. & l. 7. in princ. & Cod. eod. l. pen. & ult. & de exhibend. reis. l. 2.

De custodia & exhibitione reorum.

[ACcusationem sequitur custodia, & exhibitio reorum.]

91. Custodia dicitur, cum quis publicè custoditur. *sup. ex quibus causis major. l. succurritur. 9. in fin. & infr. de verb. sign. l. vinculorum. 224.*

92. Interdum custodia dicitur, etiamsi privatim custodiatur. *Cod. de privat. carcerib. l. 2*

93. Item custodia est, persona, *Suidas in verb. custodia.* quæ vi custoditur. *l. carcere. 8. l. ne quis. 10. l. milites. 22. l. ult. & sup. de off. proconf. l. 6. in princ. & de publ. judic. l. custodias. 22. & infr. de quæst. l. unius. 18. § pen.*

94. Custodiri, seu in custodia esse, dicitur, qui aut vinculis, aut carcere continetur, aut à militibus custoditur, aut fidejussoribus, vel suæ promissioni commissus est. *l. 1. & sup. ex quib. caus. majores. d. l. succurritur. & l. sequenti.*

* Carcer est, locus undique septus, clausus ad exitum. *

95. Custodia militaris dicitur, cum quis à militibus custoditur. *sup. si quis caut. l. 4. §. 1. & Cod. de exact. tribut. l. 2.*

96. Exhiberi reus dicitur, cum producitur, & sistitur coram judice.

Ad legem Iuliam Majestatis.

[SEquuntur judiciorum publicorum species. I, est Lex Iulia Majestatis.

Majestas est, magnitudo quædam populi Romani in ejus potestate, ac jure retinendo: vertiturque in imperio, ac omni populi Romani dignitate: *Cicero in part. orat.*]

* Est

* Est vel ipsius reipublicæ, vel principis ei imperantis.

Illa (quæ Majestate imperantis superior, quippe cum illam mutare non possit,) in reipublicæ forma suis institutis antiquitus fundata cernitur; veluti, *regnum successione vel electione esse conferendum.*

Hæc in supremo arbitrio rempublicam regendi consistit; veluti, *de bello, pace, induciis, fœderibus, vectigalibus, legibus, decernendo.*

Describi potest, summum perpetuumque imperium, competens illis quibus supremum arbitrium est gubernandæ reipublicæ, non recognoscentibus superiorem. *

97. Læsæ Majestatis crimen committit subditus, qui contra salutem, vel honorem principis, aut reipublicæ aliquid facit. *l. 6. l. 7. ult. & Clem. 2. versic. rursus non est silentio. de sent. & re jud.*

98. Crimen perduellionis est, cum quis hostili animo contra salutem principis, [*Puta summi, non inferioris. Wes. par. hic. n. 4.*] aut reip. aliquid molitur. *d. l. ult.*

* Perduellionis species est, proditio, cum quis hostium partes ope, vel consilio clam fovet. *

Ad legem Iuliam de adulteriis coërcendis.

[II. Crimen est adulterium. Quod crimen,& stuprum hac lege promiscuè accipitur, tamen,]

99. Adulterium propriè dicitur, carnalis conjunctio, cum muliere alteri nupta, seu nuptialis tori pollutio.

[Ἐν πλάτει, h. e. laxè, est, tori alieni violatio. *c. cum mœchaberis.* 32. *qu.* 5. §. 6. puta, est, illicitus coitus cum alterius conjuge, tam viro, quam

quam fœmina; quamvis nostri ad fœminam hoc crimen potissimum referant.]

100. Stuprum propriè dicitur carnalis illicita conjunctio sine tori nuptialis pollutione; ut, cum virgine, aut vidua honeste vivente.

[Scortatio est, meretricius coitus.

Lenocinium est, prostitutio mulierum quæstuariarum. *l.* 43. §. *lenocinium. de rit. nupt.*

Raptus est, violenta fœminæ abductio, libidinis explendæ causa.]

Ad legem Iuliam de vi publica.

[III CRimen est vis.]

* Vis, in genere est, majoris rei impetus, qui repelli non potest. *l.* 2. *de eo quod met. caus.*

Est duplex, vel divina, vel humana.

Divina est, vis major, cui homines resistere nequeunt; quam Græci θεῦ βίαν appellant. *l.* 25. §. 6. *ff. locati.* vel, ut Theophrastus, *lib.* 5. *de caus. plant.* ἡ ἀπὸ τῦ δαίμονος αἰτία, id est, causa divinitus dimissa.

Humana vis est, vel hostium, vel civium.

Hæc, quam cives faciunt, est, vel justa, vel injusta.

Iusta est, quæ jure fit.

Injusta, quæ contra jus & fas.

Hæc vel publica est, vel privata. *

101. Vis publica est, quæ jus publicum violat, ut quia fit à Magistratu abutente publica, qua fungitur, auctoritate; *l.* 7. aut quia fit armis; *Inst. de publ. judic. item lex Iulia, de vi.* aut quia vectigalia nova sine permissu Principis aliquis exercet. *l. ult.*

Ad legem Iuliam de vi privata.

[IV CRimen est, vis privata.]

102. Vis privata est, quæ privatim fit, & quæ à privata persona in privatum hominem committitur, sine armis.

Ad legem Corneliam de ſicariis, & veneficis.

[V CRimen est, homicidium.]

103. Sica est, ferreus culter inflexus. *Inſtitut. de pub. jud.* §. *item. l. Cornel. de ſicariis.*

104. Sicarius est, qui hominem occidit, vel occidendi causa cum telo ambulavit. *d.* §.

105. Telum est, quicquid feriendi causa manu jacitur; ut culter, lapis, lignum. *d.* §. *& infr. de verb. ſign. l. ſi calvitur.* 233. §. *ſi tectum.*

[Homicidium est, violenta vitæ hominis ademptio.

Dividitur 1. in Voluntarium, quod animi proposito, & dolo committitur. 2. in Necessarium, quod fit ob necessariam corporis defensionem. 3. Non voluntarium, quod fit casu; atque ita præter animi intentionem. *l.* 5. *Cod. hic.*]

106. Veneficus est, seu maleficus, qui vetitis artibus, & susurris magicis, aut venenis, hominem occidit; vel mala venena vendit, necandique hominis causa habet, seu fecit. *l.* 1. §. 1. *& l.* 3. *& Inſt. de pub. jud. d.* §. *Item lex Cornelia de ſicariis. verſ. ead. lege.*

De lege Pompeia de parricidiis.

[VI CRimen eſt, parricidium.]

107. Parricidium committit, qui parentem, liberos, cognatum, agnatum, conjugem, ſponſum, ſponſam, Sponſi, ſponſæve cognatum, vel cognatam, patronum, patronam occidit. *l. 1. h. t.*

[Puta, parricidium propriè dicitur, quod committitur, in parentes & liberos; quod in collaterales, fratres, ſorores, alioſque cognatos, & affines, impropriè. *Vult. Iuriſp. hic. n. 6.*

* Parentum & liberorum appellatione hic, omnes adſcendentes & deſcendentes; nec legitimi tantum, ſed & naturales, imò & ex inceſto, vel damnato coitu nati; non adoptivi, comprehenduntur. Spectat enim lex Pompeia rationem non civilem, ſed naturalem. *

De lege Cornelia de falſis, & de Senatuſconſulto Liboniano.

[VII CRimen eſt falſi.]

108. Falſum, propriè loquendo eſt, callida, & fraudulenta, *Cod. h. tit. l. nec exemplum.* 20. veritatis imitatio. *l. quid ſit falſum.* 23. *& Nov.* 73. *in princ.* Sed hic latius accipitur, ut contineatur etiam veritatis occultatio. *l. inſtrumentum.* 16. *§. ult.*

[Falſi crimen eſt, actus doloſus imitandæ veritatis ejuſque corrumpendæ gratiâ, ad proximum decipiendum. *§. 6. Inſt. hic.*]

109. Senatuſconſulto Liboniano pœnæ legis Corneliæ de falſis ſubjicitur, qui falſa inſtrumenta ſuppoſuit, aut vera occultavit; & qui ſibi, vel ei quem in poteſtate habet, legatum con-

fensu testatoris adscripsit. *Cujac. hic. & Cod. eod.*

* Species falsi sunt infinitæ; adeo ut certis exemplis concludi non possit: Potest tamen ad octo capita referri: committitur enim circa, 1. testamentum; 2. alia instrumenta; & literas; 3. testimonia & judicia; 4. contractus; 5. mensuras & pondera; 6. naturam; 7. monetam. 8. nomen. *

De lege Iulia repetundarum.

[VIII CRimen est, repetundarum.]

110. Crimine repetundarum tenentur publico officio fungentes, & eorum comites, *l.* 1. *in princ. & l.* 5. qui vel donationis causa, *l. pen.* vel quo magis, sive quo minus, officium facerent, aliquid acceperunt, *l.* 3. & 4. nisi donationis causa esculentum, potulentumve, quod in proximos dies consumeretur, *sup. de off. præsid. l. plebiscito.* 18. vel à personis conjunctis oblatum acceperint. *d. l.* 1. §. 1.

De lege Iulia de annona.

[IX CRimen est fraudatæ, seu flagellatæ annonæ.]

111. Annonæ verbo continetur quidquid annus suppeditat ad homines alendos.

112. Fraudatæ seu flagellatæ annonæ crimen dicitur, cum aliquid fit, vel societas coitur, quo annona carior fiat. *l.* 2.

Ad legem Iuliam peculatus, & de sacrilegiis, & de residuis.

[X CRimen est, peculatus.]

113. Peculatus est, furtum pecuniæ

niæ publicæ, vel sacræ, vel religiosæ, ab eo factum cujus periculo ea non est. *l. 1. l. sacrilegi. 9. §. 1.*

114. Pecunia publica dicitur, quæ est fiscalis.

115. Sacrilegium est peculatus, quo res sacra, *d. l. sacrilegi. §. Labeo.* è loco sacro, *infr. de pænis. l. aut. l. aut facta. 16. §. locus.* vel religiosa, loco religioso, *Cujac. hic.in parat.* surripitur Addit Gratianus, vel res non sacra è loco sacro, vel res sacra è loco non sacro. xviij. *qu. 4. c. cum quis. 21. §. similiter.*

[XI Crimen est, de residuis.]

116. De residuis tenetur qui publicam pecuniam, in usum aliquem delegatam, ejusve partem, retinuit, nec in usum illum consumpsit; *l. 2. l. 4. §. sed & qui. l. sacrilegi. 9. §. pen.* & is apud quem ex locatione, emptione, vel alia causa, pecunia publica resedit, *d. l. 4. §. lege.* si eam ad ærarium non est professus; vel professus, retinuit ultra annum. *d. l. sacrilegi. §. ult.*

De lege Iulia de ambitu.

[XII. CRimen est, ambitus.]

117. Ambitus est, honoris illicito modo (ut pecunia data) persecutio.

Ad legem Fabiam de plagiariis.

[XIII CRimen est, plagii.]

118. Plagiarius est, qui hominem liberum, aut servum alienum, dolo malo intercipit ac supprimit. *l. 3. & l. pen.*

[Sequentes tituli ad progressum judiciorum criminalium pertinent.]

Ad Senatusconsultum Turpillianum, & de abolitionibus criminum.

[Calumniari est, falsa crimina scienter, & dolo malo intendere. *l.* 1. §. 1. *hic. vid. & supr. tit. de calumniator.*

Prævaricari quid *sit*, *vide supra ad tit. de prævaric.*]

119. Tergiversator est, qui in universum ab accusatione (subaudi sine abolitione) desistit. *l.* 1. §. 1.

120. Abolitio est, accusati ex reorum numero exemptio, *l. si interveniente.* 12. *Cujac. hic.* vel accusationis omittendæ licentia.

[Est triplex. 1. publica, seu generalis. 2. privata, seu specialis. 3. legitima.]

121. Publica, seu generalis, abolitio est, quæ publicè, ex Senatus decreto, ob rem bene gestam, vel aliam similem causam, fieri solet. *l. abolitio.* §. *& l. seq. & d. l. si interveniente.*

122. Privata, seu specialis abolitio est, quæ postulanti accusatori, *l. aut privatim.* 10. *in princ.* à Principe, *l. destitisse.* 13. §. 1. vel à præside indulgetur. *l.* 1. §. *abolitio.*

123. Legitima abolitio est, quæ ex lege fit, accusatore mortuo, vel ex justa causa impedito, quominus accusationem peragere possit; *d. l. aut privatim. in princip.* vel mortuo eo cujus nomine accusatio instituta fuit, *l. divus.* 14. vel reo mortuo. Nisi judicium tale sit, quod etiam in heredes redditur; ut, læsæ Majestatis, peculatus, repetundarum, de residuis. *l. in Senatusconsultum.* 15. §. *si propter falsi. & l. penult.*

De

De quæstionibus.

124. QUæstio est, corporis cruciatus, & tormentum ad veritatem eruendam. *supr. de injuriis. l. item libero.* 15. §. *quæstionem.*

* Genera tormentorum varia sunt; Nam rei aut fidiculis, aut verberibus, aut igne, aut vigiliis excruciantur. *

De pœnis.

125. POena est, delicti, seu criminis, æstimatio & coërcitio. *l. sanctio.* 41. *in fin.*

[Est vel capitalis, vel non capitalis: vel personalis, vel realis.]

126. Capitalis est, quæ damnato caput eximit de civitate Romana; *sup. de publ. judic. l.* 2. *& Inst. eod.* §. *publicorum.* Quod accidit morte (quæ vocatur ultimum supplicium) vel pœnæ servitute, vel exilio. *l. ultimum.* 21. Sed novissimè Iustinianus pœnæ servitutem sustulit. *l.* 2. *in princ. l. perspiciendum.* 11. §. *ult. & l. capitalium.* 28. *in princ. & sup. de publ. judic. l.* 2. *& Inst. eod.* §. *publicorum. Nov.* 22. *cap.* 8.

127. Non capitalis pœna est, quæ nec vitam, nec libertatem, nec civitatem adimit, sed infamiam irrogat, cum damno pecuniario, vel coërcitione corporali. *d. l. capitalium.* §. 1. *& sup. de publ. jud. d. l.* 2. *& Institut. eod. d.* §. *publicorum.*

128. Personalis est, quæ in persona damnati spectatur; ut, fustigatio, relegatio.

129. Realis est, quæ in bonis, seu rebus damnati spectatur; ut bonorum confiscatio.

 * Rur-

* Rursus pœna alia est legalis, alia arbitraria.

Legalis est, quæ à jure limitata & expressa est.

Arbitraria est, quæ judicis arbitrio commissa.

De bonis damnatorum.

Damnatione bona publicantur, cum aut vita, adimitur aut civitas, aut servilis conditio irrogatur.

Publicare est, in fiscum publicum à Magistratu supremæ Majestatis redigere.

Bonorum appellatione hic etiam jura, actiones, & obligationes continentur. *

De interdictis, & relegatis, & deportatis.

130. Interdicti sunt, quibus vel loco, *l. 7. §. interdicere, cum septem seqq.* vel ordine, *d. l. 7. §. solet decurionibus. & sup. de off. princ. verbis. l. 1. §. pen.* vel honore, *d. l. 7. §. pen. & ult.* vel arte, *supr. de pœnis. l. ult. in princ.* vel negotiatione, vel advocatione, seu foro, vel spectaculis interdicitur. *d. l. 1. §. pen.*

131. Relegatus est, qui salva civitate, vel à loco relegatur, id est, interdicitur, vel in locum, vel in insulam, ad tempus, vel in perpetuum mittitur. *l. 4. l. 7. in princ. §. hac est differentia. & §. seq. & §. sicut. cum §§§. seqq.*

132. Deportatus est, qui in certum locum, ut, in insulam, civitate, *l. 6. in princ.* & bonis ademptis, *supr. de bon. damnat. l. 13. in princ.* in perpetuum mittitur. *d. l. 7. §. hac est differentia.*

De sententiam passis, & restitutis.

133. Simplex Principis indulgentia est, quæ tantum pœnæ gratiam facit, & nihil amplius restituit; nisi à Principe sit expressè concessum. *Cod. hoc tit. l. 2. 6. 7. l. si pater. 9. & de gener. abolit. l. ult.*

134. Plena restitutio est, quæ & ordinem, & honores, & cetera omnia restituit. *Cod. hoc tit. l. 1. vide Centur. 2. quæst. 17.*

* Indulgentia, de qua hoc titulo agitur; est, qua Princeps sententiam passos restituit.

Ea est, vel communis seu generalis, vel specialis; eaque vel minus plena, vel plena, vel plenior, vel plenissima.

Generalis est, qua Princeps universis exulibus reditum in patriam concedit. *l. 4. 5. 7. Cod. hic.*

Specialis est, qua singuli restituuntur. *l. 1. 2. 6. C. eod.*

Ea minus plena est, cum reditus cum restitutione dignitatis conceditur. *d. l. 2. & 6.*

Plena est, cum indulgentiæ reditus restitutio bonorum additur. *l. 3. l. 11. l. pen. Cod. eod.*

Plenior indulgentia est, per quam simul cum reditu dignitas, bona, & potestas in liberos, restituuntur *l. ult. princ. & §. ult. C. eod.*

Plenissima indulgentia est, quæ per in integrum restitutionem fit. *l. 1. C. eod. l. 9. §. 1. ff. de jure patron. l. 3. §. si deportatus. de bonis libert.* *

De appellationibus, & relationibus.

135. Appellatio, seu provocatio est, querela de gravamine per minoris judicis senten-

sententiam, *l.* 1. *& in princ. & passim.* vel per muneris, seu honoris impositionem, *infr. de vac. & exc. mun. l.* 1. *in princ. &* §. 1. illato, quod per superiorem tolli petitur.

* Appellatio, hic, est, invocatio auxilii superioris ad emendanda facta judicis, vel alterius. *l.* 1. *pr. &* §. 2. *hic.*

Est, vel judicialis, vel extrajudicialis.

Iudicialis est, quæ fit ab actu judiciali; veluti, in sententia. *l.* 23. *hic. l.* 2. *de appell. recip. l.* 36. *C. hic.*

Extrajudicialis, quæ à decretis & actibus extrajudicialibus vim sententiæ judicialis habentibus interponitur. *l.* 4. *l.* 7. *C. hic.* querela propriè appellatur. *l.* 12. *C. Theod. eod.* *

136. Relatio duobus modis accipitur, & definitur, 1. Consultatio, qua judex, 'Principem de jure consulit, quomodo judicare debeat. 2. Remissio, qua judex acta, cum sua opinione, ad superiorem remittit.

[Hujus tres sunt species. 1. aut enim refert se appellationem recepisse. *l.* 24. *C. hic.* vel non recepisse, & cur non receperit. *l.* 6. *d. appell. recip.* vel significat, quæ pœna sibi videatur infligenda, quam ipse inconsulto Principe infligere non potest. *l.* 6. §. 1. *de interd. & rel. l.* 1. §. *deportatos. de pœnis.*]

* *Quando appellandum sit, & intra qua tempora.*

APpellari olim oportuit in propria causa intra biduum, in aliena intra triduum, à die latæ sententiæ computandum; hodie indistinctè intra dies decem. *l.* 1. §. 5. & 11. *cum* §§. *seqq. hic. Auth. hodie. C. de appell.* qui fatales appellantur. *l. ult.* §. 1. *C. hic.*

Pro-

Propria causa est, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet. *d. l.* 1. §. 11.

Dies fatales, sunt dies quibus causa agi potest.

Intra quos si appellatio non sit introducta aliquoties, reparatio peti potest.

Reparatio, est lapsi temporis redintegratio, ut perinde ac si definitum tempus lapsum non esset, appellatio introduci possit. *

De libellis dimissoriis, qui apostoli dicuntur.

137. Libelli dimissorii, sive apostoli, sunt litteræ, quibus judex à quo est appellatum, ad judicem ad quem est appellatum, causam instructam transmittit, indicans quis, contra quem, & à qua sententia appellaverit. *l. unic. in princ. & §.* 1.

* *Nihil novari appellatione interposita.*

Appellationem subsequi solet inhibitio.

Inhibitio est, prohibitio judici inferiori per superiorem facta, ne ulterius in causa procedat, vel quid attentet. *c. non solum. c. Romana. §. si vero. & §. seq. de appell. in 6. l. 2. ubi Bart. C. de edend.* *

Quæ sententiæ sine appellatione rescindantur.

138. Sententia rescinditur, quæ appellatione, *supr. ad Senatusc. Turpill. l.* 1. *§. ult.* vel supplicatione, *ut à sententia Præfecti Prætorio.*

torio. l. unic. §. 1. Cod. de sent. præf. Præt. l. unic. vel restitutione in integrum, *sup. de minorib. l. minor etiamsi.* 8. *l. in causa.* 16. §. *ult. & l. seq. l. præses.* 42. *& Cod. si advers. rem jud. tot. tit.* vel exceptione, *Macedoniani, aut Velleiani Senatusconsulti. sup. de Senatusc. Maced. l. tamen.* 11. infirmatur, vel per querelam nullitatis non valere ostenditur, *tot. hoc tit.* Quæ postremo casu impropriè rescindi dicitur.

Eum qui appellaverit in provincia defendi.

139. DEfendi dicitur, qui conventus judicium suscipit. [*l. 6. de judic.*]

[Defendi videtur qui per absentiam, in nullo deteriorem causam adversarii facit. *l. 2. §. 3. ex quib. caus. in poss. eat.* defendi absens non videtur, si actor ultro interpellat, nec quisquam se defensioni offerat. *l. 22. ex quib. caus. major.*]

De jure fisci.

[POst popularia, & publica judicia, sequuntur fiscalia, militaria, municipalia.

Olim ærarium populi, fiscus Principis dicebatur; hodie inter fiscum & ærarium nihil interest; quod omnia ad Principem sint translata.]

140. Fiscus est, publicum patrimonium, seu substantia Principis, quatenus est Princeps.

[Seu fiscus sive ærarium est, publicum principatus, sive Principis, quatenus Princeps est, patrimonium, seu substantia *l. 6. hic.*

Aliud quippe est, privatum Principis patrimonium, seu privata substantia. *l. ult. vers. qua enim. C. de quadr. præscript.*]

141. De-

141. Delator est, qui ea quæ ad fiscum pertinent, voluntariè, præmii pecuniarii accipiendi causa, fisco nuntiat.

De captivis, & de postliminio, & redemptis ab hostibus.

142. Hostes sunt, quibus bellum publicè populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano. *l. hostes.* 24. *& infr. de div. reg. jur. l. hostes.* 18.

143. Captivi sunt, qui sunt in potestate eorum à quibus capti sunt, sive in bello ab hostibus capti sint, *sup. de acq. rer. dom. l.* 5. §. *ult. & l.* 7. *in princip.* sive in pace capti sint ab iis, quibuscum nec amicitiam, nec hospitium, nec fœdus amicitiæ causa factum, habemus. *l.* 5. §. *in pace.*

[Postliminium dicitur à limine & post.

Limen hic vocatur imperii finis, ac terminus.

Postliminio reversus dicitur, qui ab hostibus ad idem imperii limen,& terminum rediit. Unde jus postliminii.]

144. Postliminium est, jus quo is qui ex captivitate reversus est, semper in civitate fuisse fingitur. *l. retro.* 16. *& Inst. quib. mod. jus patr. pot. sol.* §. *si ab hostib.*

* Seu; Postliminium est, jus amissæ rei recuperandæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos omnes populos regesque, moribus ac legibus constitutum. *l.* 19. *hic.* *

145. Lege Cornelia is, qui in captivitate mortuus est, primo captivitatis momento civis Romanus decessisse fingitur. *l. in omnibus.* 18. *l. bona.* 22. *in princ. & supr. qui test. fac. poss. l. lege.* 12. *&*

Inst. quib. mod. jus pat. pot. sol. §. *si ab hostib. vers. si vero.*

146. Redemptus ab hostibus est, quem aliquis, dato pretio, ab hostibus recepit, ita ut eum, donec pretium redemptionis restituatur, in suo dominio habeat, si servus, *l. in bello.* 12. §. *si quis servum.* vel quasi jure pignoris retineat, si liber sit. *supr. de leg.* 1. *l. senatus.* 43. §. *ult. &* *Cod. de postl. redempt. l.* 2. *l.* 6.

De re militari.

147. Milles est, qui sacramento militari præstito in album militum est relatus.

148. Exercitus est, militum sub uno duce militantium multitudo. *sup. de his qui not. infam. l.* 2. §. *exercituum.*

149. Legio est, pars exercitus, in qua soli cives Romani militant.

150. Auxilia sunt, quæ à sociis & fœderatis gentibus mittuntur ad opem exercitui Romano ferendam. *Veget. lib.* 2. *cap.* 2.

151. Centuria est, numerus centum militum sub uno centurione constitutorum. *Varro, lib.* 4. *de ling. Latin.*

152. Contubernium, seu decuria est, numerus decem militum, sub uno Decano, *Decanum vocant, Modestus de vocab. milit. Veget. lib.* 2. *cap.* 8. *&* 13. seu Decurione, *Decurionem vocat Varro, d. lib.* 4. *sed Modesto & Vegetio decurio est, qui triginta duobus equitibus praest.* constitutorum.

153. Manipulus, vel, secundum Cinicum à Gellio relatum, *lib.* 16. *cap.* 4. duabus centuriis constat: vel, secundum Varronem, *d. lib.* 4. *de ling. Latin.* est minima exercitus manus; quæ unum sequitur signum; id est, ut Vegetio placet,

lib.

lib. 2. *cap.* 13. contubernium decem militum: vel, secundum Plutarchum *in Romulo*, idem est, quod centuria.

154. Turma, secundum Varronem, *lib.* 4. *de ling. Lat.* tribus decuriis constat; sed Vegetius, *lib.* 2. *cap.* 14. Modestum, *lib. de vocab. rei militar.* secutus, turmam ex 32 equitibus constituit, eique Decurionem præfecit.

155. Acies est, exercitus instructus. *Veget. lib.* 3. *cap.* 4.

156. Frons aciei est versus hostes. *Veget. d. loco.*

157. Prima acies, habet in dextro cornu primam cohortem; in sinistro quintam, medio loco secundam, tertiam & quartam: ab utraque parte alas equitum. *Modest. d. lib. Veget. lib.* 2. *cap.* 15.

158. Secunda acies, habet in dextro cornu sextam cohortem; in sinistro decimam; medio loco septimam, octavam, & nonam: ab utraque parte alas equitum. *Modest. & Veget. d. locis.*

159. Toti exercitui in prælio præest dux exercitus, aut eo absente legatus; extra prælium magister militum.

160. Primæ cohorti præest centurio, reliquis tribuni, vel præpositi, pro arbitrio Principis.

161. Centurio præest centum peditibus.

162. Decurio accipitur duobus modis. 1. decanus est qui præest 100 peditibus. 2. qui turmarum decurias ducit.

163. Præfecti equitum sunt, qui alas ducunt, & proportione respondent tribunis militum.

164. Præfectus legionis, præest legioni.

165. Præfectus sociorum, præest auxiliis.

166. Præ-

166. Præfectus fabrorum præest fabris.

167. Milites pilani sunt, qui sunt ætate minimi, & fortunæ perquam tenuis, pilis utentes.

168. Hastati sunt, pilanis adultiores, utuntur hastis.

169. Principes sunt, ætate ac robore præstantes; qui à principio gladiis pugnabant, sed postea ratio mutata fuit.

170. Triarii sunt, natu maximi, qui in tertia acie ceteris subsidio collocantur. *Varro, lib. 4. de ling. Latin. Polyb. l. 6.*

171. Cataphracti sunt, equites graviter armati.

172. Velites sunt, equites leviter armati.

173. Per sacramentum eligi dicuntur milites, cum singuli jurant se pro republica staturos. Qui non prius discedunt à militia, quam legitima 20 annorum stipendia confecerint. *Servius, in 8. Æneid.*

174. Per conjurationem eligi dicuntur, cum erat tumultus, id est, bellum Italicum, vel Gallicum. *d. loco Servii.*

175. Per evocationem eligi dicuntur, cum ad diversa loca diversi mittuntur, exercitus cogendi gratia. *Serv. d. loco.*

176. Delictum militare est, quod miles admittit, quatenus est miles; nec in paganum cadit; ut, militiæ desertio, armorum abjectio, fuga in prælio.

177. Delictum commune est, quod æque à pagano, atque à milite committi potest; ut, proditio, seditio.

De castrensi peculio.

178. CAstrense peculium *defin. part. 6. num. 77.*

De Veteranis.

179. VEteranus accipitur duobus modis. 1. qui legitima 20 annorum ſtipendia confecit, *Cod. de his qui non impl. ſtip. l. ult.* 2. qui à militia legitimis ſtipendiis confectis dimiſſus eſt. *ſup. de procur. l. filiusf.* 8. §. *veter. & de veter. & milit. ſucc. in rubr.*

[Dimiſſio eſt, vel honeſta, vel cauſaria, vel ignominioſa.]

180. Honeſta dimiſſio eſt, cum quis legitimis ſtipendiis confectis, vel permiſſu Principis ante ea confecta, dimittitur. *ſup. de his qui not. infam. l.* 2. §. *ignominia. & de re milit. l. milites agnum.* 13. §. *miſſionum.*

181. Cauſaria dimiſſio eſt, cum quis ideò militari ſacramento ſolvitur, quia morbo, vel alio caſu, non eſt ad militandum idoneus. *dict. jurib.*

182. Ignominioſa eſt, cum quis ob delictum exauctoratur. *dict. jurib.*

183. Munerum cauſa dimiſſio eſt, cum quis ideò dimittitur, quia munerum vitandorum cauſa nomen militiæ dederat. *d. l.* 2. §. *ignominia.*

Ad municipalem, & de incolis.

184. LEx municipalis eſt, lex municipii. 185. Municipium, *l.* 1. §. 1. ſive reſpublica, *ſup. qui pot. in pig. hab. l. ſi pignus.* 8. *& Cod. ne ſiſc. vel reſp. proc. alic. patron. cauſ. in lite praſtet.* eſt, civitas Romano Imperio ſubjecta.

186. Municipes ſunt, cujuſcunque civitatis Romano Imperio ſubjectæ cives.

[Sunt

[Sunt vel originarii, vel voluntarii.]

187. Municipes originarii propriè dicuntur, qui in municipio nati sunt, *l.* 1. *in princ.* vel in vico ei municipio subjecto. *l. qui ex vico.* 30. impropriè qui à municipe manumissi, vel adoptati sunt. *d. l.* 1. *in princip.*

188. Municipes voluntarii sunt, qui municipes facti sunt domicilio. *Cod. de jure. l. 6.* vel adlectione, *Cod. eod. l.* 7. * vel manumissione, vel adoptione. *

189. Domicilium est, ubi quis larem; ac rerum fortunarumque suarum summam constituit: undè non est discessurus, si nihil avocet: undè cum discessit, peregrinari videtur: quo si redeat, peregrinari desinit. *Cod. de incolis. l.* 7.

* Domicilium doctores triplex considerant; naturale, commune, accidentale.

Naturale, quod ex ipsa natura venit, vel propria, vel paterna nativitate.

Commune, quod fuit Romæ; quasi, ubi Princeps degit, censeatur esse patria communis. *l.* 33. *hic. l. 6.* §. 11. *de excus. tut.*

Accidentale est, quod habitationis vocatur & incolas facit. *

190. Incola est, qui domicilium in civitate constituit, *Cod. eod. l.* 5. *& l.* 7. non qui in agro permanet. *l. scire.* 35. *& Cod. de incol. l.* 3.

191. Adlectione municipes sunt, qui in civitatem recipiuntur, & civitate donantur.

* Manumissione municipes sunt, qui à municipibus sunt libertate donati. *l.* 1. *l.* 6. §. *fin. l.*7. *l.* 22. *l.* 23. *l.* 27. *hic.*

Adoptione municipes sunt, qui à municipibus sunt adoptati. *l.* 15. §. *fin. l.* 16. *l.* 17. §. 9. *hic.* *

192. Domicilium transfertur re & facto, non nuda protestatione. *l. domicilium.* 20.

De

De decurionibus & filiis eorum.

193. CUria eſt, publicum cujuſvis municipii conſilium, ſeu decurionum ordo, ſeu minor Senatus. *Cod. hoc tit. l. ult. verſ. aliis autem mod. Nov. major de curialib. Caſſiodor. lib. 9. cap. 2. in fin.*

194. Decuriones, ſeu curiales ſunt, ex quibus curia conſtat, ſeu Senatores municipales. Impropriè tamen vocantur Senatores. *Cod. hoc tit. l. omnes. 33.*

* Naſcuntur, aut fiunt.

Naſcuntur, Decurionum filii. *l. 35. cum. l. ſeq. l. 31. C. hic.*

Fiunt, à curia Senatoribus orbata in curiales allecti. *l. 6. §. fin. ff. l. 46. C. eod.* *

195. Duumviri ſunt, Magiſtratus municipales, qui proportione reſpondent conſulibus Romanis.

196. Defenſores civitatis, *hac rub.* ſeu locorum, *l. 3. & infr. de priv. ag. in reb. l. ult. in princ.* ſeu plebis, in municipio ſunt, qui plebem defendunt; ut, Romæ tribuni plebis. *infr. de off jurid. l. unic.*

De albo ſcribendo.

197. ALbum hîc eſt, matricula in qua decurionum nomina, eodem ordine ſcripta ſunt, quo ſententiam dicere debent. *l. 1. §. 1.*

De muneribus, & honoribus.

198. MUnus publicum, ſeu civile eſt, officium privati hominis, ex quo commodum

modum ad singulos universosque cives, remque eorum, imperio Magistratus ordinario pervenit. [*l.* 239. §. *munus. de V. S.*]

[Estque utilitate, vel publicum, vel privatum.]

199. Munus utilitate publicum est, quod in administranda republica cum sumptu, sine titulo dignitatis, consistit. *l. honor.* 14. §. 1.

200. Munus utilitate privatum est, quod in administratione rei privatæ cernitur; ut, tutela.

[Est, vel personale, vel patrimoniale; vel mixtum.]

201. Personale, seu corporale est, quod animi vigilantia & corporali labore, sine sumptu, & sine gerentis damno, perpetratur; *l.* 1. §. *illud. l. ult.* §. 1. ut, tutela, & cura. *d. l.* 1. §. *ult.*

202. Patrimoniale est, quod sumptu patrimonii, & detrimento administrantis expeditur. *d. l. ult.* §. *patrimoniorum*; ut, hospitii præbitio. *l.* 3. §. *munus hospitii.*

* Est duplex: quoddam possessoribus ædium vel agrorum injungitur; quoddam solis municipibus & incolis imponitur. *l.* 6. §. *pen. l. ult.* §. 21. *l.* 3. §. 11. *hic.* *

203. Mixtum est, quod corporali ministerio geritur, & detrimentum infert gerentibus; ut, tributorum exactio, quorum periculum ad exactorem spectat. *d. l. ult.* §. *mixta.*

204. Honor municipalis est, administratio reipublicæ cum dignitatis gradu. *l. honor.* 14. *in princ.*

205. Gradatim honores deferri dicuntur, cum à minoribus ad majores adscenditur, nullo prætermisso. *l. aut gradatim.* 11. *in princip. d. l. honor.* §. *pen.*

206. Per saltum deferri dicuntur, cum majores

jores deferuntur ei, qui minores non gessit. *Extr. de cler. per salt. promot. in Rub. & cap. unic.*

De vacatione, & excusatione munerum.

207. IMmunitas est, vacatio munerum à jure vel à principe concessa, seu privilegium quo quis à necessitate munera præstandi, onera subeundi, eximitur.

Excusationem, *definivi lib.* 4. *num.* 138.

De legationibus.

208. LEgatio est, munus legati.

209. Legatus est, qui à Principe, vel à republica, sive à civitate mittitur, publici negotii causa, in quo mittentem repræsentat.

* Rectius; Legatus, in genere est persona publica sacratiore nomine ad Principem vel Rempublicam missa sine imperio, rei dicendæ agendæque causa.

Mittitur, vel officii, vel negotii gratia.

Officii gratia, ut gratuletur, doleat, gratias agat, aut id genus aliud peragat.

Negotium ob quod legatus mittitur, vel est pacis, vel belli.

Pacis appellatur omne quod bellicam actionem non sapit; ut, si mittatur ad pacem, fœdera ineunda, matrimonium Principis absentis nomine contrahendum, &c.

Belli negotium est, ejus, aliusve, hostilis denuntiatio.

Qui eam obit legationem, Fæcialis, hodie Araldus dicitur. *

210. Am-

210. Ambasciator est legatus Principis, vel Reipublicæ non habentis superiorem.

* Legatus etiam nuncupatur, qui publicè gratiâ negotii suæ civitatis, vel provinciæ, ad Principem, vel alium; decreto civium, vel provincialium cum dignitate mittitur. Apud nos Deputatus aut Commissarius appellatur. *

[Legatio est, vel libera, vel necessaria; vel gratuita, vel non gratuita.]

211. Necessaria legatio est, quæ reipublicæ causa suscipitur.

212. Libera est, quæ proprii commodi causa suscipitur.

213. Gratuita est, quam quis suo sumptu peragit.

214. Non gratuita est, ex qua legatus accipit à fisco legativum. *l.* 2. §. *ult.*

215. Legativum est, viaticum legati. *sup. de mun. & honor. l. ult. §. legati.*

* *De administratione rerum ad civitates pertinentium.*

ADministratores rerum ad civitates pertinentium sunt varii; alii enim Curatores Reipublicæ, *l.* 2. *l.* 6. *l.* 3. §. 3. *hic*, alii Curatores Kalendarii, *l. ult.* §. 2. *de muner.* dicuntur; alii curam habent annonæ, *d. l. ult.* §. 8. alii curam emendi frumenti, olei, &c. *d. l. ult.* §. 1. *

De decretis ab ordine faciendis.

216. ORdo est, consilium, seu cœtus decurionum, qui etiam curia vocatur, *sup. defin.* 194.

217. Decretum ordinis est, quod legitimo decurionum

curionum numero coacto, id est, vel saltem duobus decurionum partibus præsentibus, *l.* 2. *l.* 3. statuitur, ad publicam utilitatem respiciens. *l.* 4.

De operibus publicis.

218. CUrator publicorum operum, *l.* 2. §. 1. seu pater civitatis, *Cod. de ratioc. oper. publ. l. unic.* est, cui respublica curam faciendorum publicorum operum demandavit.

* Opera publica hic sunt, structuræ quæ in communi civitatis usu sunt; veluti, mœnia, portus, porticus, balnea, thermæ, theatra, Prætoria judicum, basilica, campus publicus, circus, aquæductus, forum, fana, palatium, portæ civitatis, horrea publica, & similia. *

De nundinis.

219. NUndinæ sunt, conventus, ex diversis pagis, civitatibus, & provinciis, commercii causâ instituti.

220. Mercatus est, conventus ex proximis pagis commercii causa institutus.

De pollicitationibus.

221. POllicitatio est, voluntas sponte, & nemine paciscente; declarata, de re danda, vel facienda. *l.* 3. *in princip. distinguitur a pollicitatione, & nuda promissione. sup. de ædil. edict. l. sciendum.* 19. §. *dictum.*

222. Votum est, rei faciendæ, vel non faciendæ pollicitatio, Deo facta. *Paulo aliter accipitur votum. inf. part.* 9. *def.* 184.

[Ele

[Eleganter Cicero dicit votum, sponsionem, qua Deo obligamur.]

De extraordinariis cognitionibus, & si judex litem suam fecisse dicetur.

223. EXtraordinaria cognitio dicitur, cum ipse Prætor, vel Præses summariè cognoscit, non dato judice qui de ea cognoscat.

224. Litem suam judex facere dicitur, qui dolo, vel culpa, male judicat.

De proxeneticis.

225. PRoxeneticum est, merces proxenetæ.

226. Proxeneta est, conciliator alicujus contractus inter alios celebrandi.

De censibus.

227. CEnsus (vulgo cadastrum apud Venetos existimo) est, civium, *l.* 3. *in princip.* bonorumque, ad eos pertinentium publica descriptio. *l.* 4. *sup. de prob. l. censu.* 10.

228. Censitor est, cui census munus incumbit.

* Census indicitur, vel personis, & capitatio; vel rebus sive agris, & jugatio, dicitur. *

De

De verborum significatione.

229. VErborum appellatione non solum simplicia vocabula, *l.* 7. sed etiam orationes continentur. *l. conjunctionem.* 29. *l. hac verba.* 69. *cum sim.*

* Significatio verborum, vel ex communi usu loquendi, vel ex proprietate sermonis, vel ex intentione proferentis, & sic ex interpretatione, sumitur.

Interpretatio est, ambiguæ, vel absconditæ voluntatis declaratio.

Debet esse congrua; id est, quæ verbis, personis, causis, temporibus, & locis congruit. *

De diversis regulis juris antiqui.

230. REgula est, juris decisio, multos casus breviter complectens; vel juris decisio plerumque obtinens.

231. Diversæ regulæ dicuntur, quæ ex diversis juris partibus sumptæ sunt.

232. Ius antiquum, *ut hic*, *& Inst. proœm.* §. *igitur.* vel jus vetus, *Cod. de vet. jur. enucl.* dicitur, quod veterum Iurisconsultorum libris comprehensum est.

LIBER OCTAVUS

Ex novem prioribus libris Codicis.

De summa Trinitate, & fide Catholica.

1. Summa Trinitas est, distinctio trium personarum in Deo, cujus una, & individua est essentia.

2. Fides est, rerum quæ sperantur hypostasis, & earum quæ non videntur elenchus, *ad Hebr. cap.* 11. *vers.* 1. vel quæ creduntur, quæ non videntur, ad religionem pertinentia. *Magist. sentent. lib.* 3. *dist.* 23.

3. Fides Catholica est, quam Christi Ecclesia Catholica amplectitur.

De sacrosanctis Ecclesiis, & de rebus, & privilegiis earum.

4. Ecclesia accipitur, ac definitur multis modis. 1. Christianorum cœtus; ut, *cum dicitur, neminem extra ecclesiam salvum esse posse.* 2. Clericorum divinis obsequiis mancipatorum, collegium & conventus, *de consecr. dist.* 1. 3. Ædes sacræ seu templum, seu basilica, ubi Christiani Deum invocant & colunt. *Ecclesia.* 6. *infr. tit. prox. l. conventicula.* 15. *& extra de consecr. Eccles. & aliis permultis locis.*

5. Res Ecclesiæ sunt, quæ vel sunt ejus usui deputatæ; ut templa, altaria, sacra vasa; vel sunt in ejus dominio, ut prædia, & reditus ad Ecclesiam pertinentes.

6. Privi-

6. Privilegium est, prærogativa alicui personæ, vel universitati, favorabiliter & specialiter, contra jus commune, concessa.

* Personam Ecclesia propriè non habet, sed juris interpretatione sustinet, ut & quælibet universitas. *fac. l.* 13. §. 1. *C. de judic.* *

De Episcopis, & Clericis, & Xenodochis, & Brephotrophis, & Ptochotrophis, & ascetriis, & monachis, & de privilegiis eorum, & quasi castrensi peculio, & de redimendis captivis, & de nuptiis Clericorum vetitis, seu permissis.

7. EPiscopus, *hac rub. & passim.* seu Pontifex, *de sum. trin. l.* 1. sive Antistes. *l. parabolani.* 18. *l. si qua per calumniam.* 22. *in princ. cum sim.* (qui & Sacerdos, *l.* 7. *si quis in hoc.* 10. *l. quicunque.* 14. *d. l. parabolani. l. omnes.* 33. & Christianus, *infr. tit. prox. l.* 1. *l. Christianos.* 11. *& de postlim. rev. l. ult. vers. & ut facilis.* interdum appellatur) Presbyteris præest. *dist.* 21. *Cleros. vers. unde & apud.* quasi Sacerdotum Princeps. *distinct.* 95. *c. olim idem.* 5.

8. Simpliciter Episcopus est, qui in majori aliqua civitate præest Ecclesiæ.

* Vel, Episcopus est, speculator morum & religionis populi tanquam pastor in specula excubans pro grege suo adversus incursum luporum. *c.* 1. *dist.* 21.

Vel, est, qui populum Christianæ doctrinæ insinuatione moderatur. *l.* 6. *inf. de Episc. aud.* *

9. Chorepiscopus est, Episcopus suburbii, vel juris, sub dispositione Episcopi, vel Metropolitani, *Cujac. hic.* qui etiam vocatur exarchus, vel

archon, *l. omnem adhibentes.* 42. §. 9. *&* 10. & interdum archidiaconus, *Cujac. ex sigillato.* sed jure Pontificio prohibetur. *distinct.* 68. *c. Chorepiscopus.*

10. Metropolitani sunt, qui Ecclesiis & Episcopis alicujus provinciæ præsunt. *dist.* 21. *cap. Cleros.* §. *Metropolitani.*

11. Archiepiscopi, seu Primates, tam Metropolitanis, quam ceteris Episcopis præsident, *d. cap. Cleros. cap. archiepiscopus.*

12. Patriarcha est, qui primum inter Episcopos, id est, Apostolicum, tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus. *d. c. Cleros.* §. *patriarcha.*

13. Papa est, Episcopus, seu Patriarcha Romæ veteris, *sup. de sum. Trinit. l.* 7. *in princip.* cujus sedi Apostolicæ omnes sacerdotes subjiciuntur. *supra, Cod. l. reddentes. in princip.*

14. Clerici sunt, qui in Ecclesia Christi deserviunt. *d. c. Cleros. in princip.* vel qui divino cultui ministeria religionis impendunt. *Cod. Theod.* 5. *tit. l.* 2.

15. Presbyter est, Sacerdos, *d. c. Cleros.* §. *Presbyter.* Episcopo subjectus. *d.* §. 95. *c.* 5. *&* 7.

16. Diaconi, seu ministri, seu Levitæ sunt, qui Sacerdotibus assistunt, & ministrant. *d. c. Cleros.* §. *Levitæ. & distinct.* 25. *c. perlectis.* §. *ad Diacon. & de consec. distinct.* 4. *c. constat baptisma.*

17. Subdiaconi sunt, qui Diaconis adjunguntur, ut eos juvent. *d. c. perlectis.* §. *ad Subdiaconum.*

18. Archidiaconus est, ad quem ita ministerium Ecclesiarum pertinet, ut Diaconis, & Subdiaconis præsit. *d. c. perlectis.* §. *Archidiaconus.*

19. Acolytus (aliter acoluthus) seu ceroferarius

rius eſt, cujus miniſterium in accendendis & deportandis luminaribus cernitur. *d. c. Cleros. §. acolyth. & d. cap. perl. §. ad acolyth.*

20. Exorciſtæ ſunt, qui ſuper catechumenos, & eos qui immundos ſpiritus habent, nomen Domini Ieſu invocant, adjurantes per eum, ut egrediantur ab eis. *d. c. Cleros. §. exorciſta.*

21. Lectores ſunt, ad quos pertinet ſacras ſcripturas in Eccleſia legere, & prophetarum vaticinia populis prædicare. *d. c. Cleros. §. lectores. d. c. perlectis. §. ad lectionem.*

22. Ad Pſalmiſtam pertinet officium canendi in Eccleſia. *d. c. Cleros. §. lectores. d. c. perlectis. §. ad Pſalmiſtam.*

23. Præcentor eſt, qui vocem præmittit in cantu. *d. c. Cleros. §. lectores.*

24. Succentor eſt, qui voce obſequenter canendo reſpondet. *ibidem.*

25. Concentor eſt, qui conſonat, & concinit. *ibidem.*

26. Ad oſtiarium claves, & cuſtodia templi pertinet. *d. c. Cleros. §. ult. d. c. perlectis. §. ad oſtiarium.*

27. Copiatæ, ſeu Decani, ſeu lecticarii, ſeu Veſpelliones ſunt, deputati ad obſequia Eccleſiæ, præſertim ad curanda funera. *l. ſi qua. 22. & ſup. tit. prox. l. 4. & Nov. 43. & 59. & Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. Ariminenſe. 15.*

28. Parabolani ſunt, qui ad curanda ægrotorum debilia corpora deputantur. *l. placet. 17. §. 1. l. parabolani. 18.*

29. Oeconomi ſunt, qui rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem habent. * & periculum ſubeunt, *l. 25. §. 6. hic* & rationem adminiſtrationis apud Arcarios, ſingulis aut ſaltem binis menſibus reddunt. *d. l. 25. §. ult.*

Arcarii ſunt quibus eorum quæ in arcam com-

munem inferuntur, recipiendorum cura demandata est. *

30. Defensores Ecclesiæ sunt, qui Oeconomis præsunt.

31. Periodeutæ, id est, circuitores, vel visitatores, in vicis, vel castellis, ubi Episcopi non sunt, *distinct.* 8. *c. non debere.* & in locum Episcoporum ad tempus remotorum constituuntur, *Cujac. hic.* visitandarum Ecclesiarum gratiâ.

32. Orphanotrophi sunt, qui præsunt orphanotrophiis, in quibus orphani, parentibus & bonis destituti, aluntur.

33. Xenodochi sunt, qui præsunt xenodochiis, in quibus hospites recipiuntur, id est, advenæ qui se sustentare nequeunt.

34. Brephotrophi sunt, qui præsunt brephotrophiis, in quibus infantes aluntur.

35. Ptochotrophi sunt, qui præsunt ptochotrophiis, in quibus mendici aluntur.

36. Nosocomi sunt, qui præsunt nosocomiis, in quibus pauperes ægroti curantur.

37. Gerontocomi sunt, qui præsunt gerontocomiis, in quibus senes curantur, & sustentantur.

38. Monachi, vel monastriæ sunt, qui quæve vitam secularem reliquerunt; ut, in monasterio Deo serviant.

39. Ascetæ vel Ascetriæ sunt, qui quæve seculari vita relicta in ascetrio piis meditationibus se exercent.

40. Regulares Canonici sunt, qui monasticam vitam degunt, laxiori disciplinæ servientes. *Extr. de statu mon. cap.* 5.

41. Abbas, vel abbatissa, vel archimandrita, vel monasterii exarchus, dicitur, qui quæve monasterio præest. *l.* 53. *in princip. l. ult. in princip.*

princip. Novel. 5. *c.* 7. *Novel.* 123. *c.* 34. *Novel.* 133. *c.* 4.

42. Apocrisiarii sunt, qui Ecclesiarum cujusque dioeceseos, & Monasteriorum negotia tractant. *Nov.* 133. *c.* 5.

43. Anachoretæ, seu hesychastæ sunt, Monachi in contemplatione & quiete vitam degentes. *Nov.* 5. *c.* 3. *& Nov.* 133. *c.* 1.

44. Ianitores sunt, qui ingressus in Monasterium, & exitus ex Monasterio, curam habent. *d. Nov.* 133. *c.* 1.

De Episcopali audientia, & diversis capitulis quæ ad jus, curamque, & reverentiam pertinent Episcopalem.

45. EPiscopalis audientia est, Episcopi cognitio, *l.* 7. *&* 8. sine coërcitione. *d. l.* 8. *& l. quæ de alia.* 25.

* Eam habet, vel ex necessitate, vel ex voluntate.

Ex necessitate in Clericos, *l.* 2. *hic.* monachos, *l.* 6. Oeconomos, *l.* 13. & similes personas Ecclesiasticas in caussis religionis & negotiis Ecclesiasticis. *l.* 25. *hic. Auth. Clericos Auth. causa. sup. de Episc. & Cler.*

Ex voluntate in caussis Laïcorum civilibus, si litigantes eum ut arbitrum eligant. *l.* 7. 8. *hic.* *

46. Ad jus Episcopale pertinent, quæ Episcopo permittuntur, aut interdicuntur.

47. Ad curam Episcopalem spectant, quæ ita Episcopo incumbunt, ut salvo officio prætermitti nequeant.

48. Episcopalis reverentia est, honor, qui Episcópo ab inferioribus debetur.

De hæreticis, & Manichæis, & Samaritis.

* HÆresis hoc in tractatu, pro erronea fidei opinione accipitur.

Est pertinax in articulis fidei, seu religione Christiana error, ἑτεροδιδασκαλία, cum pertinacia. 1 *Timoth.* 6. 23. *C. hæresis.* 24. *qu.* 3. *

49. Hæreticus est, qui licet sibi nomen Christiani vindicet; tamen se à Christianorum fide, & communione separat; *Nov.* 109. *in fine princ.* vel quicunque aliter Scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti efflagitat, quo scripta est; licet ab Ecclesia non recesserit. *xxiv. qu.* 3. vel qui alicujus temporalis commodi, & maximæ gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones gignit, vel sequitur. *d. qu.* 3. *cap. hæreticus.*

OBSERVATIO.

SEquentes hæreseon species in Iustiniani Codice, & Novellis nominatas, servato, ut fieri poterit, temporum ordine, proponam, eorumque præcipua dogmata ex Iraneo, Tertulliano, Epiphanio, Augustino, aliisque probatis auctoribus, referam.

50. CArpocratitæ, vel Carpocratiani, Carpocratem Alexandrinum sequentes, ponunt duos Deos: alterum bonum, alterum malum: Mundum non esse à Deo, sed ab Angelis creatum: Christum fuisse purum hominem de utroque sexu natum, nos in hoc mundo vivere sub imperio malarum potestatum & diabolorum; idcirco in horum gratiam esse peccandum: animas de corpore in corpus migra-

migrare: defunctorum corpora non resurgere.

51. Valentini, seu Valentiniani, Valentinum Ægyptium secuti, fabulosa tradunt de rerum creatione: carnis resurrectionem negant: fidem hominibus à natura inesse affirmant: bona opera, tanquam inutilia, contemnunt: Idolothetis vescuntur, & festa gentilium celebrant: Prophetas veteris testamenti rejiciunt, ac tres Prophetarum Spiritus constituunt, à Bytho, ab unigenito, à patre.

52. Novatiani à Novatiano Presbytero, Romani, seu Sabbatiani, à Sabbato Presbytero, seu Græco verbo Cathari, quasi puri & mundi, seu corrupto vocabulo Gazari (auctore Gazaros) nominati, pœnitentibus veniam denegant; baptizatos rebaptizant, secundas nuptias damnant.

53. Borboritæ, i. e. Cœnosi, qui se gnosticos, à doctrinæ excellentia, appellant, de creatione mundi ineptissima fabulantur, duos Deos statuunt, alterum bonum, alterum malum: duas animas in homine esse docent, unam à Deo, quæ non peccat, sed ad Deum redit immaculata; alteram aëream, per quam peccamus, quæ post mortem transit in alia corpora, etiam brutorum animalium. Christum à Iesu distinguunt, & Christum in Iesu jam natu grandem, & pene triginta annorum descendisse, & cum eo post resurrectionem unitum esse, asserunt: Christum aiunt per octodecim menses post resurrectionem in hoc mundo versatum, contra expressa Scripturæ verba, *Actor. cap. 5. vers.* 3. negant martyria esse subeunda pro fide Christiana: colunt imagines.

54. Ophitæ, seu Ophiomorphi, à serpente, quem colunt, nominati, adorant serpentem qui in Paradiso Evam decepit, tanquam sapientiæ auctorem; quem putant fuisse Christum ex sum-

mo Deo, & materia quadam genitum: Non prius Eucharistiæ panem consecrari putant, quàm serpens, quem in cista gestare solent, eam lambat: serpentis forma Christum subiisse Mariæ uterum, nec tamen verum hominem factum esse censent; resurrectionem carnis irrident.

55. Marcionistæ, seu Marcionitæ, à Marcione Pontico, docent duos esse Deos, alterum sævum, alterum benignum, Christi Patrem: Christum esse filium Dei creatoris, verum hominem, natum ex Maria virgine: verè passum negant: fabulosa narrant de creatione mundi: Vetus testamentum & matrimonium damnant: carnis resurrectionem negant: Christum, per descensum ad inferos, animas Caini, Esau, & aliorum reproborum in cælum traduxisse contendunt; quotiescunque aliquis peccat, eum rebaptizant; pro mortuis catechumenis alios baptizant, ut mortui illi salvi fiant: mulieribus baptizare permittunt: Transmigrationem animarum affirmant: bella & armorum usum indistinctè condemnant.

56. Encratistæ, vel Encratitæ, ἀπὸ τῆς ἐγκρατείας, id est, à nuptiarum, vini & esus carnium abstinentia, nominati, à Tatianis, quorum auctor fuit Tatianus, orti, & ab eis schismatici (ut scribit Epiphanius) appellati, unà cum Tatianis nuptias damnant, & fornicationes pares censent: ab usu carnium, & vini potu abstinent: de creatione mundi & seculi fabulantur: Christum negant esse ex semine Davidis: legem Mosis repudiant.

57. Hydroparastæ, vel aquarii, quoniam à vino abstinent, in Eucharistiæ Sacramento aquam pro vino adhibent.

58. Montanistæ, à Montano auctore, seu Priscillanistæ, à Priscilla, (ut opinantur, Prophetissa)

tissa) vel Quintillani à Quintilla, altera, ut putant, Prophetissa; vel Phryges, seu Cataphryges à Phrygia provincia, ex qua oriundus fuit Montanus, vel Perpuritæ, à Perpura oppido, ejusdem Montani patria, Montanum asserunt accepisse Spiritum sanctum sine mensura, cum Apostoli de Pentecostis tantum ex parte acceperint: Secundas nuptias damnant: anniculi pueri sanguinem, minutis punctionibus expressum, cum farina miscent in Eucharistiæ pane conficiendo: puerum illum pro martyre habentes, si ea de causa moriatur: pro magno Sacerdote, si vivat: mulieres ad munia Ecclesiastica obeunda admittunt. Evam laudant quod de vetita arbore comederit; quasi salutis nostræ causa fuerit.

59. Tascodrogitæ, ex eo dicti quod indicem digitum, quasi palum, in nares rectum immitterent, ut in precibus attentiores viderentur, à Montanistis fluxerunt, & penè iidem sunt, *Epiphan. l. 2. tom. 1. hæresi.* 48. Ab eis tamen sejunguntur. *l. 5. l. agnominis.* 19.

60. Hermogeniani, ab Hermogene Afro, materiam Deo coæternam ponunt: & matrem electorum idæam asserunt.

61. Manichæi, ab Urbico Persa (quem ipsi Manichæum, quasi manna fundentem, alii Manetem, id est, insanum appellant) vel Acovanitæ, ab Acovana, Manetis discipulo, vel Agonistæ, sive Agonistici, quod se perpetuò contra Principem tenebrarum pugnare profitentur, duo rerum Principia ponunt, Deum bonum & Deum malum: impia de rerum natura & mundi origine fabulantur: vetus testamentum damnant: Christum aiunt fuisse serpentem illum qui primis parentibus oculos aperuit: venisse tamen ad animas, non ad corpora liberanda, nec veram carnem

nem ſumpſiſſe, nec verè paſſum, nec verè reſurrexiſſe: Solem & Lunam adorant. nec alia Idola reſpuunt: Manetem aiunt eſſe Paracletum à Chriſto promiſſum: duas animas in homine ſtatuunt inter ſe pugnantes: animam hominis & animam plantæ dicunt eſſe ejusdem eſſentiæ. Conjugium & fœtus improbant, tanquam Dei vincula & carceres: aſſerunt peccatum eſſe ſubſtantiam: voluntatem male agendi eſſe à natura inſitam, non ex inobedientia erga Deum natam: Eleëmoſynam damnant: baptiſmum contemnunt, & alia abſurda tradunt.

62. Pauliſtæ, vel Paulaniſtæ (Papianiſtæ, vel Papinianiſtæ corruptè legitur in l. 5.) vel Pauliani (quibus perperam & præter fidem Codicis Theodoſiani, adjunguntur Pauliani, tanquam diverſi hæretici) & Samoſateniani, vel Samoſatei à Paulo Samoſateno, & Photiniani, à Photino, Sirmii Epiſcopo, & Marcelliani, à Marcellino Pauli Samoſateni & Photini ſucceſſore, aiunt Chriſtum fuiſſe purum hominem ex ſemine Ioſephi, nec fuiſſe Verbum ipſi unitum, ſed tantum adſiſtens; ut, & aliis Prophetis.

63. Ariani, ab Ario Presbytero Alexandrino, docent tres eſſe diverſas eſſentias divinas, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: Chriſtum aſſumpſiſſe corpus, non animam humanam: ac rebaptizant Catholicos.

64. Donatiſtæ, ſeu Donatiani, à Donato Numida, Filium, Patrem, Spiritum Sanctum, Filio minorem faciunt: Catholicos rebaptizant: veram Eccleſiam eſſe negant, in qua ſit aliqua macula: Sacramentorum vim ex miniſtri dignitate & ſanctitate potius metiuntur, quàm ex Dei Verbo: neminem ad bene agendum cogi volunt: mortem ſibi conſciſcunt, ne à Magiſtratu puniantur: purgationibus quibusdam magicis utuntur.

65. Macedoniani, à Macedonio Presbytero Constantinopolitano, & Marathoniani, à Marathonio, primo auctore, qui Macedonium præcessit, & Pneumoniaci, à doctrina nominati, negant Filium esse ejusdem essentiæ cujus est Pater, & Spiritum Sanctum esse Deum.

66. Audiani, sive Audæi, ab Audæo Syro, vel Anthropomorphitæ, sive Anthropiani, à doctrina, Deum putant esse corporeum, humana forma præditum: & ab Ecclesiæ communione se separant, offensi Episcoporum divitiis & luxu, & quia Pascha celebrant eodem tempore quo Iudæi.

67. Enthusiastæ, ab Enthusiasmis quos fingunt, & Messaliani (id est, precatores) à continuis precibus, & Satanici, vel Sataniani, à Satana, quem colunt ut vitæ humanæ præsidem: & Euphemitæ, ab Euphemiis, quas ex sacris litteris decerptas canunt, Trium in Deo personarum distinctionem negant: Deum oculis corporis cerni posse autumant: Satanam (ut dixi) colunt ne ab eo lædantur; ex sola oratione salutem nostram pendere existimant, Evangelii prædicationem & Sacramenta contemnentes: orando peccata & Satanam visibiliter exigi, ejusque loco Spiritum Sanctum visibiliter succedere putant: eleëmosynas diversæ fidei hominibus dari vetant: otiosè vivunt, & eos qui aliquid operantur, excommunicant: mendacia & perjuria celandæ religionis causa probant: baptismum ad præcedentia, non ad sequentia peccata delenda, valere arbitrantur.

68. Apollinarii, vel Apollinaristæ, ab Apollinari Episcopo Alexandrino, asserunt Christum non habuisse animam rationalem, sed ejus loco fuisse Verbum, nec sumpsisse carnem à Maria virgine, sed è cælo secum tulisse, & in cælum retulisse.

69. Nestoriani, à Nestorio Episcopo Constantinopolitano, duas separatas personas in Christo constituunt, ac negant Mariam virginem esse Deiparam: alium enim esse Deum ex Deo patre, alium qui ex virgine natus est: hunc à gratia & proximitate quam habuit cum Deo verbo, Deum factum esse. *sup. de sum. Trinit. & fide Cath. l. 5. §. ult. l. pen. §. 1. & l. ult. §. 1. & xxiv. qu. 3. c. quidam. §. Nestoriani.*

70. Eutychiani, sive Eutychistæ, sive Eutychianistæ, ab Eutychete Constantinopolitano Presbytero, & Monacho, negant Verbum ex Maria virgine veram carnem sumpsisse, Dominum Iesum per omnia esse substantialem patri, secundum deitatem: nobis secundum humanitatem. *sup. de sum. Trinit. l. 5. §. ult. & l. 6. §. pen.*

71. Acephali, *Nov. 109. in princ. & Nov. 115. c. 3. §. si quis de prædictis. vers. generalem.* sive Acephalitæ. *xxiv. quæst. 3. c. quidam.* inde dicti, quod Ecclesiastico capite careant, & Severiani à Severo Antiocheno Episcopo, Ecclesiasticos cœtus contemnunt; Episcopis, & Presbyteris carent, & humanitatis proprietates in Christo negant.

72. Arnoldistæ, *Auth. Gazaros.* ab Arnoldo Brixiensi (cujus Otto Frisingensis, Guntherus, & Sabellicus meminerunt) & Speronistæ, *d. Auth. Gazaros. 1.* à Sperono Arnoldi successore, & pauperes Lugdunenses, *extr. hoc tit. cap. pen.* seu Leonistæ, *d. Auth. Gazaros.* à Lugduno urbe, quæ Gallicè eodem quo animal leo appellatur, & Albigei, similiter à loco, & Patareni nominati, neque Clericis aliquid proprii, neque Episcopis regalia, neque monachis professiones concedunt. *Sigon. lib. 11. de regno Ital.*

73. Ba-

73. Batrachitæ, *nominantur in l. 5.*

74. Saccophori, *ibidem nominantur*; sed hoc verbum abest à Codice Theodosiano.

75. Bonosiani, à Bonosio Episcopo, Christum Dei filium adoptivum, non proprium, asserebant. *Nov.* 11. §. *sed & in agnos. & xxv. qu.* 3. *c. quidam.* §. *Bonosiani.*

76. Tetraditæ, vel Tessarekadecaditæ, Latinè, quarti decimani, quartâ decimâ lunâ suum cum Judæis Pascha celebrant, & post baptismum pœnitentiam denegant.

77. Circumcisi (*in Auth. Gazaros*:) vocantur (ut opinor) qui circumcisionem, ac legis cerimonias, cum baptismo & Evangelii gratia conjungunt.

78. Samaritæ, seu Samaritani, hoc loco appellantur, non ab origine, sed à religionis professione, qui, Judaïsmum cum paganismo conjungentes, idola colunt, libros tantum Mosis recipiunt, posteriores Prophetas rejiciunt, Deum in Silo monte tribus Ephraïm, non Hierosolymis, adorandum contendunt: gentes non abominantur, ut Judæi: à quibusdam cibis abstinent, à quibus Judæi non abstinent: carnis resurrectionem fieri omnes negant.

79. Gortheni sunt Samaritæ, iisdem temporibus quibus Judæi festa celebrantes.

80. Sevæi sunt Samaritæ, qui Esdræ irati, à quo in ædificanda urbe Ierusalem repulsi fuerunt, tempora festorum mutarunt, festum azymorum post naturale anni initium, quod est apud Judæos in mense Tisri, qui nostro Augusto respondet; Pentecostes verò & tabernaculorum in Autumno celebrant.

81. Esseni sunt Samaritæ, festa celebrantes indifferenter cum iis quibuscum reperiuntur.

82. Dosithei carnis resurrectionem credunt, ab aliis Samaritanis negatam: assiduè jejunant, & superstitiosius, quàm ceteri, à quibusdam cibis abstinent.

Ne sanctum Baptisma iteretur.

83. ANabaptistæ sunt, qui sacrum Baptisma iterant, quia rebaptizant, vel baptizatos in alia Ecclesia sibi non probata, vel baptizatos in infantia, vel nova peccata committentes.

De Apostatis.

84. APostata perfidiæ est, qui recedit à fide ac religione Christiana: *l.* 2. sive, in aliquam hæresim lapsus, Christiani nomen retineat; sive in Judaïsmum, aut Paganismum, aut similem sectam transiens Christianam fidem, & professionem omnino relinquat. *l. ult. l.* 1. *&* 2.

85. Apostata inobedientiæ est, qui transgreditur præcepta sui superioris. *Glossa ex hoc tit. c.* 1.

86. Apostata irregularitatis est, qui recedit ab ordine assumptæ religionis. *Gloss. d. loco.*

Nemini licere signum Salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore aut insculpere, aut pingere.

87. SIgnum Salvatoris est, figura crucis in qua Christus, Dominus noster, redimendi humani generis causa, pendere voluit.

De Iudæis, & Cælicolis.

88. IUdæi, hoc loco, vocantur non ab origine, sed à religionis cultu, qui vetus testamentum male intellectum recipiunt, novum, quod veteri confirmatur omnino, rejiciunt.

* Horum septem sunt sectæ; Sadducæi, Scribæ, Pharisæi, Hemerobaptistæ, Nazaræi, Osseni, & Herodiani. *

89. Sadducæi, à Sadoc Antigoni discipulo nominati, negant Deum omnia mala videre, animas humanas esse immortales, carnis resurrectionem, esse Angelos, seu Spiritus, aliquid contingere extra nostrum arbitrium.

90. Scribæ sunt, Iudæi legis expositores, multa, præter Dei præcepta, ex secundariis quibusdam traditionibus, observantes; ut crebram manuum lotionem, vasorum purificationem.

91. Pharisæi omnia fato tribuunt, & nihilominus liberum arbitrium admittunt, esse Angelos & Spiritus: nec non animarum immortalitatem, & Dei futurum judicium credunt.

92. Hemerobaptistæ ferè in omnibus cum Scribis & Pharisæis consentiunt, sed se quotidie baptizant, & cum Sadducæis carnis resurrectionem negant.

93. Nazaræi ferè in omnibus instituta Judæorum servant, sed victimas non mactant, anguinosis non vescuntur, Pentateuchum Mosis non admittunt, existimantes aliam fuisse legem quam Moses accepit.

94. Osseni, sive Esseni, sive Essæi, Deum omnium bonorum, nullius mali, auctorem faciunt: animalia non sacrificant: liberos non gignunt,

gnunt, sed adoptant: in vicis habitant, abhorrentes à civitatibus: non habent servos, sed omnes sunt liberi: bona inter se communia habent: divitias & gloriam contemnunt: voluptates respuunt: rationalem & naturalem Philosophiam rejiciunt, divina contenti: non nisi probatæ continentiæ homines in societatem recipiunt: receptos magnis exercitationibus constringunt, ut Deum colere, & Iustitiam servare debent: animas bonorum ad fortunatas insulas, malorum ad loca inferna abire putant.

95. Herodiani asserunt Verbum Christum, patribus promissum, esse Herodem.

96. Cælicolæ dicuntur qui Solem & Lunam, & reliquam, ut in sacris Scripturis vocatur, cæli militiam colunt & adorant.

De paganis & sacrificiis & templis.

[PAgani; à pagis dicti; in foro civili militibus opponuntur. Unde]

97. Paganus est, qui non est miles. *infr. de inoff. test. l. ult. & de locat. l. ult. & alibi passim.*

98. Item paganus, qui & Ethnicus, seu gentilis, *Cod. Theo. hoc tit. l. qui profano.* 21. *de haeret. l. ne Donatistæ.*46. & Græcus dicitur, est, qui nefarios sacrificiorum ritus & funestæ superstitionis errores exercet. *pen. & ult. Novell. Theod. de Iudaeis.*

[In foro nempe Ecclesiastico, in quo iis opponuntur qui Christianæ religioni nomen dederunt; & propriè dicuntur qui gentilium sacra & ritus retinent.]

99. Sacrificia sunt, sacra quæ à Sacerdote fiunt.

100. Templa sunt, ædes sacræ, divino cultui dicatæ, ac consecratæ.

* *De his qui ad Ecclesias confugiunt*; &c.

INter Ecclesiæ privilegia est jus asyli.

Asylum est locus misericordiæ, unde nullus abduci potest. *

De mandatis Principum.

101. PRincipum mandata, *hoc tit.* seu commonitoria. *Novell.* 31. *c.* 2. Græce (παραγγέλματα, *Nov.* 25. *c.* 4. *&* *Nov.* 27. *c.* 1. *&* *Nov.* 30. *cap.* 9. ὑποθῆκαι, *Nov.* 26. *cap.* 2. ἐντάλματα, *Nov.* 27. *c.* 1. κελεύσεις, *Nov.* 124. *c.* 4. ἐντολαὶ. *d. lib.* 53.) sunt speciales constitutiones, quibus certæ personæ, ut præsides, vel judices, monentur quid facere debeant.

[Sunt mandata constitutionibus Principum communia: Differunt tamen, quod constitutiones sint generales, *l.* 2.3. *C. de legib.* Mandata provincialia, & localia, & sæpe etiam ad certum tantum tempus, vel Magistratu tantum aliquo durante, vim habentia: cujusmodi nunc Principum instructiones appellant. *Wesenb. par. hic.*]

* *De veteri jure enucleando*, &c.

IUs vetus hic, est, non quod in usu esse desiit, sed quod libris antiquorum Iurisconsultorum continetur. *

De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

102. PReces sunt, desiderium libello supplice implorantis auxilium Principis.

[Imo

[Imo preces etiam vocantur ſupplicationes, ſeu libelli ſupplices, qui Principi ſuper re aliqua impetranda offeruntur; Preces à materia, *Rubr. hic.* libelli à forma dicti: & titulo proximo definiti.]

* Sunt aut veræ, aut falſæ. *l. ult. hic.*

Falſæ, aut non ſunt veræ; *l. ult. inf. ſi contr. jus vel util. publ.* quibus veritas abeſt: aut fraudulentæ; *l. 4. eod.* quibus fraus, vel machinatione, vel reipſa ſubeſt: *l. 36. de verb. obl.* aut mendaces. *l. 2. l. 5. inf. ſi contra util. publ.*

Mendaces, aut ſunt ſurreptitiæ, quibus ineſt peccatum omiſſionis; tacetur enim veritas: *c. ceterum. & ibi Panorm. de reſcript.* aut obreptitiæ, quibus ineſt peccatum commiſſionis; *l. 2. in fin. ſup. de legib.* exprimitur enim falſitas. *d. l. 2. Felin. in c. ad audientiam. num. 18. de reſcript.* *

Quando libellus Principi oblatus litis conteſtationem faciat.

103. LIbellus ſupplex eſt, ſcriptura continens preces Principi oblatas.

De diverſis reſcriptis, & pragmaticis ſanctionibus.

REſcriptum definivi, *Part. 1. num. 34.*

[Hic addimus, reſcripta dici, quibus Princeps libellis ſupplicibus ſubſcribit ac reſpondet; unde nomen. Ita ut omne Principis reſponſum generali appellatione reſcriptum dicatur. *Ext. eod.* Propriè tamen reſcriptum id eſt, quod ſecundum jus commune ſupplicanti de jure ſuo reſpondetur. *Bart. Iaſ. & Dd. in l. Benef. de conſt. princ. gl. in c. 1. verb. noſcatur. de conſt. in C.* A quibus

bus distant rescripta gratiæ, *l. 4. h. t. l. pen. sup. de precib.* Quæ ad naturam dispensationum, privilegiorum ac beneficiorum declinant: ex re gratiæ vulgo dicta. *Chass. in const. Burgund. Rubr. 1. de just. verb.* S'il n'a grace.]

104. Rescriptum obreptitium est, quod per veritatis dissimulationem est impetratum.

105. Rescriptum subreptitium est, quod per falsas narrationes est impetratum.

106. Pragmatica sanctio est, sacra Principis jussio, quæ de publico negotio ex Concilii sententia emittitur, seu rescribitur ad alienas preces, *l. ult.* vel relationem, seu suggestionem. *infr. de prox. sacr. scrin. l. ult.*

De statuis & imaginibus.

Vid. lib. 5. def. 143. 144.

[Statua, à statuendo; imago, ab imitando: utraque corporis simulacrum. *l. 1. h. t.* est. Sed simulacrum propriè sculptile, aut fusum; imago pictum.]

★ *De his qui ad statuas confugiunt.*

PRincipes Romani statuis suis jus asyli tribuerunt. *l. un. hic.* *

[*De officio præfecti Prætoriorum Orientis, & Illyrici.*

DE Magistratibus speciatim, tanquam de legum executoribus agit Imperator. Inter hos primum à Principe locum obtinebat præfectus Prætorio. Qui initio quidem unus, exemplo Magistri equitum est, creatus; *l. un. ff. h. t.* postmodum, crescente Romano Imperio, tres constituti,

ſtituti, unus in Aſia, præfectus Prætorio Orientis; alter in Europa, præfectus Prætorio Illyrici; tertius in Africa, præfectus legionibus, & militiæ Africanæ, dictus: de quibus hic ſingulis titulis. *vid. text.*]

De officio præfecti urbi.

107. PRæfectus urbi eſt, cujus fidei urbs Roma commiſſa eſt, quique de criminibus intra urbem, vel extra urbem, *d. h. t. l.* 1. §. *initio.* intra centeſimum milliare admiſſis, cognoſcit. *d. l.* 1. *in princip. d. l.* 1. §. *initio.*

* Ei auxiliabantur, Primicerius, adjutor, milites ſtationarii.

Primicerius (dicitur cujuſcunque ordinis primus.) erat adjutor primus inter adjutores.

Milites ſtationarii dicuntur, qui in ſtationibus præſidii cauſa ſunt diſpoſiti. *

De officio Magiſtri militum.

108. MAgiſter militum poteſtatem habet in Duces militum, & Comites militares, & ipſos milites, ſive ſit Magiſter equitum, ſive peditum, ſive utriuſque militiæ. *l.* 1. *& infra de re milit. l. ult. in princip. &* §. *ult.*

De officio quæſtoris.

* QUæſtores fuere varii: alius erat Quæſtor exercitûs; alius urbis; alius ærarii; alius rerum capitalium; alius ſacri palatii; de quo hic.

Quæſtor exercitus annonas per caſtra diſtribuebat. *Novel.* 41.

Quæſtor

Quæstor urbis, in homines peregrinos, vagantes, cujuscunque conditionis essent inquirebat. *Novel.* 80.

Quæstor ærarii, pecuniam publicam inquirebat & conservabat. *l.* 2. §. 22. *de orig. jur.* *

109. Quæstor sacri palatii orationes Principis in Senatu legit, *d. hoc tit. l. unic. §. ex quæstorib. &* §. *ult.* ejusque rescripta dictat, *sup. de divers. rescript. l. ult.* hisque subscribit, & curam gerit minoris laterculi. *Nov.* 114. *d. l.* 1.

* Laterculum est codex, in quo descripta sunt officia, dignitates, administrationesque tam civilium, quam militarium judicum.

Est duplex, aliud minus, aliud majus. *

110. Minus laterculum est, codex in quo descripta sunt minora officia, & minores dignitates.

111. Majus laterculum est, codex in quo descripta sunt majora officia, & majores dignitates.

De officio Magistri officiorum.

112. Magister officiorum Scholis Palatinis, & Scholaribus, id est, officiis, & officialibus præest. *infra. de locat. l. ult. & de privil. Schol. l.* 2.

* Conscribuntur ejus cura quadrimenstrui breves Scholarium; & curam clausurarum gerit.

Quadrimenstrui breves sunt, descriptiones collationum, quæ annuatim tribus pensionibus præstantur. *l. ult. inf. de ann. tribut. l. ult. §. ult. hic.*

Clausuræ sunt, loca munita in finibus imperii, ubi transitus angusti sunt. *l. pen. hic. l.* 2. §. *omnes. sup. de præf. Prat. Afr.* *

De

De officio Comitis sacrarum largitionum.

* Sacræ largitiones sunt thesauri & ærarium Principis publicum, ex quo dona & largitiones publicè privatéque facit. *

113. Comes sacrarum largitionum est, qui thesauros Principis, & opes fiscales administrat.

De officio Comitis rerum privatarum.

114. Comes rerum privatarum est, qui privatas res Principis administrat.

De officio Comitis sacri patrimonii.

115. Comes sacri patrimonii est, qui sacrum Principis patrimonium gubernat. *Hoc videtur esse medium quoddam inter sacras largitiones & res privatas Principis, cujus substantia, quæ amplissima est, in diversa genera variis appellationibus distincta dividitur, & pluribus administranda committitur.*

De officio Proconsulis & Legati.

116. Proconsul est, qui provinciam consularem potestate consulari administrat.

117. Legatus Proconsulis est, qui jurisdictionis facilius in provincia exercendæ causa, Proconsuli adjungitur. *d. hoc tit. l.* 4. *§. ult.*

De officio Comitis Orientis.

118. COmes Orientis est, qui provinciis Orientalibus, & earum Rectoribus præest.

De officio præfecti Augustalis.

119. PRæfectus Augustalis est, præses Ægypti, ab Augusto institutus. *d. hoc tit. l. unic.*

* Vicarius in officio & jurisdictione is dicitur, qui vicem alterius, à quo mandatam habet jurisdictionem, gerit. *

De officio Vicarii.

120. VIcarius (hic) est, qui pro præfecto Prætorio mittitur in aliquam diœcesim plures provincias continentem. *l.* 1. *& d. de legat.* 3. *l.* 1. §. *à præfectis.*

De officio Prætorum.

121. PRætor urbanus inter cives Romanos, vel inter actorem peregrinum, & reum civem, jus in urbe dicebat.

122. Prætor peregrinus, inter peregrinos, vel inter civem Romanum actorem, & reum peregrinum, jus in urbe dicebat.

* De officio Rectoris provinciæ.

REctor provinciæ, hic est, qui uni provinciæ præest.

Appellatur variè; puta Rector, *h. Rubr.* Moderator,

sed
... fint
... fuerunt : &
... l. ...
princ.
28. Ac...
... 28. in
§ ult. 31.
... 45. §
vel quanti
... 38
... 32. §
25. §. 1. si
... in
... 44.
... est acti
...
d. l. cum ...
38. in princ
... 28. in
... 61.
l. quos ...
... 25. §.
facta per ju...
empta res f...
ignoraffet.
• Actio
qui ullum ,
ligatumve ,
damnum d...
liber homo
si rei tantu...
æquum jud...
quantum d...

* *De officio Tribuni & Comitis militaris.*

bunus militaris est, qui jura militibus, buit, eos sacramentis adigit, quæ eorum curat; ut, arma, vestes, valetudinem, & si-

mes militaris est, qui ad custodiendos Immites mittitur.

fficio ejus, qui vicem alicujus Iudicis, vel Præsidis obtinet.

is vicem hic obtinet is, cui ad tempus fixum, ordinario judice deficiente, admitio provinciæ, jussu Principis vel Præfecti rio, *l.* 2. *hic.* committitur. *

Assessoribus, & Domesticis, & Cancellariis judicum.

8. Domestici sunt, milites deputati ad custodiam, & tuitionem Principis, agistratus.

Cancellarii sunt, judicum à secretis; sic di- Cancellis, quibus secretaria judicum conntur. *

e Annonis, & capitis administrantium.

29. ANnonæ sunt, alimenta quæ familiæ præbentur.

30. Capita, seu capitationes sunt, pabula jutorum.

gnunt, sed adoptant: in vicis habitant, abhorrentes à civitatibus: non habent servos, sed omnes sunt liberi: bona inter se communia habent: divitias & gloriam contemnunt: voluptates respuunt: rationalem & naturalem Philosophiam rejiciunt, divina contenti: non nisi probatæ continentiæ homines in societatem recipiunt: receptos magnis exercitationibus constringunt, ut Deum colere, & Iustitiam servare debent: animas bonorum ad fortunatas insulas, malorum ad loca inferna abire putant.

95. Herodiani asserunt Verbum Christum, patribus promissum, esse Herodem.

96. Cælicolæ dicuntur qui Solem & Lunam, & reliquam, ut in sacris Scripturis vocatur, cæli militiam colunt & adorant.

De paganis & sacrificiis & templis.

[PAgani; à pagis dicti; in foro civili militibus opponuntur. Unde]

97. Paganus est, qui non est miles. *infr. de inoff. test. l. ult. & de locat. l. ult. & alibi passim.*

98. Item paganus, qui & Ethnicus, seu gentilis, *Cod. Theo. hoc tit. l. qui profano.* 21. *de haeret. l. ne Donatistæ.* 46. & Græcus dicitur, est, qui nefarios sacrificiorum ritus & funestæ superstitionis errores exercet. *pen. & ult. Novell. Theod. de Iudais.*

[In foro nempe Ecclesiastico, in quo iis opponuntur qui Christianæ religioni nomen dederunt; & propriè dicuntur qui gentilium sacra & ritus retinent.]

99. Sacrificia sunt, sacra quæ à Sacerdote fiunt.

100. Templa sunt, ædes sacræ, divino cultui dicatæ, ac consecratæ.

★ *De his qui ad Ecclesias confufugiunt*; &c.

INter Ecclesiæ privilegia est jus asyli.
Asylum est locus misericordiæ, unde nullus abduci potest. *

De mandatis Principum.

101. PRincipum mandata, *hoc tit.* seu commonitoria. *Novell.* 31. *c.* 2. Græce (παραγγέλματα, *Nov.* 25. *c.* 4. *&* *Nov.* 27. *c.* 1. *&* *Nov.* 30. *cap.* 9. ὑποθῆκαι, *Nov.* 26. *cap.* 2. ἐντάλματα, *Nov.* 27. *c.* 1. κελεύσεις, *Nov.* 124. *c.* 4. ἐντολαί. *d. lib.* 53.) sunt speciales constitutiones, quibus certæ personæ, ut præsides, vel judices, monentur quid facere debeant.

[Sunt mandata constitutionibus Principum communia: Differunt tamen, quod constitutiones sint generales, *l.* 2.3. *C. de legib.* Mandata provincialia, & localia, & sæpe etiam ad certum tantum tempus, vel Magistratu tantum aliquo durante, vim habentia: cujusmodi nunc Principum instructiones appellant. *Wesenb. par. hic.*]

* *De veteri jure enucleando*, &c.

IUs vetus hic, est, non quod in usu esse desiit, sed quod libris antiquorum Iurisconsultorum continetur. *

De precibus Imperatori offerendis, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

102. PReces sunt, desiderium libello supplice implorantis auxilium Principis.

[Imo

[Imo preces etiam vocantur supplicationes, seu libelli supplices, qui Principi super re aliqua impetranda offeruntur; Preces à materia, *Rubr. hic.* libelli à forma dicti: & titulo proximo definiti.]

* Sunt aut veræ, aut falsæ. *l. ult. hic.*

Falsæ, aut non sunt veræ; *l. ult. inf. si contr. jus vel util. publ.* quibus veritas abest: aut fraudulentæ; *l. 4. eod.* quibus fraus, vel machinatione, vel reipsa subest: *l. 36. de verb. obl.* aut mendaces. *l. 2. l. 5. inf. si contra util. publ.*

Mendaces, aut sunt surreptitiæ, quibus inest peccatum omissionis; tacetur enim veritas: *c. ceterum. & ibi Panorm. de rescript.* aut obreptitiæ, quibus inest peccatum commissionis; *l. 2. in fin. sup. de legib.* exprimitur enim falsitas. *d. l. 2. Felin. in c. ad audientiam. num. 18. de rescript.* *

Quando libellus Principi oblatus litis contestationem faciat.

103. Libellus supplex est, scriptura continens preces Principi oblatas.

De diversis rescriptis, & pragmaticis sanctionibus.

Rescriptum definivi, *Part. 1. num. 34.*

[Hic addimus, rescripta dici, quibus Princeps libellis supplicibus subscribit ac respondet; unde nomen. Ita ut omne Principis responsum generali appellatione rescriptum dicatur. *Ext. eod.* Propriè tamen rescriptum id est, quod secundum jus commune supplicanti de jure suo respondetur. *Bart. Ias. & Dd. in l. Benef. de const. princ. gl. in c. 1. verb. noscatur. de const. in C.* A quibus

bus distant rescripta gratiæ, *l. 4. h. t. l. pen. sup. de precib.* Quæ ad naturam dispensationum, privilegiorum ac beneficiorum declinant: ex re gratiæ vulgo dicta. *Chass. in const. Burgund. Rubr. 1. de just. verb. S'il n'a grace.*]

104. Rescriptum obreptitium est, quod per veritatis dissimulationem est impetratum.

105. Rescriptum subreptitium est, quod per falsas narrationes est impetratum.

106. Pragmatica sanctio est, sacra Principis jussio, quæ de publico negotio ex Concilii sententia emittitur, seu rescribitur ad alienas preces, *l. ult.* vel relationem, seu suggestionem. *infr. de prox. sacr. scrin. l. ult.*

De statuis & imaginibus.

Vid. lib. 5. def. 143. 144.

[Statua, à statuendo; imago, ab imitando: utraque corporis simulacrum. *l. 1. h. t.* est. Sed simulacrum propriè sculptile, aut fusum; imago pictum.]

★ *De his qui ad statuas confugiunt.*

PRincipes Romani statuis suis jus asyli tribuerunt. *l. un. hic.* *

[*De officio præfecti Prætoriorum Orientis, & Illyrici.*

DE Magistratibus speciatim, tanquam de legum executoribus agit Imperator. Inter hos primum à Principe locum obtinebat præfectus Prætorio. Qui initio quidem unus, exemplo Magistri equitum est, creatus; *l. un. ff. h. t.* postmodum, crescente Romano Imperio, tres constituti,

ſtituti, unus in Aſia, præfectus Prætorio Orientis; alter in Europa, præfectus Prætorio Illyrici; tertius in Africa, præfectus legionibus, & militiæ Africanæ, dictus: de quibus hic ſingulis titulis. *vid. text.*]

De officio præfecti urbi.

107. PRæfectus urbi eſt, cujus fidei urbs Roma commiſſa eſt, quique de criminibus intra urbem, vel extra urbem, *d. h. t. l.* 1. §. *initio.* intra centeſimum milliare admiſſis, cognoſcit. *d. l.* 1. *in princip. d. l.* 1. §. *initio.*

* Ei auxiliabantur, Primicerius, adjutor, milites ſtationarii.

Primicerius (dicitur cujuſcunque ordinis primus.) erat adjutor primus inter adjutores.

Milites ſtationarii dicuntur, qui in ſtationibus præſidii cauſa ſunt diſpoſiti. *

De officio Magiſtri militum.

108. MAgiſter militum poteſtatem habet in Duces militum, & Comites militares, & ipſos milites, ſive ſit Magiſter equitum, ſive peditum, ſive utriuſque militiæ. *l.* 1. *& infra de re milit. l. ult. in princip. &* §. *ult.*

De officio quæſtoris.

* QUæſtores fuere varii: alius erat Quæſtor exercitûs; alius urbis; alius ærarii; alius rerum capitalium; alius ſacri palatii; de quo hic.

Quæſtor exercitus annonas per caſtra diſtribuebat. *Novel.* 41.

Quæſtor

Quæstor urbis, in homines peregrinos, vagantes, cujuscunque conditionis essent inquirebat. *Novel.* 80.

Quæstor ærarii, pecuniam publicam inquirebat & conservabat. *l.* 2. §. 22. *de orig. jur.* *

109. Quæstor sacri palatii orationes Principis in Senatu legit, *d. hoc tit. l. unic.* §. *ex quæstorib.* & §. *ult.* ejusque rescripta dictat, *sup. de divers. rescript. l. ult.* hisque subscribit, & curam gerit minoris laterculi. *Nov.* 114. *d. l.* 1.

* Laterculum est codex, in quo descripta sunt officia, dignitates, administrationesque tam civilium, quam militarium judicum.

Est duplex, aliud minus, aliud majus. *

110. Minus laterculum est, codex in quo descripta sunt minora officia, & minores dignitates.

111. Majus laterculum est, codex in quo descripta sunt majora officia, & majores dignitates.

De officio Magistri officiorum.

112. MAgister officiorum Scholis Palatinis, & Scholaribus, id est, officiis, & officialibus præest. *infra. de locat. l. ult. & de privil. Schol. l.* 2.

* Conscribuntur ejus cura quadrimenstrui breves Scholarium; & curam clausurarum gerit.

Quadrimenstrui breves sunt, descriptiones collationum, quæ annuatim tribus pensionibus præstantur. *l. ult. inf. de ann. tribut. l. ult.* §. *ult. hic.*

Clausuræ sunt, loca munita in finibus imperii, ubi transitus angusti sunt. *l. pen. hic. l.* 2. §. *omnes. sup. de præf. Prat. Afr.* *

De

De officio Comitis sacrarum largitionum.

* SAcræ largitiones sunt thesauri & ærarium Principis publicum, ex quo dona & largitiones publicè privatéque facit. *

113. Comes sacrarum largitionum est, qui thesauros Principis, & opes fiscales administrat.

De officio Comitis rerum privatarum.

114. COmes rerum privatarum est, qui privatas res Principis administrat.

De officio Comitis sacri patrimonii.

115. COmes sacri patrimonii est, qui sacrum Principis patrimonium gubernat. *Hoc videtur esse medium quoddam inter sacras largitiones & res privatas Principis, cujus substantia, quæ amplissima est, in diversa genera variis appellationibus distincta dividitur, & pluribus administranda committitur.*

De officio Proconsulis & Legati.

116. PRoconsul est, qui provinciam consularem potestate consulari administrat.

117. Legatus Proconsulis est, qui jurisdictionis facilius in provincia exercendæ causa, Proconsuli adjungitur. *d. hoc tit. l.* 4. *§. ult.*

De officio Comitis Orientis.

118. Comes Orientis est, qui provinciis Orientalibus, & earum Rectoribus præest.

De officio præfecti Augustalis.

119. Præfectus Augustalis est, præses Ægypti, ab Augusto institutus. *d. hoc tit. l. unic.*

* Vicarius in officio & jurisdictione is dicitur, qui vicem alterius, à quo mandatam habet jurisdictionem, gerit. *

De officio Vicarii.

120. Vicarius (hic) est, qui pro præfecto Prætorio mittitur in aliquam diœcesim plures provincias continentem. *l. 1. & d. de legat. 3. l. 1. §. à præfectis.*

De officio Prætorum.

121. Prætor urbanus inter cives Romanos, vel inter actorem peregrinum, & reum civem, jus in urbe dicebat.

122. Prætor peregrinus, inter peregrinos, vel inter civem Romanum actorem, & reum peregrinum, jus in urbe dicebat.

⋆ *De officio Rectoris provinciæ.*

Rector provinciæ, hic est, qui uni provinciæ præest.

Appellatur variè; puta Rector, *h. Rubr.* Moderator,

rator, *l.* 9. *l.* 11. *eod.* Corrector, *l. pen. de off. praf.* judex, *l.* 3. 5. 6. 10. *hic.* Ordinarius, *l.* 33. *in pr. sup. de Episc. & Cler.* Legatus Cæsaris, *d. l. pen.* Præses. *l.* 1. 2. *hic.* *

De officio præfecti Vigilum.

123. PRæfectus vigilum (qui postea Nyctéparchus, &, hoc nomine per Iustinianum abrogato, Prætor plebis vocatus, *Nov.* 13. est) noctu pro Magistratibus fungitur, & vigilibus præest, curans præcipuè ne quod incendium noctu oriatur. *l.* 3. *in princ. & §. sciendum.*

De officio præfecti Annonæ.

124. ANnona est, quidquid ad alendos homines pertinet.

125. Præfectus annonæ est, qui unà cum Præfecto urbi, cui tanquam minor, majori Magistratui adjungitur, curam annonæ gerit.

De officio Civilium judicum.

[IUdex est, persona quæ judicio præest, inter litigantes medium agens, & jus dicens. h. e. rem controversam definiens.

Iudices variè dividuntur, & primò quidem in civiles, & militares.]

126. Civiles judices sunt, qui inter paganos, seu militem actorem, & reum paganum jus dicunt.

De officio Militarium judicum.

127. MIlitares judices sunt, qui inter milites, vel inter actorem paganum, & reum militem, jus dicunt.

* De

* *De officio Tribuni & Comitis militaris.*

TRibunus militaris est, qui jura militibus, tribuit, eos sacramentis adigit, quæ eorum sunt, curat; ut, arma, vestes, valetudinem, & similia.

Comes militaris est, qui ad custodiendos Imperii limites mittitur.

De officio ejus, qui vicem alicujus Iudicis, vel Præsidis obtinet.

IUdicis vicem hic obtinet is, cui ad tempus præfixum, ordinario judice deficiente, administratio provinciæ, jussu Principis vel Præfecti Prætorio, *l.* 2. *hic.* committitur. *

De Assessoribus, & Domesticis, & Cancellariis judicum.

128. DOmestici sunt, milites deputati ad custodiam, & tuitionem Principis, vel Magistratus.

* Cancellarii sunt, judicum à secretis; sic dicti à Cancellis, quibus secretaria judicum concluduntur. *

De Annonis, & capitis administrantium.

129. ANnonæ sunt, alimenta quæ familiæ præbentur.

130. Capita, seu capitationes sunt, pabula jumentorum.

De modo multarum quæ à judicibus infliguntur.

131. MUlta est, coërcitio pecuniaria, quæ arbitrio judicis multantis irrogatur. *ff. de verb. signif. l. aliud.* 121. §. 1.

★ *De Defensoribus Civitatum.*

DEfensor ab officio nomen habet. *l. 5. hic.* Est enim talis in municipiis potestas, qualis fere in Urbe erat Tribunus plebis; puta, Defensor vulgi & tenuiorum, *l. 1. l. 3. l. 4. l. 5. 6. hic.* custos disciplinæ & quæsitor scelerum. *l. 6. eod.*

De Magistratibus municipalibus.

MAgistratus hic sunt, qui in Civitatibus jus dicunt.

Sunt vel majores, ut Duumviri, vel minores. *

De officio Iuridici Alexandriæ.

132. IUridicus Alexandriæ est, qui in Alexandrina civitate, sub præfecto Augustali, & à Cæsare electus. *Strabo, lib.* 17. *Spartian. in Sever.* jus dicit.

De errore calculi.

133. ERror calculi est, error in rationibus subducendis, seu computandis, admissus.

De Advocatis diversorum judiciorum.

134. ADvocatus, *l.* 4. 6. 8. *& passim.* seu causidicus, *l.* 2. *& sup. tit. prox. l.* 6. §. *ult. & l.* 7. *in principib.* Græcè δικόλογος; *l.* 8. *nemo.* 8. seu orator, *sup. de Vet. jur. enucle. l.* 3. §. 9. Græcè ῥήτωρ, *l.* 1. *l.* 5. seu patronus, *l. advocati.* 14. *l. per hanc legem.* 26. §. *pen. & sup. tit. prox. l.* 4. seu συνήγορος, *l. si quis.* 9. seu togatus, *l.* 3. 5. 6. 8. 9. *& alibi.* seu scholasticus, *infr. de lucr. advoc. l.* 2. *& ibi Cujac.* est jurisperitus, *l. nemini.* 11. §. *jurisperitos.* qui clienti patrocinatur. *sup. tit. prox l.* 6. §. 1. & pro eo postulat. *d. de postulando. l.* 1. §. *ait Prætor.*

[Olim advocatus & patronus differebant. Quippe patronus erat orator qui causam agebat; advocatus qui jus suggerebat, & præsentiam suam amico accommodabat.

Advocati sunt, vel statuti, vel supernumerarii.]

135. Advocati statuti sunt, qui intra certum, & statutum numerum, *l. cum advocato.* 8. *l. nemini.* 11. *in princ.* §. *ult. l. petitionem.* 13. *l. post duo.* 15. *l. ad similitudinem.* 16. *l. jubemus advocationem.* 17. *l. jubemus pro tempore.* 22. *in princ. l. petitiones.* 13. *in princip. l. per hanc legem.* 26. *in princip.* in collegium, *d. l. per hanc. in princ. d. l. per hanc legem. in princip.* (quod & consortium, *d. l. cum advocatio. d. l. nemini.* §. 1. *l. sancimus patronum.* 12. *l. jubemus pro tempore.* 22. *in princ. &* §. *nec de cetero. & sup. tit. prox. l. ult.* corpus, *d. l.* 3. & ordo, *l. nemo.* 18. appellatur) & matriculam, *d. l. petitionem. in princ. & l. suggestionem.* 20. advocatorum recepti, sub primiceriis, seu prioribus, *l. binos.* 10. *d. l. per hanc legem. in princip.* seu primatibus. *d. l. jube-*

 mus

mus pro tempore in princ. d. l. petitiones. & l. restituenda. 6. in princ. constituti, & certo foro addi-cti sunt. *l.* 4. *& sup. tit. prox. l. ult.*

136. Advocati supernumerarii sunt, qui supra statutum numerum per omnia fora patrocinando vagantur. *d. l. memini.* §. *ult.*

De Advocatis fisci.

137. ADvocatus, *l.* 2. 3. 4. seu patronus fisci, *supr. tit. prox. l. cum advocatis.* 8. *l. binos.* 10. *l. sancimus patronum.* 12. *cum seq.* sive ærarii, *sup. eod. l. nemo.* 8. est ad quem pertinet fisci causas agere. *l.* 1. *cum seq.*

De errore advocatorum, vel libellos seu preces concipientium.

138. LIbellio est, qui libellis supplicibus concipiendis vel scribendis operam navat.

Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre.

139. POtentior dicitur, cui gratia & opibus pollenti adversarius par esse non potest. *d. de alien. jud. mut. c. fact. l.* 3. *in princip.*

[Patrocinium hic dicitur præstare, qui litis procurationem suscipit.]

De

De his qui potentiorum nomine titulos prædiis affigunt, vel eorum nomina in litem prætendunt.

140. TItuli, hoc loco sunt, tabulæ prædiis affixæ, quæ nomen, vel effigiem, vel insignia domini, continent. *infra. tit. prox. l.* 1. *Nov.* 17. *c.* 15. *& Nov.* 164. *& Nov. Tiberii de divinis domib. cap.* 1.

141. Nomen alterius in litem prætendere dicitur, qui præ se fert litem ad illum pertinere.

Vt nemo privatus titulos prædiis suis, vel alienis imponat: vel vela regia suspendat.

142. VEla sunt panni, vel tapetia, vel aulæa, quæ foribus prætenduntur: ut neque sint omninò aperta, neque omninò clausa, sed ventum & aspectum excludant, ingressum personarum non impediant.

Vt nemini liceat sine judicis auctoritate, signa imprimere rebus quas alius tenet.

143. Signa sunt, quibus res mobiles obsignantur. [*Nov.* 164. *in pr.*]

* Potentioribus aggregantur Respublicæ, & præcipuè fiscus.

Fiscus est, populi Romani aut Principis.

Respublica hic est, civitas Romano imperio subjecta. *

De his qui veniam ætatis impetraverunt.

144. Venia ætatis eſt, privilegium à Principe conceſſum, *d. de minorib. l. 3. in princ. ſed ex Nov. Leon.* 28. *etiam Magiſtratus veniam ætatis concedere poteſt.* minori 25 annis, qui eſt major viginti, ſi ſit maſculus; vel octodecim, ſi ſit fœmina, *l.* 2. ut è curatoris poteſtate exeat, & rerum ſuarum adminiſtrationem ſuſcipiat. *infr. de temp. in integ. reſt. l,* 1. *& de appell. l. ſi actor.* 10. *& d. de minor. l.* 3. *in princ.*

De reputationibus quæ fiunt in judicio in integrum reſtitutionis.

145. Reputare, ſive imputare eſt, potenti opponere quod invicem debet; ut id compenſare cogatur.

* *De reſtitutionibus militum, & eorum qui reipublicæ cauſa abſunt.*

Reipublicæ cauſa abſunt, qui non ſui commodi aut privati negotii, aut data opera, vel litis gratiâ, id eſt, litis fugiendæ cauſâ, ſed coacti abſunt; licet ab urbe, vel domo tantum profecti ſint, *l.* 5. *l.* 36. *l.* 42. *l.* 32. *l.* 35. §. 8. *ff. ex quib. major.*

Inter eos & milites etiam numerantur, etſi Romæ militent. *l.* 3. *hic. l.* 7. *l.* 40. *in pr. l.* 45. *ff. eod.* Niſi ſint emanſores aut commeatum acceperint. *l.* 34. *ff. eod.*

Emanſores ſunt, qui diu vagati ad caſtra regrediuntur.

Commeatus, quid ſit, vide infra de commeatu.*

De

De temporibus in integrum restitutionis.

146. TEmpus in integrum restitutionis est, quod à Prætore præfinitum est ad restitutionem petendam, ita ut eo elapso peti amplius non possit.

[Prætor annum utilem præscripsit; postea Constantinus dolo biennium tribuit. *Sup. de dolo. l. ult.* Iustinianus in cæteris pro anno utili substituit quadriennium continuum. *l. ult. h. t.*]

De formulis, & impetrationibus actionum sublatis.

147. FOrmula est, verborum solennium conceptio.

148. Impetrare actionem dicitur, cui petenti Prætor formulam dat qua agere possit.

De jurejurando propter calumniam.

149. JUsjurandum de calumnia, seu propter calumniam est, quo jurans affirmat, se non alterius vexandi causa, sed bona fide aliquid petere, aut petenti contradicere. *l. 2. in princ. & Inst. de pœn. tem. litig. §. 1.*

* Est duplex, vel judiciale, vel extrajudiciale.

Judiciale est, quod ad judicium, vel actus judiciales pertinet; puta, litis contestationem, probationem. *l. 1. pr. & §. 1. l. 2. hic.*

Extrajudiciale, quod extra judicium super actu extrajudiciali præstatur; veluti, cum quis jurat se non calumniæ causa petere, sibi ut permitta-

 tur

tur thesaurum suum in fundo alieno quærere. *l.* 15. *ff. ad exhib.*

Iudiciale à Doctoribus subdividitur in generale, & speciale.

Generale est, quo initio litis juratur nihil in toto negotio calumniæ causâ factitatum iri: Speciale, quod olim in singulis judicii partibus exigebatur. *l.* 1. *hic.* *

De sportulis & sumptibus in diversis judiciis faciendis, & de executoribus.

[SPortula est nomen diminutivum à sporta, ut fiscellæ à fisco: hæc autem sunt nummorum & aliarum rerum receptacula. Accipitur tamen pro ipsa pecunia, quæ fisco vel sportulis continetur.]

150. Sportulæ sunt, quarumcunque rerum dona seu munera palam præbita. *Suidas in verbo* σπορτῦλαι· δῶρα ἐπὶ πάντων διδώμενα παῤῥησίᾳ.

[Hic sportulæ sunt salaria personarum forensium. *l.* 120. *ff. de leg.* 1.]

* Sunt vel extrajudiciales, vel judiciales.

Extrajudiciales, quæ solvuntur executoribus jussum Principis, vel urbici Magistratus, insinuantibus in provincia. *l.* 26. §. *si quis a. sup. de Episc. aud.*

Iudiciales ad hunc titulum pertinent. *

[Præstantur, vel judicibus, vel executoribus, item advocatis.

Sumptus qui in litem fiunt, partim latius, partim angustius patent quam sportulæ. Latius, quod sportulæ etiam extra judicium præbeantur, sumptus litis tantum in judicio. Angustius, quia sumptus qui testibus à litigatoribus præbentur, non vocantur sportulæ. *l.* 11. *C. de testib. l.* 6. §. *si quis a. C. de appellat.*]

151. Executores litium sunt, qui judicio, vel

jus dicentis, *l.* 3. vel judicis pedanei, inserviunt. *Nov.* 87. *c.* 7.

De Pedaneis judicibus.

[SEcundò judex est, vel ordinarius, *definitus infra, lib.* 10. *def.* 54. vel extraordinarius, qui judicandi potestatem ex voluntate hominis habet, delegatus dicitur, *& definitur infr. eod. defin.* 50.

Delegatur autem quis vel à persona privata; & arbiter dicitur, *definitus, lib.* 1. *defin.* 132. vel à publica, hoc est, Magistratu, & judex pedaneus dicitur.]

152. Iudex Pedaneus, *l.* 5. *& d. de post. l.* 1. §. *removet.* seu datus, *de judiciis. l. judex datus.* 46. *& de re jud. l. à Divo Pio.* 15. *in princ. & judic. sol. l. pen.* delegatus, *sup. de jud. l.* 5. *l. properandum.* 13. §. 1. *l. apertissimi.* 16. seu judex specialis, *supr. eod. l. cum specialis.* 18. *& d. de off. prat. l. ult. & de off. præs. l.* 5. seu cognitor, *infr. tit. prox. l. unic.* seu disceptator, *l.* 3. seu arbiter, *l.* 1. *à Nov.* 82. est, qui tantum de plano (*quia non habet tribunal.*) de levioribus causis judicat, *l.* 5. *id est, usque ad quingentos aureos.*) *d. Nov.* 82. *cap.* 5. nullam coërcitionem habens. *d. l. Divo Pio.*

De ordine judiciorum.

153. ORdo judiciorum, seu cognitionum est, dispositio, qua judicium alteri judicio (*ut judicium possessorium ante petitorium. Inst. de interdictis.* §. *retinendæ. vers. namque.*), vel ejusdem judicii pars alteri parti, anteponitur. (*ut vocatio in jus, litis contestationi; & litis contestatio, sententiæ.*)

[Spectatur nempe ordo judiciorum, vel inter varias actiones, quarum altera ab altera pendet, ut post eam, nisi cumuletur, debeat intentari. *e. g. quæstio de inofficioso ante petitionem hereditatis, criminalis ante civilem*: *Possessorium cum petitorio jure civili quidem minime, omnino Canonico cumulari potest. Ext. de causs. poss. & propr. c. 6.* Vel inter diversos articulos ejusdem litis; *e. g. ut exceptio dilatoria proponatur ante litem contestatam, & post præparatoria lis contestetur.*]

* Generaliter in judiciis hic ordo servatur: ut post præparatoria, lis contestetur: *l. un. tit. seq.* mox de calumnia juretur: *l. 2. princ. & §. ult. sup. de jur. propt. calum.* deinde actor intentionem, tum reus exceptionem probet: *l. 19. inf. de exception.* post hæc in causa concludatur: tandem sententia feratur. *Nov. 115. cap. 2.* *

De litis contestatione.

154. Litis contestatio est, judicii principium, quod fit actoris intentione, & rei contradictione, apud judicem, causam audire incipientem. *l. unic. ff. ratam rem hab. l. amplius. 15.*

[Dividunt in affirmativam, quando ad narrata & deducta in libello affirmativè à Reo respondetur, cum clausula, *animo litem affirmativè contestandi*: & negativam quando narrata & deducta Actoris intentio, à Reo negatur. *Rosbach. in prax. civ. tit. 49. n. 6. & seqq.*]

De plus petitionibus.

[Plus petitur. 1. re. 2. tempore. 3. loco. 4. causa. *§. 34. Inst. de action.*]

155. Re plus petit, qui petit totum, cum pars ei

ei debeatur; vel majorem partem petit, quam sibi debeatur. Vel brevius. Cui tantum pars debetur ejus quod petit. *Institut. de act.* §. *plus autem. vers.* 10.

156. Tempore plus petit, qui ante diem, vel conditionem obligationis existentem, petit. *d.* §. *plus autem vers. tempore.*

157. Loco plus petit, qui id quod certo loco, ex causa stricti juris sibi debetur, alio loco petit, sine commemoratione illius loci in quem solutio collata est. *d.* §. *plus autem. vers. loco. & inf. de eo quod certo loc. l.* 2. §. *si juris Ephesi. l.* 5. 6. 7.

158. Causa plus petit, qui electionem, adversario competentem, sibi arrogat: ut is cui debetur genus, si speciem petat; & is cui alternatè debetur hoc aut illud, si unum ex his petat. *d.* §. *plus autem. vers. huic a.*

Quando Imperator inter pupillos, vel viduas, vel miserabiles personas cognoscat, & ne exhibeantur.

IMperatorem *definivi*, *lib.* 1. *def.* 31.
Pupillum, *lib.* 4. *def.* 130.

159. Vidua est, quæ virum extulit. *Inst. de pub. jud.* §. *nam. l. Iulia. de adult. & dist.* 34. *c. vidua. & c. pen.* §. *vidua.*

160. Item vidua dicitur, quæ viro caret, sive nunquam nupserit, sive aliquando nupta fuerit. *ff. de verb. signif. l. malum.* 242. §. *viduam. ita accipitur hoc loco.*

* Item, secundum Doctores, quæ maritum habet, sed inutilem, captum ab hostibus, proscriptum, ad triremes damnatum, *Felin. c. significantibus. num.* 8. *ext. de off. jud. deleg.*

Gail. 1. *obs.* 1. *num.* 44. aut diutius absentem. *

161. Miserabiles personæ, secundum Cujacium sunt, ægrotantes, & debiles; secundum alios etiam pupilli, & viduæ. *Ego Cujacii definitionem probo.*

* Imò miserabiles personæ sunt, non tantum debiles, valetudinariæ, sed & omnes propter fortunæ injuriam miseratione dignæ. *l. un. in pr. & §. quod si pupilli. hic.* ut senex decrepitus, *Vivius, decis.* 65. pauper citra suam culpam, *Covarr. lib.* 2. *var. resol. cap.* 16. *num.* 9. vidua, sed pudica, *Trentacinq. pract. resol. lib.* 2. *resol.* 2. *num.* 16. fugiens ad Ecclesias, mercator in itinere gabellis gravatus, Iudæus noviter baptizatus, rusticus, advena, *Trentacinq. d. resol. num.* 33. meretrix, *Menoch.* 2. *arbitr. cas.* 66. *num.* 25. virgo de stupro illato querens. *Vincent. de Franchis. decis.* 599. &c. *

162. Exhibere, hoc loco est, in comitatu Principis aliquem sistere.

* *Vbi de criminibus agi oporteat.*

CRimen propriè significat gravius commissum: *l.* 17. §. 18. *de ædil. edict.* hic quodlibet delictum, tam publicum, quam extraordinarium: *l.* 1. *& Auth. qua in provincia. hic.* *

Vbi de ratiociniis tam publicis, quam privatis agi oporteat.

163. RAtiocinium est, rationum supputatio. Rationem *definivi, part.* 1. *def.* 124.

Vbi

Vbi de causa status agi debeat.

CAusam status *definivi, lib. 6. num. 125.*

Vbi quis de curiali, vel cohortali, aliave conditione, conveniatur.

164. COnditio, hoc loco est, qualitas personæ inhærens.

Curiales *definivi, part. 7. def. 193.*

165. Cohortalis est, apparitor præsidis.

Vbi Senatores, vel clarissimi civiliter, vel criminaliter conveniantur.

SEnatores *definivi, lib. 1. def. 15.*

166. Clarissimus est, qui minimam inter Senatores dignitatem obtinet: quia supra eos sunt spectabiles & illustres. *sup. de Episc. aud. l. neminem. 22. in princip. Nov. 7. in fin. & Nov. 53. cap. 3.*

In quibus causis militantes fori præscriptione uti non possunt.

167. MIlitantes sunt, qui armatam, vel togatam, vel religiosam, militiam exercent.

168. Fori præscriptio est, exceptio judicis declinatoria.

Vbi

Ubi causæ fiscales, vel divinæ domus, hominumque ejus agantur.

169. Causa fiscalis est, quæ ad fiscum pertinet.

170. Causa divinæ domus est, quæ ad privatam rem Principis spectat.

Quando liceat unicuique sine judice, se vindicare, vel publicam devotionem.

171. Publica devotio est, bonorum subditi affectio erga Principem, & Rempublicam. *infr. quæ res ven. non poss. l. ult. & de commerc. & mercat. l. 1. & alluv. l. 2. & de appell. l. in offerendis. 37. & quando prov. non est necess. l. pen. & de op. publ. l. nemo. 13. & de quæst. l. penult. & de ann. & trib. l. 7.*

De inofficiosis donationibus.

Donationem *defin. lib. 6. def.* 114.

Inofficiosam donationem, *lib. 2. def.*

* Inofficiosa donatio est liberalitas, contra officium pietatis, tam immoderatè facta, ut donatoris facultatibus exhaustis, legitima non sit salva iis quibus ea debetur. *

De inofficiosis dotibus.

Inofficiosa dos eodem modo accipitur, quo inofficiosa donatio: quatenus enim inofficiosa sunt, inter se non differunt; quare simul utramque *definivi. lib. 2. def.* 35.

* Inofficiosa dos est, quæ ita immoderatè sive à ma-

à matre, five à patre facta, ut liberis legitima non fit falva. *

De ufufructu & habitatione & minifterio fervorum.

USumfructum *definivi. lib.* 2. *def.* 53.
Habitationem, *lib.* 2. *def.* 70.

172. Minifterium fervorum eft, fervilium operarum præbitio.

[*De fervitutibus & aqua.*

SErvitus etiam fupra definita, & divifa, ac nominatim in perfonalem, ad quam pertinent ufusfructus, ufus, habitatio; & realem, quæ eft vel urbana, vel ruftica: inter utramque funt fervitutes de aqua.

Urbanæ fervitutes de aqua funt, 1. Stillicidii, idque vel avertendi, quâ licet aquam ex alto cadentem à fuo tecto, vel area averfam, in tectum, vel aream vicini derivare. *l.* 1. *ff. de fervit.* vel non avertendi; quâ prohibere poffum, ne alteri liceat ftillicidium ab areâ fuâ in meam derivare. *l.* 7. *ff. eod.*

2. Fluminis, quâ vicinus cogitur aquam pluvialem, continuo ex fundo noftro cum impetu fluentem, per canalem vel alveum fuum avertere. *l.* 2. *de fervit. urb. præd. Wef. par. eod. num.* 6.

3. Aquæ immiffio ex fuperioribus in inferiores. *l.* 8. §. *Arifto. ff. fi ferv. vind.*

4. Ius habendi fiftulam juxta parietem, quæ ex caftello, id eft, aquarum receptacula, vel cælo aquam capiat. *l.* 19. *ff. de ferv. præd. urb.*

Rufticæ fervitutes de aqua, funt, 1. Aquæductus,

ctus, jus àquæ ducendæ per fundum alienum. *l.* 24. *&* 33. *ff. de serv. rust. præd.*

2. Aquæhaustus, jus hauriendi aquam ex flumine, vel puteo alieno. *l.* 3. §. 3. *ff. eod.*

3. Pecoris ad aquam appulsus, jus pecus suum ad flumen, vel puteum privatum alienum, ut ex eo bibat, agendi. *l.* 1. *ff. eod.*]

De consortibus ejusdem litis.

*Consortium est, communio. *Cujac.* 5. *obs.* 10.*

173. Consortes ejusdem litis sunt, qui inter se non diffidentes eundem habent adversarium in eodem judicio; veluti, si tertius & quartus heredes primi, familiæ erciscundæ agant, contra secundum primi coheredem.

De suffragio.

174. Suffragium, seu suffragatio est, intercessio apud Principem alicujus rei obtinendæ causa. *l. unic. in princip.*

175. Item suffragium est, res illius intercessionis gratia data, vel promissa. *d. l. un.* §. *ult. & sup. de adv. diu. jud. l. laudabile.* 23. §. *& postquam. l. per hanc.* 16. *in princ. & infr. de silent. l. ult. & Nov.* 8. *cap.* 1.

176. Commonitorium de suffragio est, scriptura, dictam suffragii promissionem continens. *d. l. unic.* §. *ult.*

177. Suffragium dominicum est, quod rei impetrandæ causa Principi offertur; ut, in jurejurando subjecto. *Novella* 8.

De prohibita sequestratione pecuniæ.

178. Sequestratio est, rei controversæ depositio apud sequestrum, quæ à pluribus

bus fit in solidum, hac lege, ut lite pendente à sequestro custodiatur, & lite finita victori reddatur. *Conjung. part.* 3. *def.* 96.

[Sequestratio est duplex, vel judicialis, quæ est jurisdictionis, & fit auctoritate Magistratus; vel conventionalis, quæ fit voluntate partium. *l. un. C. hic.*

179. Sequester est, apud quem res sequestri causa deponitur.

180. Pecunia, hic est, quod numero, pondere, vel mensura, constat. *ff. de reb. cred. l.* 2. §. *creditum.*

De actionibus hereditariis.

181. Actio hereditaria est, quæ heredi, vel in heredem, jure successionis, competit.

* Vel; actio hereditaria est, quæ cœpit ex persona; vel in personam defuncti, & in heredem transiit.

Est, secundum doctores, actio hereditaria, vel activa, quæ heredi datur; de qua hic non agitur: vel passiva, quæ in heredem datur.

Ex delictis defunctorum in quantum heredes conveniantur.

Delicta, hic sunt, delicta privata, vel quasi delicta. *l.* 16. *de judic. l. ult.* §. *hac judicia. ff. naut. caup. stab.* ex quibus civiles actiones dantur, non crimina publica, quæ, exceptis quibusdam, in heredem non transeunt. *l.* 20. *de accusat.* *

Plu

Plus valere quod agitur, quàm quod simulatè concipitur.

182. Simulatio est, hominis fictio, cui veritas prævalet, *toto hoc tit.*

Fictio verò juris, ut postliminii, & legis Corneliæ, pro veritate habetur, & veritati præstat.

De non numerata pecunia.

Non numerata pecunia dicitur, vel quia non credita, vel quia non soluta est. *l.* 1. *l.* 14. §. 1. *hic. l.* 1. *inf. si pign. convent. pec. num. non sit.*

Pecuniæ verbum, hic, non solum complectitur ea quæ numero, pondere, vel mensura constant; sed etiam corpora. *ut in l.* 178. *de V. S.*

183. Querela non numeratæ pecuniæ scripturam, vel stipulationem, quæ factam numerationem indicat, ope exceptionis infirmat, si intra biennium proposita sit. *l. in contractibus.* 14. *& Inst. de except.* §. *idem juris.* [Nisi actor pecuniam debitori verè numeratam probet. *l.* 3. *C. hic.*]

De Eunuchis.

184. Eunuchus, *hoc tit. & infr. qui test. fac. poss. l.* 5. seu *d. de verb. signif. l. spadonum.* 128. spado, est, qui genitalium membrorum vitio generare non potest.

[Eunuchorum alii sunt spadones, alii castrati, alii thlibiæ.

Spadones sunt, qui propter morbum aliquem, aut frigiditatem testiculorum, liberis operam dare non possunt, sed eo sublato possunt.

Thli-

Thlibiæ ſunt, quibus, vel à nutrice, vel à matre, fortuitò teſticuli contriti fuere.

Caſtrati, quibus exſecta ſunt virilia.]

Si propter publicas penſitationes venditio fuerit celebrata.

185. Publicæ penſitationes ſunt, tributa quæ fiſco penduntur.

Sine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe.

186. Cenſus eſt, annuum tributum quod fundus fiſco præſtat.

[Puta hic; alias enim plures habet ſignificationes, ſpeciatim dic, cenſum eſſe tributum quod fundus præſtat. Eſt enim onus agrorum, non perſonarum. *Gothofr. ad Rubr. hic.*

Aliàs cenſus quoque eſt rerum perſonarumque deſcriptio. *l.* 2. §. *poſt deinde. ff. de orig. jur.*

Item cenſus nomine, ſubſtantiæ, bona, fortunæque comprehenduntur. *Cicer. orat. pro Q. Roſcio.*

Item cenſus, penſio, quæ proventibus ſolvitur. *gl in c.* 1. *de reſtit. in integr.*]

187. Reliqua ſunt, quæ, parte de obligatione detracta, adhuc debentur.

De rebus alienis non alienandis, & de prohibita rerum alienatione, vel hypotheca.

De alienatione. *Vide lib.* 4. *num.* 152. 153. 154.

De hypotheca. *Vide lib.* 4. *n.* 1. & 2.

De

De Monopoliis, & conventu negotiatorum illicito, vel artificum, ergolaborumque, nec non balneatorum prohibitis, illicitisque pactionibus.

188. Monopolium est, jus, seu privilegium, aliquibus concessum; ut, soli certas res vendere possint. * *l. un. hic.* *

189. Negotiator est, qui quamcunque negotiationem exercet; ut emendi, vendendi, locandi, conducendi, &c. *d. de leg.* 3. *l. legatis.* 65. *in princ.*

190. Artifex est, qui aliquam artem exercet: ut, aurifex, sutor, arcularius.

De ergolabis; *Vide lib.* 3. *def.* 139.

[Balneator, qui balnea præbet, balneorum præfectus. *l.* 5. §. *ait Prætor, de iis qui not. inf.* Item servus qui balneariis usibus deservit. *l.* 13. *in fin. l.* 17. §. 2. *ff. de instruct. vel justit. leg.*]

De commerciis & mercatoribus.

191. Commercium *definivi, lib.* 3. *def.* 121. Mercator est, qui tantum emendi & vendendi negotiationem habet.

De jure Emphyteutico.

192. Emphyteusis est, contractus, solo consensu constans, quo in perpetuum, vel ad longum tempus, dominium prædii utile, retento directo dominio, transfertur in emphyteutam, cum onere annuæ pensionis, seu reditus, seu census, directo domino solvendi.

193: Εἰσδικτικόν, seu laudemium est, quinquagesima pretii pars, quam novus emphyteuta domi-

domino solvit, ut ab eo in possessionem prædii emphyteutici recipiatur. *l. ult.*

De sponsalibus, & arrhis sponsalitiis, & proxeneticis.

SPonsalia *definivi*, *lib.* 4. *num.* 97.

194. Arrha est, quod datur in argumentum contractus in quem partes consenserunt, ut contractu impleto restituatur; vel in id imputetur quod vi illius contractus dari oportet: resoluto autem contractu, si culpa dantis, amittatur; si culpa accipientis, in duplum reddatur.

195. Arrhæ sponsalitiæ sunt, quæ in argumentum contractorum sponsaliorum dantur.

Proxenetica *definivi*, *part.* 7. *num.* 225.

* *Si Rector provinciæ, vel ad eum pertinentes, sponsalia dederint.*

SPonsalia; hic sunt, arrhæ sponsalitiæ & pignora, data à Rectore provinciæ, vel non sine ejus opera, ab iis, qui ad illum pertinent; ut sunt, liberi, propinqui, consiliarii. *

De donationibus ante nuptias, vel propter nuptias, & sponsalitiis.

196. DOnatio propter nuptias (quæ olim vocabatur ante nuptias. *l. ult. & Inst. de donat.* §. *est & aliud.*) est, civilis contractus, *Nov.* 119. *in princ.* quo ex parte mariti in mulierem aliqua conferuntur contemplatione dotis. *d. l. ult. in princ.*

197. Munus sponsalitium est, quod ex parte sponsi in sponsam, vel ex parte sponsæ in sponsum, solius matrimonii contemplatione confertur.

De

De incestis & inutilibus nuptiis.

NUptias *definivi, lib.* 4. *num.* 98.

198. Incestæ, seu nefariæ, nuptiæ sunt, quæ contra fas contrahuntur, inter cognatos, vel affines inter quos sunt prohibitæ. *d. de quæstionibus. l.* 5.

199. Iure gentium incestæ sunt, quæ contrahuntur inter parentes & liberos. *d. de ritu nupt. l. ult.*

200. Iure civili sunt incestæ, quæ inter alios cognatos vel affines contrahuntur. *d. l. ult.*

201. Inutiles nuptiæ sunt, quæ etsi fas non violant, tamen jure civili prohibentur.

De secundis nuptiis.

SEcundas nuptias *definivi, lib.* 4. *def.* 100.

De dotis promissione; vel nuda pollicitatione.

* COnstituitur dos, vel traditione; sive vera, ut pecuniæ numeratione; sive ficta, ut acceptilatione, debiti remissione, delegatione; vel promissione, eaque aut stipulatione, aut nuda pollicitatione facta. *

202. Promissio est, sponsio stipulanti facta. *d. de ædil. ed. l. sciendum.* 19. §. *dictum.*

203. Nuda promissio est, quæ fit nudo pacto. *d.* §. *dictum.*

Pollicitationem *definivi, lib.* 7. *num.* 211.

De rei uxoriæ actione in ex stipulatu actionem transfusa, & de natura dotibus præstita.

204. REi uxoriæ actio est, qua olim cum stipulatio de dote reddenda non intervenerat, mulier, vel ejus pater dotem repetebat.

De pactis conventis tam super dote, quam super donatione ante nuptias, & paraphernis.

205. PAraphernа, *l. hac lege.* 8. vel exoproica, *sic vocantur in Basilicis.* vel mulieris peculium, *D. de jur. dot. l. si ego.* 9. §. *ceterum. & de donat. l. donationes.* 32. §. 1. sunt bona quæ ad nuptam, extra causam dotis, pertinent, licet eorum administratio ab ea sit marito concessa.

De donationibus inter virum, & uxorem, & à parentibus in liberos factis, & de ratihabitione.

206. RAtihabitio est, approbatio ejus quod ab alio factum, seu gestum fuit. *D. de neg. gest. l. Pomponius.* 9. *conjungi part.* 7. *def.* 32.

De naturalibus liberis, & matribus eorum, & ex quibus causis justi efficiantur.

207. NAturales liberi, hic, sunt, qui ex concubina sunt suscepti.

* In digestis naturales liberi dicuntur, qui in servitute, sive ex patre servo & ancilla, sive ex patre servo & matre libera nati. *l.* 88. §. *Dama. de*

legat. 2. *l. ult. de his qui sui vel alien. juris. l. ult. de adopt.* &c.

In Institutionibus qui ex justis nuptiis suscepti. *in pr. Inst. de adopt.* *

Legitimationem *definivi, lib.* 1. *def.* 49:

* Est triplex; vel enim fit per subsequens matrimonium, vel per oblationem curiæ, vel per rescriptum Principis.

Per subsequens matrimonium, cum quis cum concubina, post susceptos ex ea liberos, matrimonium contrahit.

Per oblationem curiæ fit, cum pater filios suos naturales curiæ, id est, corpori curialium, ejus puta civitatis, ex qua oriundi, offert, vel liberi ipsi se ipsos eo animo offerunt, ut in ordinem decurionum electi, muneribus atque oneribus ejus loci subjiciantur; sive populi, sive actorum testimonio implorato.

Per rescriptum Principis fit, vel cum pater precibus à Principe impetrat, ut ipsi liceat concubinam in uxorem ducere, quam aliàs non potest: vel vivente patre, aut mortuo, liberi liberorum legitimorum jura impetrant. *Nov.* 12. *Nov.* 18. *Nov.* 117. *Nov.* 89. *cap.* 4. & 9. *Nov.* 74. *cap.* 1. & 2. *

De tutoribus, vel curatoribus illustrium, vel clarissimarum personarum.

208. ILlustres sunt, qui summam inter Senatores dignitatem obtinent. *sup. de Ep. aud. l. neminem.* 22. *in princ.* *Nov.* 7. *in fin.* & *Nov.* 13. *c.* 3.

209. Superillustres sunt, qui supremum inter illustres locum tenent, ut consules & Patricii. *sup. de usur. l. eos.* 26. §. 1. & *infr. de appellat. l. si quando.* 38. & *Inst. de jurejur.* §. *in summa.*

210. Spe-

210. Spectabiles sunt, qui medium inter illustres & clarissimos locum tenent. *d. l. neminem. in princip. d. Nov. 7. inf. & d. Nov. 13. cap. 3.*

211. Clarissimi sunt, qui infimam inter Senatores dignitatem obtinent. *dictis juribus.*

De usuris pupillaribus.

212. USuræ pupillares sunt, quæ pupillis debentur.

De actore à tutore seu curatore dando.

213. QUi, tutore vel curatore impedito, ejus voluntate & periculo datur à Prætore, si quidem ad lites detur, actor dicitur; si vero ad negotia extrajudicialia, adjutor appellatur. *d. de tutel. l. solet. 13. & de adm. tut. l. decreto. 24. in princip. & Institut. de curat. §. ult.*

De institutionibus, & substitutionibus, seu restitutionibus sub conditione factis.

INstitutionem *definivi, lib. 5. nu. 27.*

Substitutionem, *eodem lib. n. 53.*

214. Restitutio est, substitutio precaria, id est, qua hereditas per fideicommissum in aliquem confertur. *Conjun. lib. 5. def. 55.*

* *De jure deliberandi.*

JUs deliberandi definitum supra, *lib. 14. num. 88.*

Ejus tempus statuebant olim testatores, herede cum cretione instituto.

Erat cretio, certorum dierum spatium, quod

batur heredi instituto ad deliberandum utrum expediat ei hereditatem adire, nec-nè. *Vlp. in fragm. tit.* 22.

Fiebat hoc modo; *Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris poterisque: nisi ita creveris, exheres esto. Vlp. d. loc.*

Erat duplex; vel vulgaris, vel continua.

Vulgaris, in qua adjiciebantur hæc verba, *quibus scieris poterisque.*

Continua, in qua non adjiciebantur.

Cernere erat hereditatem adire. *

De Edicto divi Hadriani tollendo, & quemadmodum scriptus heres in possessionem mittatur.

215. Edicto divi Hadriani cavebatur, ut statim post mortem testatoris tabulæ testamenti aperirentur, *D. de appell. recip. l. ult.* ne mora fieret vicesimæ hereditatem fisco solvendæ, *Paul. lib.* 4. *sent. tit.* 6. §. *ult.* & ut scriptus heres, non petita bonorum possessione secundum tabulas, mitteretur in possessionem rerum hereditariarum, quas mortis tempore testator possidet. *Cod. Theod. de testam. l. ult. & Nov.* 1. *Valent. eod. tit.*

De indicta viduitate, & lege Iulia Miscella tollenda.

216. Lex Iulia Miscella conditionem viduitatis legato adscriptam remittebat; ita ut liceret intra annum legatum capere, & ad secundas nuptias, liberorum procreandorum causa (quod jurejurando confirmandum erat) transire: post annum verò legatum concederetur præstanti

ſtanti cautionem Mutianam de nuptiis non contrahendis.

Cautionis Mutianæ def. *vid. lib. 5. def. 17.*

Communia de legatis, & fideicommiſſis, & de in rem miſſione tollenda.

217. IN rem miſſio ſolennis olim concedebatur fideicommiſſario, adverſus extraneos poſſeſſores, cum heres non eſſet ſolvendo. *Nov. 39. in princ.*

* *De uſuris & fructibus legatorum*, &c.

VSura, hic eſt acceſſio, quæ ultra pecuniæ legatæ quantitatem haberi poteſt; & id quod in pecunia ratione moræ ac temporis intercedentis datur.

Fructus, hic ſunt, qui ex corpore rei legatæ ſunt percepti: ut ex corpore fundi legati frumentum, ex corpore ovium legatarum agni. *

De incertis perſonis.

218. INcerta perſona eſt, quam incerta opinione animo ſuo teſtator ſubjicit; veluti, *quicunque filio meo filiam ſuam nuptui dederit. Inſt. de leg. §. incertis. verſ. incerta.*

219. Sub certa demonſtratione legatum dicitur, cum ex certis perſonis, incertæ perſonæ, legatur. Veluti, *Ex cognatis meis, qui nunc ſunt, ſi quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus centum dato. Inſtitut. de leg. d. §. incertis. verſ. ſub certa.*

De caducis tollendis.

* Caduca sunt, quæ, scripta in testamento; sive testamenti tempore; sive post illud, testatore adhuc vivente; sive post testatoris mortem; deficiunt. *d. l. un.* §. 2.

Dicebantur aut pro non scriptis, aut in causa caduci, aut caduca. *d. l. un.* §. 2. *

220. Caduca sunt, quæ post mortem testatoris deficiunt. *l. unic.* §. *& cum triplici.*

221. In causa caduci sunt, quæ post factum testamentum, vivo testatore, deficiunt. *d.* §. *& cum triplici.*

222. Pro non scriptis habentur, quæ ab initio non valent; ut relicta mortuo, vel incapaci. *d.* §. *& cum triplici.*

De bonis maternis & materni generis.

223. Bona materna sunt, quæ à matre ad filios pervenerunt.

224. Bona materni generis sunt, quæ ab ascendentibus per lineam maternam ad liberos profecta sunt; ut, ab avo materno ad nepotes ex filia.

* *De bonis quæ liberis*, &c.

Bona filiifamilias sunt, vel castrensia, vel quasi, vel profectitia, vel adventitia; & inter hæc alia materna, alia materni generis, alia nuptialia; alia quæ filii vel sua industria, vel liberalitate aliorum consequuntur. *

De hereditatibus decurionum, navicula-riorum, cohortalium militum, & fabricensium.

225. DEcuriones *definivi, lib. 7. def.* 194. Cohortales, *hoc lib.* 8. *def.* 165.

226. Navicularii, seu naucleri sunt, qui, in uno corpore constituti, annonæ in urbem navibus vehendæ, aliisque rebus vehendis serviunt.

227. Fabricenses sunt, qui in publicis fabricis arma bellica conficiunt. *Nov.* 65.

De vindicta, & apud consilium manumissione.

VIndictam *definivi, lib.* 6. *def.* 117. Consilium, *eod. lib. def.* 122.

De dedititia libertate tollenda.

228. DEditita libertas, ex lege Ælia Sentia, ei competit qui manumissione, nec civis Romanus, nec Latinus fit, sed dedititiorum numero est; quia dum in servitute esset, à domino vinctus fuit pœnæ causa, vel notis compunctus, vel præter noxam tortus, nocensque inventus est, vel datus ad ferrum, aut ad bestias, aut conjectus in carcerem. *Ulp. tit.* 2. §. *dedititiorum. Caius. lib.* 1. *tit.* 1. §. *Theoph. in* §. *ult. Inst. de libertin.*

De Latina libertate tollenda.

229. LAtina libertas dicitur, cum manumissus fiebat Latinus, ita ut tanquam

 liber

liber viveret, tanquam servus moreretur. *l. unic. vers. quis enim.*

De assertione tollenda.

230. ASsertor pro eo qui servus dicebatur, causam agebat suo periculo, & satisdatione præstita judicio sisti, & res salvas fore, quas is tenet qui servus dicitur. *Cod. Theod. de lib. cau. l.* 1. *&* 2. * nec causam deserere ne quidem mortuo eo homine de quo agebatur, poterat; ni pœnali actione conveniri vellet. *l.* 2. *hic.* *

De ordine cognitionum.

Vide sup. hoc lib. def. 153.

* *De collusione detegenda.*

COlludere dicuntur, qui judicio simulatè contendunt, cum inter eos, ut alter eorum superetur, clam conveniat; veluti, cum dominus, indulgens servo suo, liberalem causam perfunctoriè, probationibus quas afferre,& allegationibus sibi objectis, quas refellere potest, omissis, agit. *

De Senatusconsulto Claudiano tollendo.

231. SEnatusconsulto Claudiano cavebatur, ut mulier quæ se alieno servo junxit, post ternam domini denuntiationem in facinore pergens, ejus dominio cum suis bonis omnibus subjiciatur. *l. unic. & Inst. de suc. subl.* §. 1.

De

De nudo jure Quiritium tollendo.

* DOminium definitum est supra, *lib.* 6. *num.* 128.

Erat veteribus triplex; naturale, legitimum, & plenum.

Naturale habebat, qui habebat in bonis: unde Bonitarius dicebatur. *Theoph.* §. *fin. vers. quid autem. Inst. de libert.*

Legitimum habebat, qui jure Quiritium seu Romanorum acquisiverat *Theoph. d. loc.*

Plenum dominium habebat, qui utrumque, & naturale, & legitimum, habebat. *Theoph. d. loc.* *

232. Nudum jus Quiritium erat dominium, quod jure gentium in alium transferebatur, qui dicebatur habere in bonis, & jure civili retinebatur sine effectu; veluti, si quis servum sibi mancipatum alii vendat, & tradat sine mancipatione.

De usucapione transformanda, & de sublata differentia rerum mancipi, & non mancipi.

233. MAncipi res, erant * quæ in jure cedi & mancipari poterant; veluti, * prædia Italica, servitutes rusticæ, servi, & quadrupedes, quæ dorso, collo-vè domantur; exceptis elephantis & camelis, qui bestiarum numero sunt. *Vlp. tit.* 20. *in princip.*

234. Nec mancipi sunt, omnes res præter eas, quas diximus esse mancipi.

De praescriptione longi temporis.

LOngum tempus *definivi, lib. 1. def.* 118.
* Præſcriptio longi temporis eſt exceptio, quæ ex poſſeſſione rerum longo tempore detentarum proficiſcitur; & quæ poſſidenti contra adverſarium competit. *

Ne rei dominicæ, vel templorum vindicatio, temporis praescriptione summoveatur.

235. RES dominica eſt, quæ pertinet ad privatum patrimonium Principis.
Templi definitionem, *vide ſupra hoc lib. num.* 100.

De annali exceptione Italici contractus tollenda, & de diverſis temporibus, & exceptionibus, & interruptionibus.

236. INterruptio eſt, quæ continuitatem poſſeſſionis tollit, conſequenter præſcriptionem infirmat. * *Vide ſupra lib. 6. poſt num.* 153. *

De alluvionibus, & paludibus, & paſcuis ad alium ſtatum tranſlatis.

ALluvionem *definivi, lib. 6. def.* 142.
237. Palus eſt, aqua ſtagnans, quæ æſtate ferè ſiccari ſolet.
238. Paſcuum eſt, fundus in quo pecudes paſcuntur.

De sententiis ex periculo recitandis.

239. PEriculum (alii legunt Breviculum) est, libellus sententiam judicis continens.

De sententiis, quæ pro eo quod interest, proferuntur.

240. INteresse est, utilitas, quæ adversarii culpâ nobis abest, quia damnum passi sumus, vel lucrum non fecimus.

* Modum & quantitatem ejus quod interest, Imp. *l. un. hic.* duabus definit regulis; factâ inter casus certos & incertos distinctione.

Casus certos definit, qui certam habent quantitatem, vel naturam. *d. l. un. vers. sancimus.*

Casus sunt, res gestæ & facta incidentia, ex quibus obligatio oritur, agiturque in id quod actoris interest.

Certam habent quantitatem, qui certam habent pecuniæ summam obligatione comprehensam.

Certam habent naturam qui, præter quantitatem, omnes alias res, quarum certa natura est, ut sint æstimabiles, obligatione comprehensas habent.

Casus incerti sunt, in quibus aut incerta quantitas, aut ut quid fiat, æstimatione non definitâ, obligatione continetur. *

Si à non competente judice judicatum esse dicatur.

241. JUdex competens est, ad quem causæ cognitio, & definitio spectat.

242. Incompetens est, ad quem causæ definitio non pertinet.

Comminationes, epistolas, programmata, subscriptiones, auctoritatem rei judicatæ non habere.

243. Comminatio est, interlocutio judicis comminatoria.

244. Epistola est, judicis scriptura comminatoria, ad absentem missa.

Subscriptio definita est, *lib.* 1. *num.* 34.

De appellationibus, & consultationibus.

Appellationem definivi, *lib.* 7. *num.* 135.

245. Consultatio est, disceptatio quæ fit in judicio Principis sedentis in Senatu, *l. præcipimus.* 32. *l. in offerendis.* 37. *&* *Nov.* 62. *in princip.* vel Consistorio. *sup. de off. div. jud. l. ult.*

246. Item consultatio est, relatio judicis ad Principem, ut ab eo instruatur quomodo judicare oporteat. *sup. tit. prox. l.* 1. *& l. ult.*

De temporibus, & reparationibus appellationum, seu consultationum.

247. Tempus appellationis est, intra quod appellatio est interponenda apud judicem à quo appellatur, vel inchoanda, sive introducenda, ad judicem ad quem appellatur, vel apud eundem finienda.

248. Reparatio est, lapsi temporis redintegratio, ut perinde ac si definitum tempus lapsum non esset, appellatio introduci possit.

249. Dies fatales sunt, decem dies: quorum quinque ante lapsum temporis, ac totidem post lapsum,

lapsum, quibus causa apud judicem appellationis agi potest, cum citra, vel ultra illos dies agi nequeat.

Si de momentanea possessione fuerit appellatum.

250. Momentanea, *sup. qui leg. pers. stand. in jud. hab. l. ult.* seu momentaria, *infr. unde vi. l. momentaria.* 8. possessio dicitur, quæ ex aliquo interdicto tantisper adjudicatur, donec controversia de proprietate terminetur.

De ratiociniis operum publicorum & de patribus civitatum.

Ratiocinia defi. *sup. hoc eod. lib. n.* 163. Patrem civitatis definivi, *lib.* 7. *nu.* 218.

De Prætorio pignore, & ut in actionibus etiam debitorum missio Prætorii pignoris procedat.

251. Pignus Prætorium est, quod auctoritate jus dicentis constituitur per missionem in possessionem.

Si in causa judicati pignus captum sit.

259. Pignus judiciale est, quod jussu judicis, id est, si jurisdictionem habeat, alioquin jussu ejus qui judicem dedit, sententiæ exequendæ causa capitur.

★ *De remissione pignoris.*

Remissio pignoris est, conventio, *l. si tibi.* 17. §. *de pign. de pact.* qua creditor à pignore recedit. *l.* 2. *&* 4. *hic. l.* 9. §. *omnis. de pign. act.*

Est duplex, vel expressa, vel tacita.

Expressa fit pacto expresso. *d. l.* 2. *&* 4. *d. l. si tibi.* 17. §. *de pignore. l.* 8. §. 1. 2. 3. 4. 5. *ff. quib. mod. pign. solv.*

Tacita fit consensu tacito & præsumpto. *l.* 9. *l. si hypothecas. hic. l. Titius.* 9. §. 1. *ff. eod.* *

Etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri.

253. Chirographaria pecunia est, cujus obligationi tantum chirographum, non etiam pignus accessit.

De pactis pignorum, & lege commissoria in pignoribus rescindenda.

Legem commissoriam in pignore definivi, *lib.* 4. *n.* 5.

In venditione autem, *part.* 3. *num.* 125.

De patria potestate.

254. Patria potestas est, quam jure civili, *Inst. hoc tit.* §. *jus aut.* parentes masculi, *Inst. eod. in princ. & de adopt.* §. *femina.* habent in filios, filiasve, & ceteros, ceterasque descendentes ex masculis. *Inst. hoc tit. in princ. &* §. *ult.*

* Est vel à natura in societate legis adscita; ut per nuptias; vel lege sola; ut per adoptionem & legitimationem. *

De

De infantibus expositis liberis, & servis, & de his qui sanguinolentos nutriendos acceperunt.

255. SAnguinolenti sunt, filii recens nati.

De infirmandis pœnis cœlibatus, & orbitatis, & decimariis sublatis.

256. COelebs est, qui uxorem, & quæ maritum non habet. * Licet habuerit. *

257. Orbus est, qui liberis caret.

258. Decimariæ leges sunt, quæ viro, & uxori, matrimonii vel liberorum nomine, capere permittunt. *Vlp. tit.* 16.

De jure liberorum.

259. IUs liberorum est, jus capiendi solidum, quod ei concedebatur, qui, quæve tres liberos, si persona esset ingenua; vel quatuor haberet, si esset libertina; vel hoc jure à Principe donatus donatave esset. *l.* 2. *& Inst. de Senatusc. Tert. §. postea. Vlp. tit.* 17. *vers. si jus.*

De privatis carceribus inhibendis.

260. CArcer est, locus ad reos custodiendos extructus, ne inde exire possint.

De raptu virginum, vel viduarum, vel sanctimonialium.

261. RAptus est, crimen publicum, quo persona invita abripitur.

Sed in muliere quoque, aut virgine consentiente,

te, Iustinianus raptum ponit; quia decepta insidiis raptoris consensit. *l. unic. §. pænas.*

De emendatione servorum.

262. EMendatio servorum est, coërcitio, quæ dominis in servos conceditur.

De emendatione propinquorum.

263. EMendatio propinquorum est, levis castigatio, quæ senioribus propinquis, in juvenes conceditur.

De maleficiis, & mathematicis, & ceteris similibus.

DE maleficio, seu veneficio; *vide lib. 7. def. 106.*

264. Mathematici (id est Pseudomathematici) vocantur, qui mathematicarum disciplinarum auctoritate, ad suas imposturas confirmandas, abutuntur.

* Ut sunt Geomantæ, Chiromantæ, Physiognomi, Hydromantæ, Pyromantæ, Aëromantæ; qui ex terra, manuum & vultus inspectione, ex aqua, igne, aëre, futura prædicunt. *

265. Chaldæi sumuntur, ac definiuntur duobus modis. Primò qui ex Chaldæa regione sunt oriundi. Secundò, qui ex siderum aspectu prædictionem futurorum profitentur. *l. 5. h. t.*

266. Sacerdos accipitur ac definitur duobus modis. Primò, qui consecrat & sacra dat; *dist. 21. c. Cleros. §. Sacerdos.* ut Episcopus, *sup. de Episc. & Cler. l. 7. l. si quis in hoc. 10. l. quicunque. 14. l. parabolamini. 18. l. omnes. 33.* & Presbyter. *d. c. Cleros. §. Presbyteri.* Secundò, qui illicita sacra facit. *l. 3. ad l. Corn. de sicariis. l. ex Senatusconsulto. 13.*

267. Harioli ſunt, qui vaticinandi artem profitentur.

268. Vates accipiuntur duobus modis. Primò, pro hariolis. *l. 5. h. t.* Secundò, pro poëtis. Nam poëtæ paſſim ſe vocant vates.

269. Augures ſunt, qui ex avium volatu, paſtu, cantu, futura divinant.

270. Haruſpices ſunt, qui harugis inſpectis divinant.

271. Haruga eſt, hoſtia, cujus cohærentia inſpiciebantur exta. *Donat. in Phorm. act. 4. ſcen. 4.*

* Sortilegus eſt, qui ſortibus ductis, futura dicit. *

Ad legem Viſelliam.

272. Lex Viſellia punit libertinos, qui pro ingenuis ſe gerunt, ut honores ingenuorum proprios conſequantur. * *l. un. hic.* *

De ſeditioſis.

* Seditio nihil aliud eſt, quam plebis contra quietem publicam collectio. *

273. Seditioſus eſt, qui plebem, contra quietem publicam, colligit.

* *De Nili aggeribus non rumpendis.*

Chomata ſeu aggeres Nili ſunt, qui Niloticam aquam continent & coërcent. *

De bonis proſcriptorum, ſeu damnatorum.

274. Proſcripti ſunt, quorum bona confiſcanda eſſe judex expreſsè pronuntiavit.

LIBER

LIBER NONUS

Ex tribus posterioribus Codicis.

De fide, & jure hastæ fiscalis, & de adjectionibus.

1. HAsta est, signum auctionis. *Festus in hasta.*

* Erat enim hasta (symbolum memoriæ & præsentiæ Dei & Regiæ potestatis. *Iustin. l.* 43.) non insigne Magistratus, sed loci jüdicialis & tribunalis. *

2. Auctio est, publica rerum privatarum venditio, seu distractio, quâ res plus offerenti addicitur.

3. Licitatio est, oblatio pretii pro re quæ publicè distrahitur.

Adjectionem definivi, *lib.* 3. *def.* 124.

* *Ne fiscus rem quam vendidit evincat.*

STatio fiscalis dicebatur, locus ubi officiales fisci tributa, vectigalia, confiscationes, curabant.

De fiscalibus usuris.

4. VSuræ fiscales sunt, quæ debentur fisco, vel quas fiscus debet.

De

De bonis vacantibus, & de incorporatione.

5. Bona vacantia sunt ejus, qui sine herede decessit. *l. 1. hic.*

[Eadem etiam caduca dicuntur. Quia eis heredes ceciderunt. *Isidor. Etymol. 5. cap. 25. Vlp. in fragm. tit. 7. l. 3. de iis qua in test. del.*

Aliter tamen speciali nomine caduca dicuntur, quæ quis communi quidem jure civili capere potuisset. sed ex aliqua singulari causa per legem Papiam prohibetur. *vid. sup. de caduc. toll.*]

6. Incorporari dicitur, quod rebus fiscalibus additur, & quasi in unum corpus redigitur, atque conjungitur.

De delatoribus.

* Delatio est accusatio, *l. 10. vers. qui nomen. de jure patron.* secreto de aliquo crimine per eum cujus non interest, apud aliquem facta. *

7. Delator est, qui rem ad fiscum pertinentem, voluntariè, *l. 2.* non officii necessitate coactus, *d. l. 2. & ff. de his quib. ut indig. l. 5. §. advocatorum.* præmii causa, non adversarii ulciscendi gratia, *D. de Iu. fisc. l. 2. in princip.* nec reipublicæ nomine, *l. 4. & d. l. 2. in princ.* nec ut causam defendat, *l. 3. & D. de jur. fisc. l. delator. 44.* nec in crimine læsæ Majestatis, *l. ult. §. hac cum generaliter.* fisco nuntiat. *d. l. 4.* Eodemque sensu vocatur quadruplator, *quia quartam partem eorum qua in fiscum rediguntur præmii loco accepit. Ascon. in divin. & Verr. 3. Festus in verbo quadruplatores.* & interdum accusator. *D. de jur. fisc. l. Senatus.*

natus. 15. *in pr. l. deferre.* 18. §. *item eos. versu iidem decreverunt.*

* Vocantur & curiosi, & frumentarii, indices.

Curiosi; si crimina indagandi officium in certo loco jure singulari eis demandatum.

Frumentarii, quia ut milites ad perquirenda frumenta, undè frumentarii dicti, mittebantur; ita hi ad ea quæ in civitatibus & provinciis fiebant, investiganda.

Indices, si facinoris, cujus conscii, latebras indicant. *

De Thesauris.

8. THesaurus est, propriè vetus quædam depositio pecuniæ, cujus memoria non extat; adeò ut jam dominum non habeat. *D. de acq. rer. dom. l. nunquam.* 31. §. 1.

9. Thesaurus impropriè est, magna pecunia quæ certum dominum habet. *D. ad exhib. l. thesaurus.* 15. *& de acq. poss. l. peregrè.* 44. *in princip.*

De annonis & tributis.

10. ANnonæ sunt, quæ fisco penduntur in speciebus; ut in frumento, vino, oleo, sale, carne.

11. Tributa propriè loquendo, (nam latè sumpto vocabulo etiam annonæ continentur.) *Cod. Theod. lib.* 11. *tit.* 2. seu contributiones, *infr. de apoch. pub. l.* 1. *& D. de adm. tut. l. sine herede.* 32. §. *pen.* sive intributiones, *D. de mun. & hon. l. pen. & ult. & de veter. penult.* sunt quæ fisco præstantur in corporibus, ut, auro, argento, ære, equis, vestibus.

[Imò

[Imò verò etiam alia significat. Nempe tributum idem quod stipendium appellari ait Pomponius, & stipendium quidem à stipe, quod per stipes, id est, modica æra colligatur. Tributum verò, vel ab intributione, vel ex eo quod militibus tribuatur. *l. 27. ff. de V. S.*

In actione tributoria per tributum intelligitur id, quod inter creditores servi negotiantis, & dominum cui idem servus debet, tribuitur, h. e. distribuitur, pro ratâ ejus quod cuique debetur.

Differunt tributa ab annonis; quod, ut definitum, tributa consistant in corporibus, auro, ære, equis, vestibus. Annonæ verò in speciebus; veluti, frumento, vino, oleo, pane, carne, sale. *Cujac. ad hunc tit.*

Sunt autem tributa duplicia, vel soli, vel capitis. *l. ult. ff. de censib.*

Capitis sunt, quæ stipendia appellantur. *Tertull. in Apologet.*]

* Rursus tributorum & annonarum alia sunt, consuetudinaria seu ordinaria; sive solennia; alia extraordinaria. *l. 5. hic. l. 1. inf. tit. prox.* *

De indictionibus.

12. Indictio est, injunctio oneris à collectoribus subeundi: ex qua sub Constantino anni numerari cœperunt; ut, *probat Onuphrius ex fastis Græcis; quem sequitur Cujacius. Nov. 149. cap. 1.* ita ut quindecim numerum non excedant, sed recurrant; nec dicatur indictio decima sexta, decima septima, &c. sed prima, secunda, &c.

13. Item indictio est, onus illud quod collatoribus injungitur. *infr. tit. prox. l. unic.*

14. Collatores sunt, subditi, qui tributa & annonas conferunt.

15. Col-

15. Collatio est, tributi vel annonarum præstatio.

De superindicto.

16. Superindictum est, ordinariæ indictionis augmentum extraordinarium. *l.* 1. *sup. de indiction.*

[Appellatur & superindictio, *l.* 1. *Cod. de priv. dom. aug.* Undè & superindictitii tituli: *l. ult. eod.* ut, ex scriptorum librorum auctoritate, emendandum censet Brissonius. Cujacius tamen mavult superindictionem haberi pro indictione illa canonica; superindictum verò esse indictionis augmentum. *ad l.* 1. *sup. de indiction.*]

De exactoribus tributorum.

17. Exactores, *hac rub.* seu canonicarii, *l. ult. & Nov.* 128. *cap.* 6. seu scriniarii, *Nov.* 135. *c.* 2. *in fi. & Nov.* 147. *c.* 2. seu susceptores, *inf. de apoch. publ. l.* 1. seu dicetæ, *Nov. Leon.* 61. vocantur, qui tributa suo periculo, *ff. de mun. & hon. l. ult.* §. *mixta*, exigunt.

* Specialiter qui militares annonas exigunt, opinatores vocantur; quia opinionem, id est, agri censum exigunt. *l.* 7. *hic. l.* 11. *inf. de erog. milit. ann.* *

De superexactionibus.

18. Superexactio est, crimen exigentis, nomine tributi, ultra quam debeatur. *l. unic.*

De apochis publicis, & de descriptionibus curialium.

APocham definivi *supr. lib.* 4. *num.* 83.

19. Descriptio curialis, *l.* 1. seu delegatio, *sup. de ann. & trib. l.* 4. est notitia ejus quod tributorum nomine exigi debet; ita ut nec addere, nec detrahere quidquam liceat. *d. l.* 4.

De canone largitionalium titulorum.

20. CAnon largitionalium titulorum est, qui ex more infertur thesauris, vel privato ærario, ex quo Princeps dona & largitiones publicè privatímve facit, & necessaria comparat., *infr. de cypress. l.* 2. *& de metall. l.* 1. vel exequitur. *inf. de priv. dom. aug. l.* 1.

Ne operæ à collatoribus exigantur.

OPeram definivi, *lib.* 2. *num.* 66.
Collatores, *hoc lib.* 9. *n.* 14.

* *De conditis in publicis horreis.*

COëmpta sunt, species annonariæ, in horreis publicis conditæ. *l.* 1. *l.* 3. *C. de quib. mun. vel præst. nem. se liceat excus.*

Horrea, ab horrendo, quia plerumque erant defossa & subterranea, & ob id horroris plena dicta; alia erant publica, alia privata.

Publica erant, in quibus species annonariæ, alias ab horreis horreaticæ dictæ, *l. fin. hic.* asservabantur: ut frumentum, vinum, oleum, acetum, laridum, fœnum, paleæ, & reliquæ species similes; quæ militibus erogabantur. *l.* 1. &

& tot. tit. inf. C. de erogat. milit. ann. l. 1. 2. 3. *hic.*

Privata erant, in quibus, non solum istæ species; sed & res aliæ mobiles quantumvis pretiosæ solebant reponi.

Unde quædam frumentaria, vinaria, olearia, dicebantur. *

Vt nemini liceat in coëmptione specierum se excusare, & de munere Sitonia.

21. COëmptio, *infr. de frum. urb. const. l.* 2. seu synoneton, *Cod. Theod. de pub. comp. l.* 2. est, onus vendendi fisco species annonarias; ut frumentum. *l.* 1. *& infr. de quibus mun. vel præst. nem. lic. se excus. l.* 1. *&* 3.

22. Sitonia est, munus emendi frumenti à provincialibus.

23. Sitonæ sunt, quibus hoc munus incumbit. *ff. de mun. & honorib. l.* 1. §. *personalia. l. numerum.* 28. §. *cura.*

De collatione donatorum, vel relevatorum, aut translatorum, seu adaratorum.

24. RElevati dicuntur, quos Princeps levavit onere tributi solvendi.

25. Translati dicuntur, quorum functionem Princeps mutavit.

26. Adærati dicuntur, qui ex Principis æstimatione, & taxatione pro annonis pecuniam præstant.

De

De discussoribus.

27. Discussorum (quos Græci vocant λογοθέτας), officium est, examinare rationes fiscales. [*Nov. Valent. tit. de ind. reliquor. Inspector. puta.*

Discussores sunt, cognitores & disceptatores rationum fiscalium ab aliis tractatarum. *l. ult. h. t.*]

De imponenda lucrativa descriptione.

28. Lucrativi fundi sunt, qui ex bonis curialis, ad non curialem pervenerunt, ex causa donationis, sive inter vivos, sive causa mortis, vel ex qualibet ultima voluntate. *l. unic. h. t.*

De descriptione, *vide sup. def.* 19.

29. Lucrativorum descriptio quatuor siliquas continet in singulas jugationes.

30. Siliqua est, vicesima quarta pars aurei. * Proinde quatuor siliquæ sextam solidi partem conficiunt. *Pac. in Isag. hic.* *

31. Iugum est, quod juncti boves uno die exarare possunt, *Varro lib.* 1. *de re rust. cap.* 10 eodemque sensu dicitur jugatio, & capitatio. *l. unic.*

32. Versum, dicitur centum pedes quoquoversum quadratum. *d. loco.*

33. Iugerum est, quod quadratos duos actus habet. *Ibidem.*

34. Actus quadratus est, latus pedes centum viginti, ac longus totidem. *Ibid.*

35. Scrupulum est, minima pars jugeri, id est, decem pedes in longitudinem, & latitudinem quadratum. *Ibidem.*

36. Centuria, cujus in Novellis mentio fit, *Nov.* 128. *c.* 3. est, quadrata in omnes quatuor partes, ut habeat latera longa pedum 2500. *Varro d. loco.*

De prabendo salario.

37. SAlarium est, honorarium annuum. *D. de transact. l. cum hi. §. si in annos. & de in rem verso. l. ult. & de ann. legat. l. Titia.* 19. *§. ult. & de obl. & act. l. ult.* §. 1.

* Salarium, (à sale, *Plin. lib.* 31. *histor. natur. cap.* 7. vel quod datur unde aliquis se alat, dictum.) in genere sumptum, est annua erogatio quæ in aliquem, sui tuendi exhibendique causa, confertur. *d. l. ult. de in rem vers. l.* 8. §. 23. *de transaction.*

Vel, annua merces aut stipendium, quod ob liberalem artem, ministerium, servitium, officium, ratione laboris præstatur. *l.* 16. §. 1. *de alim. leg.* 4. *§. fin. de decret. ab ord. fac. fac. l.* 9. *C. de procur. l.* 16. *§. salarium. ff. mand. l.* 6. *inf. de Profess. & Medic.* *

38. Honorarium est, quod honoris causa, non mercedis nomine, præstatur. *ff. mand. l.* 6. *in princ.*

* *De excusationibus munerum.*

EXcusatio est, justæ alicujus causæ, propter quam ad munera subeunda arctari non debet, allegatio. *l.* 1. *de vacat. mun.*

Est, vel temporalis & personalis, vel perpetua. *l.* 3. *l.* 8. *l. pen. in pr. ff. eod.* vel plena, vel plenior, vel plenissima.

Plena, cum à muneribus personalibus, non oneribus excusatur.

Ple-

Plenior, cum & ab honoribus, non oneribus patrimonialibus. *l.* 2. §. 4. *ff. eod.*

Pleniſſima, cum quis à quibusdam patrimonialibus excuſatur. *l.* 10. §. 2. *ff. eod.* *

De Profeſſoribus & Medicis.

39. PRofeſſores ſunt, qui ſcientiam, vel artem aliquam, publicè docent.

40. Medicus eſt, qui ſanitatis conſervandæ & reparandæ artem exercet.

De athletis.

41. ATHletæ, vel agoniſtæ, dicuntur qui in publicis certaminibus, virtutis cauſa, ſe exercent haſta vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando. *ff. de his qui not. infam. l.* 4. *in princip. & de aleator. l.* 2. §. 1.

42. Antagoniſtæ ſunt, athletæ qui contra ſe invicem pugnant; hi vocantur æmuli. *in l.* 2. *hoc tit.*

* Agonothetæ, præmia athletis adjudicabant, & ſacris certaminibus præerant.

Agonothetica, præmia athletarum erant.

De his qui non impletis ſtipendiis Sacramento ſoluti ſunt.

SAcramentum militare ſeu juramentum erat duplex.

Unum, quod præſides & milites limitanei in inauguratione & ſingulis annis, Calendis Ianuarii dicebant. Quod propriè Sacramentum appellatur.

Alterum, quo milites pollicibus non ſolum

elevatis, sed & strictis gladiis cervicibusque admotis, per Deos jurabant, se jussu ducum conventuros, neque injussu abituros, sese fugam formidinis ergò non arrepturos, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi gratiâ. *

De tabulariis, scribis, logographis, & censualibus.

43. Tabularii eorum, quæ fisco inferuntur, & debentur, rationes conficiunt. *Sup. de jur. fisc. l. 2. & de exact. tribut. l. 1. & l. 7. & de immun. mun. conc. l. 1. & inf. de censib. l. 1. & de numerar. l. 2.*

44. Scribæ sunt, qui Magistratui, vel ordini, scripturâ inserviunt.

45. Logographi rationibus tributorum scribendis occupantur. *Novel.* 128.

46. Logistæ sunt, curatores Reipublicæ *Cujac. hic, ad l. ult. & ad l.* 30. *sup. de decurionib.*

47. Boëthi logistarum sunt, adjutores curatorum Reipublicæ. *l. ult. & ibi Cujac.*

48. Diastoleis sunt, dispunctores rationum, & instrumentorum. *d. l. ult. & ibi Cujac.*

49. Censuales sunt, qui operam suam accommodant Magistro census in urbe, & actus Senatus conficiunt. *Cujac. hic.* * Et in provinciis census & patrimonia describunt. *

De susceptoribus, præpositis, & arcariis.

50. Susceptores sunt, qui annonis, & tributis recipiendis præpositi sunt. *D. de censib. l. 5. in fin.*

51. Præpositi sunt, qui horreis, in quibus species fiscales deponuntur, *l.* 2. vel pagis, sunt præpositi. *sup. de jur. fisc. l. super.* 9.

52. Arca-

52. Arcarii sunt, qui his quæ in arcam præfecti Prætorio inferuntur, suscipiendis præpositi sunt. *l. ult. & sup. de his qui ex pub. rat. mutu. accep. l. 1. & de Can. largitional. titul. l. 3. & edicto Iustin.* 13.

De ponderatoribus, & auri illatione.

53. AD ponderatorum officium pertinet nummos probare, & ponderum signa nummis imponere.

54. Illatio auri est cusorum solidorum, vel massæ auri, illatio in fiscum; quæ fit à collatoribus, id est, à subditis tributa solventibus.

De auri publici persecutoribus.

55. PErsecutores sunt, quibus auri publici transmissio committitur præcepto comitis sacrarum largitionum. Quod vocatur persecutoria.

De auro coronario.

56. AUrum coronarium est, quod in coronis Principi offertur.

De Irenarchis.

57. IRenarchæ sunt, ad quorum officium pertinet pacem, & quietem per singula territoria tueri, & in latrones, eorumque receptatores, & socios inquirere.

* Milites qui ipsis suberant Stationarii, Curiosi, Frumentarii, dicebantur.

Limenarchæ sunt, quasi portus præfecti; λιμένα enim Græcis portum significat. *

De argenti pretio quod thesauris infertur.

58. IN thesauris sunt, aurum, argentum & species quæ sacris largitionibus inferuntur, & Comiti sacrarum largitionum consignantur.

* Qui istis præerant Thesaures, appellabantur. *l. 2. inf. de palat. sacrar. largit.* *

De lustralis auri collatione.

59. AUrum lustrale, *ut hoc tit.* seu negotiatorium est, quod negotiatores singulis lustris principi pendebant. *Lamprid. in Alexand.*

* Lustrum, spatium quiquennale significat. *

De naviculariis, seu naucleris, publicas species transportantibus.

60. NAvicularios, seu naucleros definivi, *lib. 8. def. 225.*

* Navicularii, & naviculatores, Græcè ναυκλήρους, Latinè exercitores, *l. 1. 2. 3. hic.* dicti, sunt ad quos quotidianus quæstus navium, sive propriarum, sive conductarum, pertinet. *Peck. ad l. 1. & ibi in not. Vinnius. ff. de exercit. act.* *

De naufragiis.

61. NAufragium est, navis in mari fractio, vel subversio.

De

De metallariis, & metallis, & procuratoribus metallorum.

* Metalli denominatio Græca eſt, dictum enim quia, ἄλλον μετ᾽ ἄλλον, hoc eſt, aliud poſt aliud invenitur. *vid. Plin. lib.* 33. *hiſtor. cap.* 6. *

62. Metalla ſunt, quæcunque ex exhalationibus in terræ viſceribus genita, indè ad humanum uſum effodiuntur; ut aurum, *l.* 5. *hic.* marmor. *l.* 3. *& pen. hic.*

63. Metallarii ſunt, qui in metallis effodiendis occupantur, vel ſua ſponte, *l.* 10. *hic.* vel quia huic conditioni ſunt obnoxii, *l. ult. hic.*

Procuratores metallorum ſunt, qui ex curialibus ordinantur, ut metallicum canonem exigant. *l.* 4. *hic.*

De Murilegulis, & Gynæciariis, & procuratoribus Gynæcii, & de monetariis, & baſtagiariis.

64. Murileguli ſunt, muricis, aliorumque conchyliorum piſcatores.

65. Gynæcium, *l.* 5. *h. t.* ſeu textrinum, *l.* 6. *h. t.* eſt, locus ad texendas, & conficiendas veſtes imperiales, & miniſteriorum imperialium, conſtitutus.

66. Gynæciarii ſunt, qui veſtibus illis intexendis, & conficiendis, ſunt addicti.

67. Procuratores Gynæcii proportione quadam reſpondent procuratoribus metallorum. Sunt igitur ex curialibus, qui ea exigunt, ex quibus dictæ veſtes conficiuntur.

68. Monetarii ſunt, qui monetas cudunt. *l.* 1. *l.* 7. *h. t.*

69. Bastagiarii res ad fiscum pertinentes vehunt suis jumentis, excepto quinto quoque jumento quod à fisco præbetur. *l.* 4. *l. æternam.* 8. *eod.*

De vestibus holoberis, & auratis, & de intinctione sacri muricis.

70. VEstes holoberæ sunt, ex solo serico confectæ; unde etiam holosericæ appellantur.

71. Auratæ sunt, ex filis aureis intextæ.

72. Sacer murex est, purpura, quâ solus Imperator utitur.

73. Baphii sunt, ad quos tinctio sacri muricis pertinet.

De fabricensibus.

74. FAbricæ sunt, loca publica in quibus arma fabricantur. *Nov.* 85.

75. Armamentum, sive armamentarium est, ubi arma publica asservantur. *d. Nov.* 85.

Fabricenses definivi, *lib.* 8. *defin.* 226.

76. Deputati sunt, qui ex fabricensibus assumuntur ad arma militibus procuranda. *d. Nov.* 85.

De veteris numismatis potestate.

77. VEtus numisma est, quod veteris Principis cui successum est, vultu est signatum. *l.* 1. *hic.*

De Classicis.

78. CLassici sunt, qui navibus amnicis deputati sunt ad flumina purganda, & alias necessitates.

* Imò

* Imò Classici hic sunt, milites, ad classes reducendas & ab hostium incursu defendendas adscripti: & incensiti & accrescentes, id est, remigum filii, mari purgando aliisque necessitatibus destinati. *l. un. hic.* *

De decurialibus urbis Romæ.

79. DEcuriales urbis Romæ sunt, qui Senatus acta perscribunt, & scrinia servant. *Cassiod. lib. 5. cap. 21. & 22.*

De privilegiis corporatorum urbis Romæ.

80. COrporati sunt, qui sunt in aliquo corpore, seu Collegio, sive universitate.

De pistoribus.

81. PIstores, seu mancipes, conficiebant panes civiles popularibus & scholasticis distribuendos. *l. unic. & infr. de frum. urb. Const. l. 1. & 2. & anno civil. l. 1.*

82. Scholastici sunt, qui in aliqua schola militant; ut fabricenses. Erant enim undecim scholæ, *tit. de locat. l. ult.* sub dispositione magistri officiorum. *notit. Imp. Rom.*

* Catabolenses erant, qui vehenda veterinis onera conducebant. *sic Cujac. 16. obs. 5.*

Aut, *secund. Budæum. in post. annot.* qui panes exercitui præstarent. *

De suariis, & susceptoribus vini, & ceteris corporatis.

83. SUarii sunt, qui suillam carnem à collatoribus exigebant.

* Porcinarii sunt, qui porcos pascendos agebant in pascua publica. *l.* 1. *hic.* *

84. Susceptores vini sunt, qui vinum à collatoribus exigebant.

* Imò susceptores vini sunt caupones, qui vina suscipiunt fiscalia, & populo Romano vendunt. *Cujac. in inscrip. h. t.* *

De Collegiatis, & Chatopratis, & Numulariis.

85. COllegiati ex diversis corporibus in singulis civitatibus eligebantur, ut incendiis, & aliis Reipublicæ necessitatibus subvenirent.

86. Chartopratæ sunt, qui transmittendæ ac distrahendæ chartæ publicæ curam gerunt. *l. un.* §. *ult. h. t.*

87. Mensa est, datorum & acceptorum quasi corpus quoddam. (*vulgo* banc.)

88. Argentarius est, qui actum mensæ. *ff. de edend. l. argentarius.* 10. §. 1. id est, rationes datorum acceptorum, conficit, *ff. eod. l.* 4. §. 1. *& l. quadam.* 9. §. *numularios.* & in scripturam redigit, *d.* §. *numularios.* publico ministerio. *d. l. argentarius.* §. 1.

89. Argentariis persimiles sunt nummularii, *d. l. quadam.* §. *nummularios.* qui & mensularii vocantur, *D. de pact. l. emptor.* 47. §. 1. Differunt autem ab argentariis, ut minores mercatores à majoribus.

De studiis liberalibus urbis Romæ.

90. STudia liberalia sunt, quæ sunt homine libero & ingenuo digna; ut Grammaticæ,

maticæ, Rhetoricæ, Philosophiæ, Iurisprudentiæ. *l. unic. h. t.*

De honoratorum vehiculis.

91. Honorati sunt, qui civili, aut militari dignitate sunt decorati. *l. unic. hic.*

[Vehiculorum diversa sunt genera. * Ut plaustrum sive plostrum, sarracum, carpentum, carrus & carrum, carruca, rheda, cisium, petoritum, pilentum, thensa, arcirma, essedum. *

Hic carrucas intelligit lex. Carruca parvus carrus quatuor rotas habens, in deliciis à veteribus habita.]

* Plaustrum est, currus rusticus ab omni parte apertus.

Sarracum, vehiculum quo ligna & lapides vehuntur.

Carpentum, quo matronæ gestantur.

Carrus, magnus currus, quatuor rotas habens. Cujus diminutivum Carruca.

Rheda est, currus leviculus; hodie, *een Koetse.*

Cisium, genus vehiculi biroti.

Petoritum, vehiculum rotarum quatuor, ita compactum & libratum, ut considentes in pulvinis in aëre suspensi agitati videantur, *een Karosse.*

Pilentum, matronarum vehiculum.

Thensa, vehiculum sacrum.

Arcirma, modicum plaustrum quo homo gestari potest.

Essedum, seu esseda, vehiculum breve, birotum, minus rheda, deferendo celeriter homini uni accommodatum. *

De Metropoli Beryto.

92. METropolis est, civitas, alicujus provinciæ caput, quæ & mater provinciæ appellatur.

[Berytus, urbs est Syriæ Phœnicis post Sidonem, haud procul ab Lyci amnis ostiis, omnium ejus littoris nundinario mercimonio clarissima, & Iustiniani temporibus legum studiis celeberrima; inde metropolitano nomine & dignitate exornata ab Impp. Theodosio, & Valentiniano; *l. un. C. hic.*

De Canone frumentario urbis Romæ.

93. CAnon frumentarius est, frumentum, & aliæ species, quas provinciales conferunt populo, vel militibus, vel scholasticis præbendas.

[Quæ aliæ sint species, vide auctorem, in Cod. Isagoge, & Gothofredum *in notis hic.*]

De annonis civilibus.

94. ANnonæ civiles, seu panes civiles sunt, frumentum, caro, oleum, & aliæ species, quæ Scholasticis tribuuntur. *l.* 1. *hic.*

* Dicti panes appellabantur gradiles. Quia decem & septem gradus per quatuordecim Constantinopoleos regiones erant constructi, unde hos panes populus acciperet. *l.* 2. *C. Theod. de ann. civ. & pane gradili. Pancirol. in not. Imp. Orient. cap.* 26. *

[De.

[*De mendicantibus validis.*

MEndicantes validi dicuntur, qui sani sunt, & annis vegeti. *l.un.hic.* ac robusti. *Nov.* 80.]

★ *De nautis Tiberinis.*

NAves Tiberinæ & Caudicæ, *Aul. Gell. Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 25. Caudicariæ, Codicariæ, *Glo. & Hermol. ad Senec. de brev. vita. Fest. lib.* 3. à caudice, id est, plurium tabularum contextu, *Senec. d. loc.* dictæ; canonem frumentarium populi Romani subvehebant.

De jure Reipublicæ.

REspublica, hic, civitas, est civium multitudo, jure ac legibus sociata.

Ius civitatis consistit, non in jure suffragii & honorum, *ut vult Aristoteles*; sed in civitatis communione.

De vendendis rebus civitatis.

REs civitatum aliæ sunt publicæ usuique publico & communi destinatæ: ut, forum, basilicæ, &c. Aliæ ipsarum civitatum propriæ, ad hoc destinatæ, ut earum reditus in utilitatem necessitatemque civitatum vertantur;

Et sunt mobiles, vel moventes, vel immobiles. *l.* 1. *& fin. hic.* *

Ne quis liber invitus actum gerere cogatur.

95. ACtus est, actoris seu dispensatoris munus.

96. Actor seu dispensator est, qui rationibus, & pecuniis credendis exigendisque præpositus est.

Sumptus injuncti muneris ad omnes collegas pertinere.

97. Collegæ sunt, cujusvis muneris socii.

De spectaculis, & scenicis, & lenonibus.

98. Spectacula sunt, quæ publicè populo exhibentur, spectandi causa.

99. Scenici sunt, qui sui spectaculum, quæstus causa, populo in scena exhibent.

100. Leno est, qui mulieres quæstuarias alienæ libidini prostituit. *ff. de his qui not. inf. l. 4. §. ait Prætor. & de ritu nupt. l. palam. 43. §. lenas.*

** De Aquæductu.*

Aquæductus hic est, aquarum deductio; hoc cum alicunde aqua derivatur.

Formæ dicuntur aquæductus, seu conceptabula quælibet, quibus aquæductus distinguuntur; Græci ὀχέτια appellant. *vide l. 27. §. 3. ff. de usufructu.*

Aquæductus primum in castella, ex illis à Castellario certa mensura distributæ in loca destinata effluebant.

Castellum erat locus, qui aquam publicam recipiebat, & in varia alia loca transmittebat.

Castellarius erat castellorum custos. *

De

De gladiatoribus penitus tollendis.

101. GLadiator eſt, qui in arena, ſpectante populo, pugnat. *Quint. declam.* 302.

De Maiuma.

102. MAiuma eſt, ludicrum in aquis certamen, à Romanis inſtitutum ad urbem Oſtiam, maritimam urbem, menſe Majo ludibundè expugnandam. *Suidas in verbo majumas.*

[Nempe ita Suidas, ab Æmilio Porto latinitate donatus: citatus ab auctore loco.

Maiumas feſtum fuit Romæ Maio menſe, quo Principes civitatis Oſtiæ, quæ maritima urbs eſt, voluptatibus indulgentes, alii alios in aquas conjicere non dubitabant. Unde etiam talis feſti tempus à menſe Maio, quo celebrabatur, denominatum, vocabatur Maiumas. q. d. *μαίϰ μὴς εἴτε μλώ*, id eſt, *Maii menſis quo feſtum hoc celebrabatur.*]

De Agricolis, Cenſitis, & Colonis.

103. AGricolæ, ſeu Ruſticani ſunt, qui agros colunt.

104. Adſcriptitii, ſeu Cenſiti, ſunt coloni glebæ terræ addicti, quam deſerere non poſſunt. *l.* 6. *l. colonos.* 15. *l. agricolarum.* 18. *l. pen.* §. 1.

105. Inquilini ſunt, addicti prædio urbano, ut coloni ruſtico. *Novell. Valent. de Colon. vag.*

De capitatione civium censibus eximenda.

106. Capitatio est, tributum quod viritim penditur, id est, per capita.

[Capitatio est duplex; alia humana, alia animalium. Illam sola rusticana plebs extra muros posita pensitabat; urbana ab eâ immunis erat. *l. 1. C. ut rustici ad null. obl. l. 1. C. de capitat. civ. exim.* animalium erat tributum quod in singula venalium quadrupedûm capita pendebatur, *l. 8. Cod. de SS. Eccl. l. 15. Cod. de Episc. & Cler.*]

* *Vt rusticani ad nullum obsequium devocentur.*

Rusticani sunt, qui ruri habitant & proprios agros colunt; & nihil præter jugationem & capitationem præstant. *l. 1. & 2. hic.* *

Non licere habitatoribus Metrocomiæ loca sua ad alium transferre.

107. Metrocomia est, vicus sub quo alii vici continentur.

* Vel; Metrocomia est, mater vicorum, seu villa major, sub suo districtu plures pagos, vicos & arces continens. *l. fin. C. Theod. de patrocin. vican.* *

108. Convicani sunt, qui sunt ex eodem vico.

De censibus, & censitoribus, & peræquatoribus, & inspectoribus.

CEnsum definivi, *lib.* 7. *num.* 227. Censitorem, *eod. lib. num.* 228.

109. Peræquatores, & inspectores sunt, qui censum emendant, prædiis inspectis, atque invicem adæquatis, ne alterum alterius onus ferat, sed æqualitate Geometrica pendant tributa.

De omni agro deserto, & quando steriles fertilibus imponuntur.

110. AGer desertus, *l.* 3. 5. *& passim.* seu defectus. *l.* 7. seu vacans, seu destitutus, *l. qui agros.* 8. est incultus, & neglectus; non tamen habitus pro derelicto; *ut patet ex dicta l. qui agros.*

111. Imponi dicuntur agri steriles agris fertilibus, cum adjiciuntur habentibus agros fertiles ejusdem substantiæ; id est, eidem domino canonem debentes, vel olim relatos simul in censum.

De fundis limitrophis, & terris & paludibus & pascuis limitaneis, vel castellorum.

112. FUndi limitrophi, *l.* 1. *hic.* seu limiti deputati, *infr. de fund. patr. l. omnes.* 8. sunt ex quibus ad Imperii limites annona defertur. * ad alendos milites limitaneos. *

113. Fundi limitanei sunt, qui ad milites limitaneos spectant, unà cum paludibus ac pascuis. *l. ult.*

114. Mi-

114. Milites limitanei sic dicuntur, qui limites, id est, Imperii fines, adversus barbaros tuentur. *Suidas in verbo* λιμιτανεῖοι.

115. Fundi Castellorum sunt, qui ad milites Castellanos pertinent. *l.* 2. *hic.*

116. Milites Castellani sunt, qui præsidii causa in locis munitis stationem habent.

Paludis definitionem *vide lib.* 8. *n.* 236.

Pascui, *eod. lib. n.* 337.

* *De pascuis publicis, vel privatis.*

PAscua publica sunt, quæ usui incolarum alicujus civitatis sunt deputata.

Hic sunt ipsius Principis, quæ certa pensione elocantur, & pacto, ut animalia rei privatæ Principis in istis pascuis una pascantur. *l.* 1. *hic.* *

De fundis patrimonialibus & saltuensibus, emphyteuticis, & conductoribus eorum.

[SUbstantia Principis duplex est, una publica, quæ fiscalis, & modò quasi Principis patrimonium. Altera privata, & proprie ejus ac verè patrimonium. Fundi ad privatam Principis substantiam pertinentes, alii sunt patrimoniales, alii rei privatæ.]

117. Fundi patrimoniales sunt, qui ad privatum patrimonium Principis pertinent.

118. Privatum Principis patrimonium est, quod ad privatam ejus substantiam spectat, sub Comite sacri patrimonii constitutum.

119. Fundi saltuenses sunt, patrimoniales, pastioni deputati.

120. Emphyteutici sunt, patrimoniales, jure emphyteutico in aliquem collati.

* De

★ *De mancipiis & colonis patrimonialium & saltuensium & emphyteuticorum fundorum.*

QUemadmodum in fundis privatorum sunt varia genera agricolarum; nempe servi, coloni adscriptitii, & coloni liberi; ita etiam eadem agricolarum genera reperiuntur in fundis patrimonialibus, saltuensibus & emphyteuticis, nisi quod alii istos colendos ad tempus, certâ mercede, puta decima frumenti, susciperent; alii in perpetuum ita se culturæ obstringerent, ut ab ea recedere, aut aliud munus appetere, nomen militiæ dare, non possent. *Perez. hic.* *

De fundis rei privatæ, & de saltibus divinæ domus.

121. FUndi rei privatæ sunt, qui spectant ad rem privatam Principis, sub cura Comitis rerum privatarum.

122. Fundi divinæ domus sunt, qui pertinent ad curam Comitis domorum.

123. Saltus divinæ domus sunt, nemora, seu fundi divinæ domus, pastioni pecudum dicati.

De fundis, & saltibus rei Dominicæ.

124. FUndi rei Dominicæ pertinent ad eam privati patrimonii partem quæ vocatur res dominica.

125. Saltus rei domesticæ sunt, fundi rei domesticæ, pastioni pecudum dicati.

De

De Prædiis Tamiacis.

126. PRædia Tamiaca sunt, prædia Principis in Cappadociæ provinciis, *Iuliani interp. in Nov.* 30. quorum cura pertinet ad Comitem domorum, & ad Præpositum sacri cubiculi. *Grac. ad l.* 3. *sup. ad l. Iuliam repet.*

* *De prædiis urbanis*, &c.

PRædia urbana, hic non sunt, ipsorum civium, aut ipsis communia, sed civitatum propria; contractu aut voluntate ultimâ acquisita. *

De locatione prædiorum civilium, &c.

127. PRædia civilia sunt, quæ ad aliquam civitatem spectant.

* *De collatione fundorum fiscalium, &c.*

COllatio hic est, contributio & solutio pensionum, quas conductores & coloni prædiorum fiscalium & rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatis, ob conventionem initam, pendere debent. *l.* 1. *&* 2. *hic.*

De grege dominico.

GRex dominicus, hic est, Principis. Dominicum enim dicitur, quiquid est in privato ac dominico patrimonio Principis, qui verus & summus est dominus.

De palatiis, & domibus dominicis.

PAlatia appellantur omnes ſacræ ædes Principis habitationi dicatæ.

De cupreſſis ex luco Daphnenſi, &c. non exſcindendis, &c.

DAphne, ſuburbanus eſt lucus Antiochiæ cupreſſis obſitus. *

De dignitatibus.

128. DIgnitas eſt, eminentia perſonæ à jure tributa, cui honor debetur.

129. Senatoria eſt, dignitas Senatorum propria.

130. Illuſtratus eſt, ſumma Senatorum dignitas. *ſup. de Ep. aud. l. neminem. 22. in princ. Nov. 7. in fin. & Nov. 13. cap. 3.*

131. Spectabilitas eſt, media Senatorum dignitas. *dict. jurib.*

132. Clariſſimatus eſt, minima Senatorum dignitas. *dict. jurib.*

De Prætoribus, & honore Præturæ, & collatione & gleba, & folli, & ſeptem ſolidorum functione ſublata.

[PRætores à veteribus Romanis dicti majores Magiſtratus, quod ceteris omnibus præeſſent & præponerentur, præmiſsâ ſcilicet eis tam rei bellicæ adminiſtratione, quam legum præſcriptione.

Inde & ea loca, in quibus Magiſtratus vel publicè

blicè jus reddere, vel habitare solebant, Prætoria appellarunt.

Quomodo Prætorum plura fuere genera, alibi diximus & pressius explicare non est hujus instituti. Prætura olim magna potestas, postea inane nomen, & Senatorii census gravis sarcina fuit; nempe folles, glebas, aut septem solidos præstabant.]

133. Follis erat aurei nummi genus, *Cod. Theod. quor. appell. non rec. deb. l.* 2. *&* 3. *& de suar. l.* 3. *& de prat. & quaest. l.* 5. *l. tempore.* 21. cujus solvendi onus Constantinus Prætoribus imposuit, *Sozimus. lib.* 2. ita ut qui fundos possideret, aliquot folles fisco præstarent, quæ vocabatur glebalis functio, seu gleba: fundis autem carentes duos folles in ærarium inferrent, *Cod. Theod. tit.* 2. *l. si quis Senatorium.* tenuiores autem præstarent septem solidos, *Cod. Theod. d. l.* 2. *l. si quis nostris.* nec non qui ex proximis erant Senatui aggregati. *Theod. de prox. com. dispos. l. omnes.* 12.

★ *De Consulibus*, &c.

Qui Consules sint, *vide lib.* 1. *post num.* 74.

Ornamenta consularia sunt, trabea, sive palmata, scipio, calcei, aurati, sella curulis, fasces, *Cujac. ad. l.* 2. *hic.*

Patricii hic sunt, qui patriciatus dignitatem sunt adepti; quasi Imperatoris patres, & in consilium illius assumpti. *

De præpositis sacri cubiculi, & de omnibus cubiculariis, & de privilegiis eorum.

134. Præpositus sacri cubiculi præest cubiculo Principis, vel Augustæ, *l. ult.* & co-

& colonis, inquilinis, ac servis sacræ domus, & Comiti sacrarum domorum. *sup. ubi caus. fisc. l. ult.*

* *De Quæstoribus, & Magistris Officiorum*, &c.

QUæstor sacri palatii erat Iurisconsultus, qui in Senatu epistolas Principis recitabat, leges dictabat, petitionibus subscribebat, illisve responsa dabat, & subnotabat. *Novell.* 53. & *Nov.* 114.

Magister officiorum, ex delegatione Principis sæpe causas cum Quæstore judicabat, & jure Magistratus varia judicia exercebat, atque ejus jurisdictioni omnes in scriniis militantes suberant. *

De primicerio, & secundicerio, & Notariis.

135. PRimicerius est, cujuslibet ordinis primus. *Suidas.*

136. Secundicerius est, cujuslibet ordinis secundus.

137. Notarii sunt secretarii, qui notas publicas conscribunt. *infr. qui milit. poss. l.* 1. *Procop. lib.* 2. *de bello Pers.*

De Magistris Scriniorum.

138. SCrinia sunt, capsæ in quibus Principis acta, quæ ad jus pertinent, asservantur. *sup. de testam. l. omnium.* 19. *l. ult.* & *infr. de agentib. in reb. l.* 3.

[Eorum plura erant genera. *l. fin. C. de decurion.*

1. me-

1. memoriæ. 2. epiſtolarum. 3. libellorum. 4. diſpoſitionum.]

139. Scrinium memoriæ eſt, in quo adnotationes Principis aſſervabantur. *Cod. de div. reſcript. l. ult.*

140. Scrinium epiſtolarum eſt, in quo civitatum poſtulata & legationes recondebantur.

141. Scrinium libellorum eſt, in quo libelli Principi oblati continebantur.

142. Scrinium diſpoſitionum eſt, in quo cognitiones & decreta Principis comprehendebantur.

143. Magiſtri ſcriniorum ſunt, qui ſacris ſcriniis præfecti erant; ut Magiſter memoriæ, libellorum, diſpoſitionum.

De Comitibus Conſiſtorianis.

144. Conſiſtorium eſt, conſeſſus, in quo Princeps de quibuſcunque cauſis cognoſcit.

145. Conſiſtoriani ſunt, qui in Conſiſtorio ſtantes Principi inſerviunt.

146. Comites Conſiſtoriani ſunt, qui comitiva primi ordinis donabantur.

De Comitibus, & Tribunis Scholarum.

147. Scholæ erant, in quibus hi militabant qui vocantur agentes in rebus.

* Scholæ erant Collegia quædam militum miniſtrorum Principis.

Qui illis adſcripti, erant Scholares dicebantur. *

148. Tribuni Scholarum ſunt, qui Scholis & agentibus in rebus præſtant.

149. Co-

149. Comites Scholarum sunt, Tribuni Scholarum donati comitiva primi ordinis.

De Comitibus rei militaris.

150. Comites rei militaris sunt, militibus præpositi primia ordinis comitiva ornati.

De Comitibus, & Archiatris sacri Palatii.

151. Archiatri sunt, qui in comitatu Principis medendi curâ funguntur.

152. Comites archiatri sunt, qui comitiva primi vel secundi ordinis donati erant. *sup. de profess. & in d. l. ult.*

De silentiariis, & decurionibus eorum.

153. Silentiarii sunt, excubitores in consistorio vel palatio Principis. *l. 3. in fin. & sup. de excus. tut. l. ult.*

154. Decuriones silentiariorum, *hac rub.* seu sacri palatii, *l. 1.* seu sacri Consistorii, *Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. ult.* silentiariis præsunt. *l. ult.*

De domesticis, & protectoribus.

155. Domestici, seu protectores domestici, sunt quibus Principis familiarius protegendi sollicitudo incumbit. *Cod. Theod. hoc tit. l. devotissimis. 8.*

156. Simpliciter protectores sunt, qui armatam militiam subeuntes, non solum defendendi corporis sui; verum etiam protegendi lateris

Principis sollicitudinem patiuntur. *Cod. Theod. eod. tit. l. devotissimos. 9.*

De præpositis laborum.

157.* PRæpositi laborum erant, 50, *Euseb. de vita Const. lib.2. cap.* 8. milites magno illi vexillo quod Principi præferri solebat, præpositi, quod vulgo labarum, & laborum solutio vocabatur, & ut quæque pars exercitus in acie laborabat, in eam auxilii ferendi causa inferebatur.

* Imo præpositi laborum, hîc, sunt Magistri operum, quibus mediastini omnes, ceterique Augustæ domus opifices, suberant. *Alciat. hic.* *

De proximis sacrorum scriniorum, ceterisque qui in sacris scriniis militant.

158. PRoximi sacrorum scriniorum sunt, qui proximum à Magistris scriniorum locum tenent.

159. Melloproximi sunt, qui sequuntur proximos, & sequenti anno sunt futuri proximi.

De agentibus in rebus.

160. AGentes in rebus sunt, qui non in litteris & scriniis, sed in ipsa Reipublicæ administratione militant.

* Eorum multi erant gradus. 1. Tribuni scholarum. 2. Primicerii. 3. Senatores. 4. Ducenarii. 5. Centenarii. 6. Biarchi. 7. Circitores. 8. Equites. 9. Tirones. *l. 3. hic. l. 1. & 2. de off. Magist. off. l. 1. inf. de privileg. scholar.*

De

De Principibus agentium in rebus.

PRincipes sunt primores scholarum qui officia administrant. *

De Curiosis.

161. CUriosi sunt, ad quos cura cursus publici pertinet. *l.* 2. 3. 4. *& sup. de off. mag. off. l.* 1.

162. Cursus publicus est, equorum dispositorum cursus per viam publicam, *quos vulgo vocamus postas. Vid. infr. de cursu publico.*

De Palatinis sacrarum largitionum, & rerum privatarum.

163. PAlatini sunt, qui in palatio Principis militant; ut, Palatini sacrarum largitionum, & Palatini rerum privatarum.

164. Sacræ largitiones sunt, thesauri & opes fiscales, ex quibus Princeps largiri solet.

165. Res privatæ sunt, quæ ad Principis substantiam spectant, sub cura Comitis rerum privatarum.

De Stratoribus.

166. AD Stratorum officium pertinet equos militares, à provincialibus collatos, probare; *l. unic. Marcello, lib.* 29. equum fræno tenere, & conscendenti Principi opem ferre, *dist.* 96. *c. Constantinus. Spartian. in Carac.* & reos sibi commissos custodire. *supr. de cust. reor. l.* 1. *vers. illud etiam.*

De Castrensianis, & ministerianis.

167. Castrensiani, seu ministeriani sunt, ministri aulici, ut, pædagogi, cellarii, pincernæ, pistores, & ceteri sacro ministerio deputati. *l.* 4.

De Decanis.

168. Decani sunt, hoc loco, quos Suetonius decuriones cubiculariorum appellat. *alii sunt Decani de quibus sup. def.* 87.

De mensoribus.

169. Mensores sunt, ministeriani, mensurarum, & metatorum curam habentes.

170. Metata sunt hospitia, quæ advenientibus militibus præbentur à provincialibus.

171. Metatores, seu mensores sunt, qui præmittuntur hospitii designandi & parandi gratia.

De Privilegiis Scholarum.

172. Schola est, corpus seu universitas eorum qui in aliqua militia palatina militant sub magistro officiorum. *hic. l.* 1. *&* 2. *& sup. de off. mag. off. l.* 3.

[Nempe schola à σχολάζω, id est, *vaco*, vel à voce σχολὴ, id est, *vacatio*, dicitur; puta, sive quod aliis rebus omissis vacare liberalibus artibus discipuli debent, sive quod ipsis interdum laxamentum datur, cum literarium ludum alias, hic corpora, seu ordines officiorum significet. Memoran-

morantur verò plures; puta, agentium in rebus, *l.* 1. *sup. de agent. in reb.* domesticorum, *l.* 3. *C. ubi Senator.* equitum & peditum, *l.* 6. *C. de adv. div. jud.* gentilium, *Ammian. Marcel. lib.* 27. militum, quas undecim fecisse Iustin. *l. ult. C. de locat. cond.* significat; palatina, *l.* 11. §. *si autem. &* §. *illo procul dubio. C. de judic.* scrutariorum, & scribanariorum, *l.* 9. *C. de ann. civ. Marcellin. lib.* 22. *qui eorumdem primam & secundam scholam, lib.* 26. *memorat.* silentiariorum, *l.* 4. *C. de silentiar.* sacrarum largitionum, *l.* 13. *C. de palat. sacr. larg. vid. de variis scholis. l.* 1. §. 10. *usque ad finem. C. de offic. pref. Prat. Afric.*]

De Equestri dignitate.

173. EQuestris dignitas est, equitum propria, inter Senatores, & plebeios interjecta.

De perfectissimatus dignitate.

174. PErfectissimatus est, dignitas cujus viri plebeii participes sunt.

* *Qui militare possunt, vel non, &c.*

MIlitia duplex est, armata & inermis.

Armata quam milites cincti & in numeros relati profitentur.

Inermis, quam subeunt illi, qui Reipublicæ administrandæ præficiuntur.

Utramque unus simul habere non potest. *l.* 5. *tic.* *

De Castrense peculio militum, & præfectianorum.

175. PRæfectiani sunt, apparitores præfecti Prætorio. *l. ult.*

De Metatis, & Epidemeticis.

176. MEtata definivi paulo ante, *n.* 170. Epidemetica sunt, pretia, quibus provinciales se redimunt ab onere suscipiendorum hospitum.

De Salgamo hospitibus non præbendo.

177. SAlgama dicuntur, quæ victus causa condiri & servari solent

[Puta herbæ, quæ conditæ sale ad victum in vasis asservantur; veluti, benula, brassica, beta. Cujus nominis obtentu cum & alia transeuntes milites, puta, culcitram, lignum, oleum, à suis hospitibus extorquerent, sustulit hoc Imperator hoc titulo. Salgamorum tamen appellatione venire sal, oleum, butyrum, & ejusmodi esculenta, ad condiendum, atque aliàs indies necessaria, veluti ligna, notavit Alciatus.]

De Commeatu.

178. COmmeatus accipitur & definitur duobus modis. Primo, Venia discedendi militi ab eo data, à quo dari potest. Secundò, Cibaria ad publicam, vel privatam alimoniam pertinentia.

De

De Tironibus.

179. Tiro est, miles gregarius & junior: qui etiam caligatus appellatur. *Cujac. ad l. ult. Cod. de milit. test.*

De littorum & itinerum custodia.

180. Littus est, quousque maximus fluctus excurrit. *D. de verb. sig. l. littus est. 95. in princ. & l. littus publicum.* 112. *& Inst. de rer. divis. §. est autem.*

[Textus est. *l. 95. ff. de V.S.* Littus est, quousque maximus fluctus à mari pervenit. Idque Marcum Tullium, cum arbiter esset, primum constituisse. Nempe & ipse testatur *in Topicis*, Aquilium Gallum solitum littus per translationem definire qua fluctus eludit; Apud Isidorum est alludit; vel ut, *l.* 112. *de V. S.* exæstuat, §. 3. *Inst. de rer. divis.* excurrit. A mari pervenit, dico; ut littus à ripa distinguam. Nam ripam fluminum dici, ut littus maris, Grammaticis notum.]

De desertoribus, & occultatoribus eorum.

181. Desertor est, qui per prolixum tempus vagatus reducitur. *ff. de re milit. l.* 3. §. *desertor.*

* Vel Desertor est, Tiro & miles, qui belli tempore à signis abest, vel per prolixum tempus extra castra evagatur, invitus plerunque reducitur. *l.* 1. §. 1. *hic. d. l.* 3. §. *desertor.* *

[Nempe desertores ab emansoribus eò differunt, quod hi sponte, illi inviti redeunt; hi sæpius, illi nunquam. *l.* 4. *l.* 13. *de re milit.* Et comparantur quidem hi erronibus, illi fugitivis

 servis.

servis. Et hæc quidem secundum titulum hunc. Alias desertor dicitur qui desistit ab accusatione, *l.* 1. §. *suspecti. ff. ad SC. Turp.* & desertionis periculum incidit. In re militari desertores dicuntur, qui stationem deserunt. *l.* 3. §. *emansor. l.* 4. §. *pen. l.* 5. *de re milit.* Secundum Canones desertores dicuntur, qui Ecclesiæ ministeriis propriè destituti; ad alia fugæ vitia se transferunt. *c. placuit. caus.* 21. *qu.* 2.]

182. Emansor est, qui diu vagatus ad castra regreditur. *d. l.* 3. §. *emansor.* [Alias remansor. *d. l.* 4. §. 13. *d. l.* 5. §. 6.]

[Differt ab errone quia erronis delictum levius est. Unde Labeo erronem levem fugitivum appellat. Nempe erro est, non quidem qui fugit, sed qui frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius ad domum redit. *l. si quis sit fugitivus* §. *erronem. ff. de adil. edict.*]

* *De filiis officialium, & militarium, qui in bello moriuntur.*

OFficialium filii in parentum defunctorum militiam succedunt. *l.* 1. *&* 2. *hic.* *

De oblatione votorum.

183. VOta sunt munera, quæ ineunti anno offeruntur Principi; tanquam vota pro ejus salute. *l. unic. & ff. de verbor. sign. l. si calvitur.* 233. §. 1. *Paulo aliter accipitur. sup. part.* 7. *def.* 224.

[Nempe solebant veteres plurima vota pro Principe nuncupare. 1. anniversaria ad diem quo Imperii Princeps sumptus esset. *l. omnes. sup. de feriis.* 2. concepta ob salutem, Principis à Sacerdotibus Consulibus, idque post tertium diem Cal. Ian. *l.* 233. §. 1. *de V. S.*

De numerariis, actuariis, & chartulariis, & adjutoribus, sive scriniariis, & exceptoribus sedis excelsæ, ceterorumque judicum, tam militarium, quam civilium.

184. NUmerarii sunt, qui in officio Magistratuum chartas publicas administrant, *Cod. Theod. de numer. lib.* 1. & rationes supputant. *August. lib.* 2. *de lib. arb.*

185. Actuarii sunt, qui acta Magistratuum perscribunt.

186. Chartularii sunt, qui chartas & codices, ad largitionales titulos pertinentes tractabant, id est, ad ea quæ, privato Principis ærario illata, magna ex parte in largitiones insumebantur. *l. nulli.* 10. *in fine & sup. de can. larg. titul. l.* 5.

187. Adjutores sunt, qui officiis, levandi laboris causa, adjunguntur. *d. l. nulli.* 10. *hic.*

188. Scriniarii, scriniis inserviunt sub magistris scriniorum.

189. Exceptores sunt, qui in scriniorum officiis dictata breviter accipiunt. *sup. de prox. sacr. scr. l.* 5. *l. in sacris.* 12. *& de Palatinis sacr. largit. l.* 5. 7. *& ult. & de re milit. l. ult.* §. *hoc quoque: & de castr. pec. l. ult.*

190. Sedes excelsa est, tribunal præfecti Prætoris.

De cursu publico, Angariis, & Parangariis.

191. CUrsum publicum habere via dicitur, per quam solent equi dispositi (quos vulgus postas appellat) currere. *conjung. def.* 172. *sup. hoc lib.*

192. Angaria est, onus currendi per hujusmodi viam. *ut notat. in Eclog. Basil. lib.* 5. *tit.* 1.

193. Parangaria est, onus currendi per aliam viam; *ut notatur eod. loco.*

194. Veredi sunt, equi quibus utuntur in cursu publico.

195. Paraveredi sunt, equi quibus utuntur alio versus.

De Tractatoriis, & stativis.

196. TRactatoriæ sunt, diplomata, quæ dabantur utentibus cursu publico; quibus ascribebantur stativa.

197. Stativa sunt, diversoria & mansiones quibus alebantur sumptu publico, qui cursu publico utebantur.

De apparitoribus præfectorum Prætorio, & privilegiis eorum.

198. APparitores, *hoc tit.* seu viatores, sive executores, *Inst. de act.* §. *tripli.* sunt Magistratuum ministri, qui eorum jussa exequuntur.

De cohortalibus, & principibus cornicu-lariis, ac primipilaribus.

COhortales definivi, *part.* 3. *def.* 165.

199. Principes sunt, qui primum locum in cohortibus obtinent.

200. Cornicularii sunt, qui cornibus Secretarii præerant, hoc est, armati in concilio stabant.

201. Primipilares sunt, qui primipili curam gerunt.

202. Primipilum est, cura annonæ militaris.

203. Primipilus est, primæ cohortis decurio, hic annonam inter milites distribuebat.

De

De diversis officiis, & apparitoribus judicum, & probatoriis eorum.

204. PRobatoriæ (quæ in Novella vocantur δικμαγοίας, & σύμβολα) sunt diplomata apparitionis, ex scrinio epistolarum emissa. *l. 6. h. t.* & manu Principis subscripta. *l. probatoriar. 9. eod.*

De executoribus, & exactoribus.

205. EXecutores, sive exactores sunt, qui in provincias mittuntur exequendi & exigendi causa.

Publicæ lætitiæ vel Consulum nuntiatores, vel insinuatores constitutionum, & aliarum sacrarum vel judicialium litterarum, ex descriptione, vel ab invitis ne quid accipiant immodicum.

206. NUntiator est, qui publicam lætitiam, vel consulis electionem, vel aliud simile factum, indicat.

207. Insinuator est, qui aliquid in acta publica refert.

208. Insinuatio est, in acta publica relatio.

209. Sacræ litteræ sunt, quæ à Principe emanant.

210. Iudiciales litteræ sunt, quæ à judicibus mittuntur.

211. Descriptio est, notitia ejus quod nuntiatoribus, vel insirmatoribus, aliisve, officii causa solvere oportet.

LIBER DECIMUS

Ex Decretalibus.

De Constitutionibus.

[DEfinitiones juris Canonici pauciores sunt, quod plurimæ in jure civili jam sint explicatæ.]

* Est jus Canonicum, jus positivum, quod à summis Pontificibus Ecclesiæ Romanæ traditum, constitutum vel approbatum fuit. *

[Est vel scriptum, vel non scriptum.]

* Scriptum, vel est jus divinum, vel constitutio.

Ius divinum est, quod in lege continetur & Evangelio. *dist.* 1. *in sum.* *

[Dividitur Constitutio in Ecclesiasticam, & civilem. Sed hic potissimum consideratur Ecclesiastica, quæ canon appellatur. *distinct.* 3. *c. canon.*

Constitutio Ecclesiastica est, decretum Pontificis, & statutum conciliorum. *Auctor Isag. hic.*]

* Concilia vel sunt generalia, vel provincialia, vel Episcopalia.

Generalia sunt, quæ Episcopi ex universo orbe auctoritate sedis Apostolicæ, *c.* 1. *&* 2. *dist.* 17. fidei Evangelicæ asserendæ gratia, in unum convenientes, condiderunt. *c.* 1. *in princ. vers. sub hoc. dist.* 15.

Provincialia sunt, quæ Ecclesiasticis de caussis, Metropolitano omnes provinciæ Episcopos convocante celebrantur. *c. propter.* 14. *dist.* 18.

Episcopalia sunt, quæ Episcopus in sua diœcesi con-

convocatis Abbatibus, Presbyteris, Clericis, singulis annis celebrat: *c. pen.* 1. *palea. dist.* 18.

Decretum Pontificis est, Constitutio Ecclesiastica à summo Pontifice, vel solo, vel Cardinalium Episcoporum consilio adhibito, aut ultro, aut aliquo interpellante, facta. *c.* 1. *hic. c. generali*, 25. *qu.* 1.

Ius Canonicum non scriptum, in Ecclesiæ Romanæ consuetudine recepta consistit. *c. nolite.* 3. *c. Ecclesiasticarum.* 5. *dist.* 11. *c.* 9. *hic.* *

2. Decretales epistolæ sunt, constitutiones summorum Pontificum. *dist.* 19.

De Rescriptis.

3. RESCRIPTA sunt litteræ, *c.* 1. *& passim.* à summo Pontifice, *cap.* 2. *& passim.* vel ab Imperatore, *Cod. de precib. Imp. off. l.* 2. *& si contr. jus vel util. pub. l.* 1. *cum sim.* vel à Vicario Pontifice. *infr. de vicar. cap. pen.* emissæ, ut inter personas inter quas conceduntur, & in his negotiis seu rebus super quibus emittuntur, vim constitutionis habeant. *cap. cum dilect.* 22. *& infr. de concess. preb. cap. constitutus.* 11.

[Nempe rescripta sunt personalia, & inter eas tantum personas obtinent vim constitutionis, inter quas conceduntur. *c. constitutus.* 11. *de concess. praben.*

Sunt, 1. vel Apostolica, vel Imperialia, vel Episcopalia. *ut habet definitio.* 2. vel generalia, vel specialia. 3. vel meritoria, præceptoria, inhibitoria, permissoria. 4. vel justitiæ, vel gratiæ.]

4. Rescripta monitoria sunt, quæ monent ut aliquid fiat, vel ne fiat, & sine causæ cognitione conceduntur, cum clausula, *Si senseris te gravatum.* *Cin. in l. quoties. Cod. de fideicom. Bartol in l.*

filiusf. §. *Divi. in fine. n.* 16. *Iason.* 1. *lectur. num.* 115. *& in* 2. *lectur. n.* 5. *l.* 157. *de leg.* 1. *Mendosa in tractat. de monit. qu.* 2.

5. Præceptoria sunt, quæ aliquid fieri jubent, & causa cognita conceduntur, sine dicta clausula. *dd. Doctor.*

6. Inhibitoria sunt, quæ aliquid fieri vetant, & causa cognita conceduntur, sine dicta clausula. *dd. Doctor.*

7. Permissoria, seu litteræ facultatis sunt, quæ aliquid fieri permittunt. *Inf. lib.* 6. *c.* 4. *& ibi in summario.*

8. Litteræ justitiæ sunt, quæ sunt juri consentaneæ.

9. Litteræ gratiæ sunt, quæ juri communi derogant ex bono & æquo.

[*De consuetudine.*

IUs non scriptum consuetudo est, definita supra, *lib.* 1. *def.* 30.]

De postulatione Prælatorum.

[EPiscopi ac ceteri Prælati promoventur, vel per postulationem, vel per electionem.]

10. Postulatio est, concors capituli petitio, ut is promoveatur, sive assumatur, qui non propter animi, aut corporis vitium, sed ob alium defectum eligi nequit, propter quem non est inhabilis ad serviendum Ecclesiæ; ut, *quia laïcus, aut minor triginta annis.*

* Est vel solennis, statim definita; vel non solennis, seu simplex.

Hæc nullam solennitatem desiderat; & ei sit, cujus consensus necessarius (quia ejus interest) ut

ut vir alioquin undequaque idoneus promoveri possit. *Alb. c. 1. hic.*

11. Nominatio est, plurium personarum designatio, ut una ex his promoveatur. *Hostiens. in §. quis postulandus. §. qualiter fiat stipulatio.*

[Differt puta nominatio à postulatione. 1. quod postulatio est unius certæ personæ, nominatio plurium. 2. illa solennis, hæc minus solennis.]

De electione, & electi potestate.

12. Electio est, alicujus idoneæ personæ ad prælationem, vel fraternam societatem, canonicè facta, vocatio, *Hostiens. in §. 1. & Gloss. in c. in verbo vera postulatio. de postuland. lib. 6.*

[Fit aut per scrutinium, aut per compromissum, aut per inspirationem.]

13. Electio per scrutinium est, cum præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, assumuntur tres de collegio, fide digni, qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta, mox publicent in communi, ut is eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars capituli, consensit. *c. quia propter.* 42.

14. Per compromissum est, cum eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice omnium, loco vacanti prospiciant. *d. c. quia propter. vers. vel saltem.*

15. Per inspirationem est, cum simul omnes electores, quasi divino impulsu commoti, statim, nullo præcedente tractatu, in unius electione consentiunt. *d. c. quia propter. vers. aliter.*

16. Ele-

16. Electi potestas est, facultas assentiendi electioni, *Inf. lib. 6. hoc tit. cap. 6.* & post confirmationem electionis à superiore factam res Ecclesiasticas administrandi, atque ea quæ sunt jurisdictionis exercendi, (ut puta corrigendi, excommunicandi. *c. 7. §. 1. transmissam. 15. & infr. lib. 6. c. 5.*) & post consecrationem ea faciendi, quæ sunt ordinis, ut Clericos consecrandi, vel deponendi. *cap. quod sicut. 28. §. super eo.*]

De translatione Episcopi.

[POtestas electi variè limitatur. I. per Episcopi translationem.]

17. Translatio Episcopi (quæ etiam mutatio vocatur. *vii. qu. 1. cap. mutationes. 35.*), est dissolutio vinculi, quo Episcopus cum priori Ecclesia junctus erat, & ad alteram Ecclesiam transitio, *sup. tit. prox. c. in causis. 30. in fin. & de post. prel. c. 2. in fine. & c. 4. in fin.* propter publicam utilitatem, *quia verisimile est Episcopum magis profecturum in Ecclesia ad quam transfertur.* vel propter necessitatem facta; ut, *propter hostium metum. Quo casu necessitate cessante ad priorem Ecclesiam redire debet. vii. qu. 1. d. c. mutationes. 35: cum trib. seq. & c. pastoralis. 43.*

De auctoritate & usu pallii.

[II. LImitatur potestas electi, speciatim ratione Archiepiscoporum & Patriarcharum, ex usu pallii. Sine quo illi ea quæ ad ipsorum spectant officium, exercere non possunt.]

18. Pallium est, insigne Archiepiscopale de Beati Petri corpore sumptum, *sup. de elect. c. 4.* quo

quo à Sede Apostolica Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione, confertur. *c.* 3. *& infr. de privil. antiqua* 23.

* Vel; Pallium est ornamentum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, & quandoque etiam Episcoporum, de corpore Beati Petri sumptum, Pontificalis officii plenitudinem conferens, *Alb. in Rubr. hic.* humeros pectusque more sacerdotalis stolæ ambiens, ante pectus pendens, cruces nigras intextas habens, alia ornamenta supertegens. *Silv. in sum. verb. pallium.* *

19. De corpore Beati Petri sumi dicitur, quod à Papa super altari Beati Petri consecratum, & ibi positum, is qui usurus est, aut pro eo absente alius, inde accipit. *Gloss. in d. can.* 4. *in verb. corpore assumuntur.*

20. Auctoritas Pallii est, potestas, quam, Pallio accepto, Archiepiscopus habet, Synodum convocandi, chrisma conficiendi, Ecclesias dedicandi, Episcopos vel Clericos ordinandi. *Sup. de elect. c. quod sicut.* 28. §. *super eo. & dist.* 100. *in princ. c.* 1.

De renuntiatione.

[III. IUri suo renuntians eo privatur, nec pœnitentiæ hic locus.]

21. Renuntiatio est, sponte & libera voluntate, *cap.* 5. *& infr. de his qua vi metusve cau. fiunt. c.* 2. *&* 4. ex justa causa. *c. nisi pridem.* 10. superioris permissu (si superiorem habeat. *Infr. lib.* 6. *cap.* 1.) & in ejus manibus facta resignatio. *c. cum in dubiis.* 8. *& c. ult.*

* Vel; Renuntiatio est, juris proprii sponta-
nea.

nea remissio, ex certis causis & cum auctoritate superioris facta.

De supplenda negligentia Prælatorum.

[IV. PRivatur Prælatus jure suo propter negligentiam.]

22. Negligentia est, ejus quod fieri debet ac potest, omissio. *Hostiens. hic.*

23. Suppletur negligentia eo facto, quod neglectum fuit, *c.* 3. *cum multis sim.* vel dato visitatore qui id faciat. *Infr. lib. 6. c. ult.*

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

[V. PRælatus, antequam per consecrationem ordinetur, ea quæ sunt ordinis, peragere non potest.]

24. Ordinatio est, personæ Ecclesiasticæ consecratio, per quam gratia, & potestas obeundorum Ecclesiasticorum munerum confertur.

De scrutinio in ordine faciendo.

25. SCrutinium facere est, inquirere, an is de cujus electione agitur, sit idoneus.

[Nempe cognoscendum, an is qui ordinari debet, sit idoneus. Ad id, scrutinium adhibetur. Quæ in eo forma observetur. *vid. c. quando. dist.* 4.]

26. Ordo est, Clericorum dispositio, jure constituta, secundum quam in altiori sacerdotii ordine sunt Episcopi: in inferiori Presbyteri; in sacris Diaconi, & Subdiaconi; in posterioribus ordini-

ordinibus Acolyti, Exorcistæ, Lectores, & Ostiarii, quos omnes definivi, *lib. 5. ad tit. de Episc. & Cleric. in alia significatione ordinem accipio, inf. def. 36.*

De sacra unctione.

27. Sacra unctio est, visibile signum gratiæ, invisibiliter à Spiritu Sancto infusæ, ut unctus officio & ministerio sibi commisso rectè fungi possit.

De sacramentis non iterandis.

28. Sacramentum est, invisibilis gratiæ visibilis forma. *dist. 2. de consecrat. c. sacrificium. 32.*

* Sunt septem. 1. Baptismus. 2. Confirmatio. 3. Eucharistia. 4. Pœnitentia. 5. Ordo sacer. 6. Matrimonium. 7. Extrema unctio. *

29. Baptismus est, externa hominis ablutio cum certa forma verborum (quæ sunt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *de consecr. dist. 4. cap. propriè. 12. & c. si quis Presbyter. 78. & c. multi. 81.*) internam animæ ablutionem designans, & operans. *Gloss. in c. 1. ead. distinct. 4.*

* Est triplex; fluminis, jam definitus & propriè dictus, & flaminis, & sanguinis, metaphoricè baptismi dicti. *c. 34. & c. 37. dist. 4. de consecr.*

Flaminis baptismus est, quando quis per Spiritum Sanctum mundatur, dum fidem suam coram persecutore confitetur, & dum justo errore ductus, credit se fuisse baptisatum. *c. 4. eod. c. 2. de Presbyt. non baptis.*

Sanguinis est, cum quis animam cum sanguine

guine ob Christum effudit, priusquam baptizari possit. *d. c.* 34. *& d. c.* 32. *

30. Confirmatio est, inunctio in fronte, quæ per Episcopum fit sacro chrismate, manus impositionem designans, *sup. tit. prox. c. unic. §. per frontis.* his verbis adhibitis: Ego te consigno signo crucis, & confirmo te chrismate, salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Angel. de clau. in verb. confirmationis.* §. 9.

31. Eucharistia est, participatio Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, vi illorum verborum, hoc est Corpus meum, & hic est Sanguis meus. * *c.* 33. *c.* 43. *de consecr. dist.* 2.

Pœnitentia, in peccatis retractandis est, vindicta in se, quod dolet commisisse, puniens. *c.* 4. *de pœnit. dist.* 3.

Est vel interna, quæ est virtus mentis; vel externa, quæ est Sacramentum.

Hæc definitur, signum sensibile, seu imago rei sacræ, videlicet remissionis peccatorum, per sensibilem contritionem, confessionem & absolutionem. *

32. Vel Pœnitentia est, Sacramentum, *Mag. sent. lib.* 4. *dist.* 14. *sect.* 1. cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione concurrentibus, peccatorum remissionem operans. *de pœnit. dist.* 1. *perfecta.* 40. *Mag. sent. d. lib.* 4. *dist.* 16. *sect.* 1.

* Est vel publica; quæ imponitur peccatis manifestis; vel privata, sive occulta; quæ peccatis arcanis. *c.* 1. *&* 7. *hic. de pœnit.*

Publica est, aut solennis, aut non solennis. *c.* 61. *vers. potest. dist.* 50.

Solennis incipit in capite quadragesimæ; imponitur ab Episcopo, *c.* 63. *c.* 64. *dist.* 50. semel, *d. c.* 61. *vers. potest.* pro maximis criminibus publicis.

blicis, c. 84. eod. dist. 1. certis observatis solennitatibus. *de quib. in d. c. 63. & d. c. 64.*

Non solennis imponitur à Sacerdote, *d. c. 63. c. 12. de exceßib. prał.* publica, puta ante fores Ecclesiæ cum face seu teda ardente, & aliis solennitatibus, extra tempus quadragesimæ. *c. 1. hic. c. 19. cauſ. 2. qu. 1.*

Privata pœnitentia est, quæ in occulto fit Deo & Sacerdoti, qui eam imponit, etiam pro peccatis gravioribus, sed occultis. *c. 2. hic.* *

33. Cordis contritio est, dolor quem quis ex suis peccatis voluntariè capit, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. *Lancelot. Inst. can. lib. 2. tit. 5. §. constat.*

34. Confessio est, canonica peccatorum coram Sacerdote facta declaratio. *Lancelot. d. loco.*

35. Satisfactio est, operis præstatio, quo admissi delicti compensatio quædam fit.

36. Sacer ordo est, Sacramentum, quo superior manum imponens ordinato potestatem Ecclesiasticam tribuit. *c. ult.* In alia significatione ordinem accipio, *sup. def.* 26.

Matrimonium definivi, *sup. lib.* 4. *Nov.* 98.

37. Extrema unctio est, Sacramentum, quo tam graviter ægrotantium, ut eo morbo morituri probabiliter videantur, certæ corporis partes sanctificato oleo à Presbytero inunguntur, ut non minus animæ, quam corporis sanitatem operetur. *Magist. sent. lib. 4. dist. 23. sect. 2.*

* Est duplex unctio, vel externa, vel interna.

Externa est, qua corpus; Interna, qua cor inungitur. *c. un. in princ. de sacr. unct. c. 6. de pœnit. act. 2.*

Sacramentum est unctio externa; res Sacramenti est unctio interna, quæ peccatorum remissione

missione & virtutum auctione perficitur. *Magist. sent. d. loc.* *

De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non.

38. Filius Presbyteri dicitur, qui ab eo, vel in Presbyteratu, vel ante Presbyteratum susceptus est.

[Ante Presbyteratum filius est, vel legitimus ex justis nuptiis, vel ex alio coitu susceptus. In Presbyteratu filius legitimus procreari nequit.] * Cum omnibus Presbyteris matrimonium sit interdictum. *

De Bigamis non ordinandis.

[Constitutum Canonibus, ut ne bigamus ordinetur, licet uxore mortuâ, nec cum iis dispensetur.]

39. Bigamus propriè dicitur, qui binas nuptias contraxit, licet prioribus solutis, posteriores contraxerit.

40. Quasi bigamus est, qui repudiatam, *c.* 1. aut viduam duxit, *c.* 3. 5. *& ult.* & qui secundas nuptias inutiles contraxit. *c.* 4.

41. Irregularitas est, Canonicum impedimentum, ex facto, seu defectu proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoveri, quam promotus in iis ministrare prohibetur. *Lancel. Instit. jur. can. lib.* 4. *tit. ult.* §. *cavebunt.*

De Clericis peregrinis.

[Clerici qui, *vide lib.* 8. *defin.* 14.]

42. Peregrini dicuntur, qui non sunt de

de Episcopatu ordinantis. [De istis intelligenda Rubrica, aliàs extranei dicti.]

43. Item peregrini dicuntur, qui peregrinantur. *Inf. de tr. & pa. c. ult. & xxiv. qu. 3. c. si quis Romipetas.* 23. *& in const. Frid. de stat. & consult. con. lib. Eccles.* §. *omnis peregrini.*

[Alibi nempe; & intellige eos qui religionis caussa peregrinantur.]

44. Præterea [in jure civili] peregrini dicuntur, qui non sunt cives Romani. *C. de her. inst. l.* 1.

De officio Archidiaconi.

45. Archidiaconus primum locum post Episcopum tenet, ejusque Vicarius est in omnibus, & omnis cura in clero ad eum pertinet. *c.* 1. *h. t.*

* Vel, Archidiaconus est, vicarius proximus Episcopo, omnem sollicitudinem & curam, tam in Clericis, quam in Ecclesiis eorum, cognitionemque & ordinariam jurisdictionem habens. *c.* 1. *hic.* *

De officio Archipresbyteri.

46. Archipresbyter est, qui Presbyteris, & Presbyteralibus officiis præest. *c.* 1. *& dist.* 25. *c. perlectis.* 2. *vers. Archipresbyter.*

* Vel, Archipresbyter est, prælatus ceteris Presbyteris eminentior, vicem Episcopi in spiritualibus gerens. *c.* 2. *&* 3. *hic.* *

[Est vel urbanus, qui in urbe circa divina vicem Episcopi absentis sustinet, & præsentis curam minuit. *c. pen.* vel ruralis, & Decanus dictus, qui per singulas plebes constitutus, cum plebis,

plebis, tum Presbyterorum per minores titulos habitantium curam gerit. *c. ult.*]

De officio Primicerii.

47. PRimicerius Archidiacono subest: [sicut Archipresbyter,] Diaconus autem & reliquis inferioribus, eorumque disciplinæ [ut custodiæ in docendo] præest. *c. un. aliter accipitur primicerius, supr. part. 9. def.* 137.

De officio Sacristæ.

[SImiliter Archidiacono subest Sacrista.]

48. Sacrista, *ut in hac rub.* seu thesaurarius, *dist. 25. c. perlectis in fin.* seu Cimeliarcha, *Cod. de bon. auth. jud. possid. l. vel. §. ult.* seu custos, *inf. tit. prox.* est is ad cujus curam pertinet custodia sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, ac totius thesauri Ecclesiastici; nec non ceræ, vel olei ad luminaria pertinentis. *c. unic.*

De officio Vicarii.

49. VIcarius est, qui alienam vicem in ordine Ecclesiastico gerit.

* Constituuntur, vel ad divina ministeria celebranda, & nomen retinent: vel ad jurisdictionem exercendam, & Officiales, vel Missi Dominici dicuntur. *Gloss. in rubr. hic. & Gloss. in Clem. 2. verb. Officialis. de rescript.* *

De

De officio, & potestate judicis delegati.

50. JUdex delegatus est, qui vices delegantis gerit, in caussis sibi commissis. *c. sane quia.* 11. *c. cum olim magister.* 33.

[Hoc verò titulo vel solum, vel potissimum agitur de delegato à Papa, vel de ejus subdelegato, quique indè in caussa sibi commissa potestatem habet, etiam supra judicem ordinarium. *Auctor Isag. hic.*]

51. Ad ejus officium pertinet, quod facere debet.

52. Ad ejus potestatem refertur, quod facere potest.

De officio legati.

53. LEgatus Sedis Apostolicæ est, judex ordinarius qui vices Papæ gerit in provincia. [*c.* 1. 7. *&* 8.]

[Differt à delegato à Papa; quia huic tantum una, vel aliquot certæ causæ delegantur; Legatus verò de omnibus caussis, tanquam judex ordinarius, cognoscit. 2. A nuntio Apostolico, ut qui ita mittitur negotii publici causa, ut non sit judex. *c.* 2. *de regular. Cuchius Inst. jur. can. lib.* 1. *tit.* 15.]

* Legatorum, de quibus hic agitur, tres sunt species; alii sunt legati de latere, alii missi, alii nati. *c.* 1. *hic. n.* 6. *c.* 9. *hic.*

Legati de latere, sunt Cardinales qui ex latere summi Pontificis, & ejus Senatu, *c.* 7. *Ecclesia.* 16. *qu.* 1. accipiuntur, & nomine ejus, potestate acceptâ, in provincias mittuntur.

Legati missi sunt, qui extra ordinem Cardina-

lium constituuntur & in provincias per summum Pontificem cum mandato & potestate mittuntur. *d. c.* 1. *& d. c.* 6.

Legati nati sunt, qui ratione privilegii, beneficii possessi, potestatem à summo Pontifice habent, tanquam ejus legati. *d. c.* 1. *

De officio judicis ordinarii.

54. JUdex ordinarius est, qui jurisdictionem habet suo jure, id est, jure Magistratus, & officii quod sustinet.

[Quo distinguitur à judice delegato, & eo cui mandata est jurisdictio. Hæc verò in civilem, & Ecclesiasticam dividitur. *c.* 6. *inf. de major. & obed.*]

De officio judicis.

55. AD officium judicis spectat, quidquid judex, quatenus judex, facere debet. [*l.* 1. *de jurisd.*]

De majoritate & obedientia.

56. MAjoritas est, prærogativa, qua major minori præstat.

* Ejus multæ sunt causæ; nempe ordo, potestas, tempus ordinationis, dignitas, & prærogativa ordinantis. *

57. Obedientia, est obsequium, quod minor majori exhibet, officii causa.

De Treuga, & Pace.

58. TReuga est, belli suspensio, qua pendente hostiles actus sunt interdicti.

[Pax

[Pax est humanarum rerum tranquillitas.

Dicta à pactione, quæ utrique populo, inter quem pax initur, sit observanda. *l.* 1. *de pact. & ibi Gothofr.*

Differt à Treuga, quod pax sit Treuga perpetua, Treuga pax temporalis.

Treuga est, vel conditionalis, vel Canonica.]

59. Induciæ, seu Treuga conditionalis est, cum in breve, & præsens tempus inter hostes convenit, ne se invicem lacessant. *ff. de capt. l. postliminium.* 19. §. 1.

60. Treuga Canonica est, quæ certis temporibus jure Canonico constituitur, ita ut eam violans puniatur.

[Plures titulos transit auctor, & hic & alibi, quod definitiones rerum iisdem contentarum habeantur supra, sive in Digestis, sive in Codice. Quod notandum.]

De libelli oblatione.

61. Libelli oblatio est, editio actionis libello comprehensæ.

De mutuis petitionibus.

62. Mutua petitio est, qua reus ab actore, à quo conventus est, invicem aliquid petit.

63. Reconventio est, mutua petitio primæ petitioni, apud eumdem judicem. *ii. qu.* 8. *c.* 1. *vers. cujus.* opposita, & eodem judicio, eademque sententia terminanda. *cap.* 1.

[Nempe non idem est mutua petitio, & reconventio. *l.* 6. *C. de rescript. c.* 3. *hic.* sed differunt tanquam genus & species; ita ut reconven-

tio fit quidem mutua petitio, sed non omnis mutua petitio reconventio. Nempe reconventio, cum respiciat conventionem, fit non solum apud eundem judicem, sed & in eodem judicio, & eâdem terminatur sententiâ. Mutua verò petitio potest spectari per se, non habita conventionis ratione. c. 2. j. de ord. cogn.]

* Reconventio est duplex, vel propria, vel impropria.

Propria, quæ ab initio instituta, ut pari passu cum conventione procedat.

Impropria; quæ non ita instituta & usque ad conclusionem in causa locum habet. *

De restitutione spoliatorum.

64. Spolium, seu spoliatio est, violenta possessionis privatio. *cap.* 1. 2. 3. *& passim.*

* Fit vel per vim expulsivam, *c. item.* 6. *eod.* vel ablativam, *c.* 11. *eod.* vel compulsivam. *c.* 2. *eod.* *

[Nempe non tantum cadit in res mobiles. *c. gravis.* 11. sed & immobiles. *c.* 1. *& jura. c. olim.* 17.

Est verò alia licita, quæ fit jure jubente, de qua hic non agitur; alia violenta.

Violentæ verò ratione notandum, sive de spolio aliquis queratur agendo, sive excipiendo, spoliatum omninò esse restituendum. Adeò ut conventus ante restitutionem ne quidem respondere cogatur. *S. de mut. petit. c. ult.*]

De

De dolo, & contumacia.

DOlum definivi, *lib. 1. def.* 65. Contumax est, qui dolo malo non obtemperat judici cui potest ac debet obtemperare. *D. de re jud. l. contumacia. 53. & l. seq.*

De appellationibus, recusationibus, & relationibus.

APpellationem definivi, *part. 7. nu.* 135. 66. Recusatio est, suspecti judicis rejectio. De relatione, *vide part. 7. nu.* 136.

[*De Clericis peregrinantibus.*

DIfferunt Clerici peregrinantes à Clericis peregrinis. Quod Clerici peregrini dicantur qui extra provinciam, seu diœcesin habitant. Peregrinantes, qui ut sedem Apostolicam adeant, iter faciunt. *c. un. hic.*]

* *De confirmatione utili, vel inutili.*

COnfirmatio utilis est, actus legitimi vel Canonicè celebrati per jus confirmandi habentem, ex certa scientia & causa cognita facta corroboratio. *c. 3. hic.* *

Inutilis est, quæ per subreptionem. *c. 2. hic.* vel obreptionem, *c. ad nostram. hic.* impetrata.

De vita & honestate Clericorum.

VItæ honestas est, agendi dexteritas, qua hominis animus ita informatur, ut detestando vitia, ea quæ cum virtutibus congruunt, amplectatur.

Est duplex, vel interna, vel externa.

Interna est, animi probitas, quâ præditi cupiunt, ex juris & virtutum præscripto vivere.

Externa, quæ in externis secundum virtutem actionibus consistit. *

De præbendis, & dignitatibus.

67. PRæbenda, seu beneficium, est jus percipiendi reditus Ecclesiasticos, plerumque ex Canonia proveniens.

[Nota *plerumquè*; quia præbenda potest esse sine Canonia, sed non potest esse Canonia sine præbenda. *Gl. in c. cum M. 9. in verb. receperunt. ext. de constit.*

Canonia est, jus spirituale, proveniens eo ipso quod aliquis recipitur in Canonicum. *Panorm. C. cum M. Ferrariens. ext. de const.*]

Dignitatem definivi, *part. 9. def.* 128.

* Dignitas, hic est, prærogativa personæ Ecclesiasticæ, quâ præditi Prælati appellantur, & habent jurisdictionem Ecclesiasticam; ut Archiepiscopatus, Episcopatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatia, Prioratus. *c.* 28. *hic. c.* 3. *de off. ordin. c.* 2. *& ibi Gloss. & c. ult. de judic.* *

68. Personatus est, dignitas Ecclesiastica. *sup. de Const. c. cum accessissent.* 8.

De institutionibus.

69. INstitutio est, juris Ecclesiastici, id est, dignitatis, vel officii, vel præbendæ, concessio.

* Vel, est beneficii juri patronatus subjecti, ad præsentationem patroni, facta translatio. *

70. Specialiter accepta institutio est, juris Ecclesiastici libera, nullius præsentationi adstricta, concessio.

71. Collatio est, juris Ecclesiastici in eum qnem patronus præsentavit, translatio.

* Imò collatio est libera quædam præbendæ concessio.

Est vel ordinaria, vel extraordinaria.

Ordinaria, quæ fit ab Episcopo, Capitulo, aliòve Prælato, sive seculari, sive regulari, ex lege, vel consuetudine, facultatem præbendas concedendi habente. *c.* 14. 15. *c.* 16. *de concess. prabend.*

Extraordinaria, quæ vel ex mandato legati, vel ex rescripto Pontificis. *

[*De concessione præbendæ, vel Ecclesiæ non vacantis.*

VAriè fit ut præbenda, vel Ecclesia vacet. 1. morte ejus à quo obtinebatur. *c.* 3. *&* 4. *de post. prælat.* 2. renuntiatione; *c.* 6. *de renuntiat.* 3. degradatione; *c.* 27. *de verb. sign.* 4. translatione; *c.* 2. *de postul. prælat.* 5. Ejus qui habens præbendam majorem dignitatem est adeptus resignatione; *c.* 6. *&* 9. 6. Spoliatione. Prioribus omnibus casibus liberè in alium conferri potest, ultimo spoliato restitui debet.]

De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

72. PRælatus est, qui Canonicis, & capitulo præest.

73. Capitulum est Canonicorum collegium.

De Precariis.

74. PRecariæ sunt contractus quo prædium perpetuò, vel ad longum tempus, fruendum conceditur, *x. qu.* 2. *c.* 4. ita ut annua pensio præstetur, *Nov. Leo.* 13. & singulis lustris renovetur. *c.* 1. *& d. qu.* 2. *c.* 5.

75. Lustrum est spatium quinquennii.

[Contractus hic, jure civili incognitus, spectatur in solis rebus Ecclesiasticis, & ab Ecclesiasticis quidem excogitatus, quod res Ecclesiasticæ, ut non alienari, ita nec in emphyteusin dari possint; cui hic est affinis, & quasi emphyteusis; quomodò etiam à Leone, *Nov.* 13. vocatur.]

De Feudis.

[FEudum (à fide, quod Italis *fede* dictum, licet alii aliunde derivent: quippe nomen est Longobardicum) est, beneficium quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ apud dantem remaneat; ususfructus verò illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque ejus masculos, sive fœminas (si de his etiam expressè dictum sit) in perpetuum maneat, ad hoc, ut ille ejusque heres domino serviat, sive servitium il-

lud

lud nominatim quale esse debeat expressum, sive indeterminatè. *Definitio est Oberti de Orto.* Vel brevius]

76. Feudum est, beneficium quo dominium utile cum onere præstandi domino servitia transfertur, retento dominio directo.

* Vel potius; Feudum est jus, alieno prædio in perpetuum certo modo utendi fruendi, quod pro beneficio dominus dat, *id hic est confert*; eâ lege ut qui accipit, sibi fidem & militiæ munus aliudve servitium exhibeat. *

77. Senior vel dominus est, qui dominium utile transtulit, ac directum retinuit.

[Senior dictus non à Latino vocabulo *Senex*, sed Longobardico *Signore*, quod dominum notat.]

78. Vasallus, seu beneficiarius, seu cliens, vel clientulus, seu miles, seu fidelis est, qui dominium utile accepit cum onere servitia præstandi.

[Vasallorum ordines sunt quatuor. In quorum primo sunt capitanei majores.]

79. Capitaneus major, seu regni, seu regis est vasallus primi ordinis, nempe Dux, vel Marchio, vel Comes, qui feudum ab Imperatore, vel Rege accepit, id est, investitus de Ducatu, vel Marchia, vel Comitatu. 1. *feud.* 1. *in princ.* & §. *ult.* & *lib.* 2. *tit.* 10.

[In secundo, capitanei minores.]

80. Capitaneus minor, seu regni, seu regis, valvasor, seu major valvasor, est vasallus secundi ordinis, qui à Principe, vel Duce, vel Marchione, vel Comite, de plebe aliqua, vel plebis parte, per feudum est investitus. *dictis locis.*

[In tertio, minores valvasores.]

81. Minor valvasor est, vasallus tertii ordinis,

nis, qui à majori valvasore feudum tenet, *dictis locis*.

[In quarto, valvasores minimi.]

82. Valvasor minimus, seu Valvasinus est, vasallus quarti ordinis, qui à minori Valvasino, feudum accepit. *dictis locis*.

83. Pares, 2. *feud. tit.* 16. *de contr. Feu. ap. Tervin. & tit.* 19. *an remo. deb. test.* seu pares curiæ, vel curtis, 1. *feud. tit.* 2. *de feud. guard.* §. 1. *& tit.* 3. *qui success. feud. da. ten. & tit.* 4. *si de invest. feud. contr. fuer.* §. *item si vasallus & lib.* 2. *tit.* 2. *quid sit investit. in princip.* vel pares domus, 2. *feud. tit.* 16. *de contr. feud. ap. term.* vel pares de domo, 1. *feud. tit.* 26. *si de invest. tit. dom. & vasal. lis oriat.* §. *si quis.* sunt Convasalli in eodem ordine.

[Feudum variè à variis dividitur, latissimè acceptum in proprium, & improprium.] * Seu in rectum & non rectum. *

84. Feudum proprium est, quod naturam in omnibus retinet.

* Natura feudi est, qualitas quædam innata à principio generationis feudi; & ei semper inest, nisi pacto vel consuetudine alteretur. *feud.* 2. *tit.* 48. *

85. Improprium est, quod ex parte à vero feudo degenerat, quia ex parte natura feudi mutata pactis est. 2. *feud. tit.* 2. §. *ult. tit.* 48.

[Proprium, ratione rei in feudum datæ, subdividitur in Ecclesiasticum & Seculare.]

86. Ecclesiasticum est de re Ecclesiastica.

87. Seculare de re seculari.

[Aliter feudum Ecclesiasticum dicitur, quod datur alteri ab Ecclesia, vel quod ipsa accipit ab alio, vel quod Clerico conceditur. *c.* 1. *de Cler. qui invest. ac. c.* 1. *de his qui feud. dar. poss. &* §. *fin. de cap.*

Secu-

Seculare quod à Principe, vel alio domino seculari accipitur. *c.* 1. §. *Marchio. de his qui feud. dar. poss.*

[Dividitur etiam feudum, ratione originis, in vetus seu antiquum (quod & paternum dici volunt) & novum.]

88. Vetus seu paternum est, quod aliquis ex parentibus vasalli acquisivit. 1. *feud. tit.* 4. §. *cum aut. & lib.* 2. *tit.* 11. *de success. fratr. & tit.* 12. *de fratr. de nov. benef. invest. & tit.* 14. *de vasallo decrep. at. & tit.* 50. *de natur. success. feud.* * quod à communi agnatorum parente descendit; *feud.* 2. *tit.* 11. quod à quocunque ex superioribus profluit. *feud.* 2. *tit.* 50. *

89. Novum est, quod quis de novo acquisivit: *dict. jurib.* * quo quis de novo investitur. *feud.* 1. *tit.* 45. & 49. quod frater à domino accepit. *feud.* 1. *tit.* 1. §. 2. sive quod initium habuit à fratribus. *feud.* 1. *tit.* 8. §. *fin.* *

[Discrimen tamen inter feudum antiquum, & paternum quidam faciunt. Ut antiquum sit, quod majores adgnationis alicujus supra quartum gradum habuerunt. Paternum, quod parentes usque ad quartum gradum tenuerunt; veluti, avus, proavus, abavus, atavus; Novum vocantes, quod cœpit in persona beneficiarii, nec pervenit ad eum ex successione. *c.* 1. *de success. feud. c.* 1. *de success. fratr. & grad. c.* 1. *de nat. success. feud.*

Item, ratione originis, dividitur in masculinum, & fœmininum.]

90. Masculinum est, quod masculus primum acquisivit.

91. Fœmininum est, quod fœmina primum acquisivit. 2. *feud.* 30. *de feud. fœm.*

[Alii ratione successionis definiunt feudum masculinum, quod tantum ad mares; & fœmini-

num, quod, iis deficientibus, etiam ad fœminas transmittitur.

Rursus, ratione adnexi effectus, feculare feudum subdividitur in nobile, & ignobile.]

92. Nobile est, quod infeudati nobilitatem arguit; quia nobilitatem sic habet adnexam, ut, si in ignobilem conferatur, eum nobilem reddat.

93. Ignobile, seu plebeium, seu burgense, est, quod nullam arguit nobilitatem, quia teneri etiam à plebeis potest. 2. *feud.* 10. *quis dic. Dux, Marchio. vers. ceteri.*

[Nobile feudum subdividitur in regale, & non regale.]

94. Regale est, quod à solo Rege, id est, à summo Principe, non recognoscente superiorem, tribuitur, & regalem dignitatem adnexam habet; ut, Ducatus, Marchia, Comitatus. 1. *feud. tit.* 14. *de feud. March. in princ. & lib.* 2. *tit.* 34. *d. lege Conrad. in princ.*

95. Non regale est, quod talem dignitatem adnexam non habet, sive à Rege, sive ab alio sit concessum; ut, cum aliquis de aliqua plebe est investitus. 2. *feud.* 10. *quis dic. Dux, Marchio.*

[Respectu officii, ad quod feudum accipiens est obligatus, dividitur in ligium, & non ligium.]

96. Ligium, seu homologum est, de quo investitus ita domino ligatur, id est, obstringitur, ut ei fidelitatem præstare debeat contra omnes, nemine excepto. 2. *feud. tit.* 93. *factum formis non voc. & tit.* 99. *de feud. ligio.*

97. Non ligium est, in quo fidelitas non præstatur adversus omnes: * sed alio excepto, ut Imperatore, *feud.* 2. *tit.* 55. Rege, *feud.* 2. *tit.* 7. antiquiore Domino, *feud.* 2. *tit.* 28. *in fin.* patre, *Cujac feud.* 2. *tit.* 7. *

[Rur-

[Rursus feudum, vel dicitur in curte, seu curia; vel extra curtem, seu curiam.]

98. Feudum in curte seu curia domini est, feudum improprium, ex quo quis à domino singulis annis aliquid accipit: ut soldatum soldatæ, vel de cavena, vel de camera, vel habitationis, vel guardiæ, vel gastaldiæ.

99. Cavena est, cella vinaria.

* Imò cavena est: locus in quo frumentum, vinum, oleum, & similia servantur, horreum seu penuarium. *Zas. de feud. part.* 4. *num.* 8. *

100. Camera est, horreum in quo frumenta reponuntur.

* Imò camera est, conclave in quo pecunia servatur. *Hotom. in lexico. verb. Camera.* *

101. Guardia est, rei custodia.

102. Guastaldia est, rerum cura, & administratio.

103. Feudum soldatæ est, cum quis in curte accipit à domino singulis annis, plerumque solidos, interdum vinum, vel annonam. 2. *feud. tit.* 10. *quis dic. Dux, March.* §. *soldat.*

104. De cavena est, cum in curte domini vinum * aliaque * singulis annis accipit.

105. De camera est, cum in curte domini singulis annis annonam accipit.

* Imò est stipendium vasallo à domino ex ærario suo concessum. *Cujac. feud.* 2. *tit.* 2. *

106. Feudum habitationis est, cum habitationem annuam à domino accipit.

* Vel, est, præstatio gratuita, cujus vi domum vel arcem aliquam vasallus inhabitare potest. *feud.* 2. *tit.* 75. *& tit.* 105. *

107. Feudum guardiæ est, quod datur pro rei custodia.

108. Feudum guastaldiæ est, quod datur pro rerum cura & administratione.

109. Feudum extra curtem eſt, cum quis à domino prædium in feudum accipit.

[Dividitur etiam feudum in hereditarium, familiare, mixtum.]

110. Hereditarium eſt, quod aliquis ſibi & heredibus ſuis, ſeu ſucceſſoribus, acquiſivit.

111. Familiare, ſeu de familia, ſeu ex pacto & providentia eſt, quod aliquis acquiſivit ſibi & filiis, vel liberis, nulla facta heredum mentione.

112. Mixtum eſt, quod aliquis acquiſivit ſibi & filiis, vel liberis, heredibus, ſeu ſucceſſoribus.

[Item in francum, vel non francum; conditionatum, & ſimplex; emtitium, & gratuitum; perpetuum & temporale; individuum & dividuum.]

113. Francum eſt, quod eſt à ſervitiis præſtandis immune; proinde eſt feudum improprium.

114. Non francum eſt, quod ſervitiorum præſtationem requirit.

115. Conditionatum eſt, quod certa lege datum eſt vaſallo; puta, ut certa ſervitia domino præſtet. 2. *feud. tit.* 23. *in fin. & tit.* 51. *de capit. qui cur vend.* §. *ult.*

116. Simplex, ſeu rectum eſt, in quo ſervitia non ſunt determinata. *d. tit.* 23. *in fin.*

117. Emtitium eſt, quod data pecunia, vel alia re, eſt acquiſitum.

118. Gratuitum eſt, quod gratis collatum eſt in vaſallum.

119. Perpetuum eſt, quod ad heredes vaſalli perpetuo tranſit. 2. *feud.* 23. *in quibus cauſ. feud. amitt. in fin.*

120. Temporale eſt, quod tempore finitur: ut guardiæ, vel guaſtaldiæ feudum anno, 1. *feud.* 2.

de

de feud. Guardia. & soldatæ feudum, morte dantis, vel accipientis, 2. *feud.* 10. *quis dic. Dux March. vers. soldata autem.* & habitationis feudum, morte accipientis. 2. *feud.* 105. *de feud. habit.*

121. Individuum est, quod dividi nequit; ut feudum regale.

122. Dividuum est, quod in plures successores dividitur, ut feudum non regale.

[Nempe omnia feuda sunt dividua, præter regale.]

De peculio Clericorum.

123. PEculium Clerici dicitur, substantia Clerici, sive sit pater, sive filiusfamilias: * acquisita puta ex proventibus sacerdotiorum. *

De sepulturis.

124. SEpultura est, cum defuncti corpus terra conditur. * Puta in cœmeterio Ecclesiæ. *

De Parœcia, & aliis Parœcianis.

125. PArœcia est, locus unam Ecclesiam baptismalem, & populum ei deputatum continens. *xvj. qu. 1. c. plures. 55.*

126. Parœciani sunt, qui eidem Ecclesiæ baptismali sunt deputati.

127. Alieni Parœciani sunt, qui sunt alii Ecclesiæ baptismali deputati.

De Decimis, Primitiis, & oblationibus.

128. DEcima est, quota fructuum vel lucri portio Deo debita. *c. paraecianos.* 14. & *c. tua nobis.* 26. *vers. cum Deo debita.*

[Est, vel personalis; vel realis, seu prædialis.]

129. Decimæ personales sunt, quæ ex lucro quod quis sua industria, seu negotiatione fecit, deducuntur. *c.* 23. *hic.*

130. Reales seu prædiales decimæ sunt, quæ de fructibus, ut, frumento, vino, pomis, sumuntur. *c.* 3. *eod.*

131. Primitiæ sunt, primæ fructuum obventiones Deo offerendæ, * antequam usibus nostris secundæ deputentur; *c.* 13. *de verb. signif.* * ita ut ad summum offeratur pars quadragesima, ad minimum sexagesima. *c.* 1. *h. t.*

132. Oblatio est, voluntaria & spontanea præstatio, quam Christiani sacerdotibus pro peccatis suis offerunt. *x. q.* 1. *c. quia sacerdotes.* 13.

De regularibus, & transeuntibus ad religionem.

133. REgulares sunt, qui certæ regulæ, ut religiosè, & sub prælati imperio vivant, sive in clericatu, sive in laicatu, sunt astricti.

[Qui si Canonici sunt, regulares; si non, Monachi dicuntur.]

134. Monachus est, regularis, non Canonicus, ideoque distinguitur à Canonico regulari.

135. Trans-

135. Transire ad religionem dicitur, qui fit Monachus.

De conversione conjugatorum.

136. Conversio est [duplex; una] qua quis à vita seculari ad religiosam transit. *ut hic.*

[Illa potest etiam à persona conjugata fieri. Idque sive ante sive post matrimonium consummatum carnis commixtione. *Vnde de illa hic.* Qua cautelâ *Auctor. Isag. hic.*

De conversione infidelium.

Altera conversio est, qua quis ab infidelitate transit ad fidem Christianam. *de qua hoc titulo.*]

De voto, & voti redemptione.

Votum definivi, *lib. 7. def.* 222.

[Dividitur in votum necessarium & voluntarium.]

137. Necessarium votum est, quod fit in baptismo, dum is qui baptisatur, Satanæ & ejus operibus renuntiat, ac se fidelem fore, ac divina præcepta observaturum, promittit. *j. qu.* 1. *c. Spiritus.* 59. §. *ecce. & de consecr. dist.* 4. *c. prima.* 72.

138. Voluntarium votum est, quod quis sponte sua & libera voluntate facit, se ad id adstringens, ad quod ante votum non tenebatur. *xviij. q.* 1. *c.* 1. *&* 2. *& xxxij. qu.* 8. *c. non solum.*

[Nempe voluntarium votum ratione initii dicitur. Semel enim factum obligat.

Hoc votum est, vel simplex, vel solenne.]

139. Sim-

139. Simplex votum eſt, quod ſolennitate vacat. *Infr. qui Cler. vel viven. c. 3.*

140. Solenne votum eſt, quod per ſuſceptionem ſacri ordinis, vel per expreſſam, aut tacitam probatæ religionis profeſſionem, eſt ſolenniſatum. *Infr. lib. 6. c. unic.*

De ſtatu Monachorum, & Canonicorum regularium.

141. STatus eſt, regula ſecundum quam Monachi, & Canonici regulares vivere debent.

De religioſis domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjecta.

142. REligioſa domus, eſt quæcunque religionis, ſeu pietatis ergò eſt exſtructa, ut Monaſterium, Orphanotrophium, Xenodochium, &c.

De Capellis Monachorum, & aliorum religioſorum.

143. CApella eſt, oratorium in quo unum eſt altare.

144. Capellanus eſt, Presbyter Capellæ inſerviens.

De jure Patronatus.

[IUs Patronatus ex jure civili ſupra definitum, *lib. 6. defin. 14.*]

145. Ius Patronatus, hoc loco eſt, jus quod aliquis, ſive Clericus, ſive laïcus, habet in Eccleſia

clesia quam ædificavit, vel dotavit, vel fundavit. *c. nobis fuit.* 25. & *xvj. qu.* 7. *pia mentis.* 26. & *ibi gloss.* & *cap. filiis.* 51. & *xviij. qu.* 2. *c.* 4.

[Consistit. 1. In jure præsentandi instituendum ad beneficium vacans. 2. Potestate rectorem, si aliquid ex collatis Ecclesiæ defraudet, compescendi, & Episcopo, aut alioqui judici competenti, denuntiandi. 3. Honore primi loci in processione. 4. Subsidio vitæ pro ipso, aut liberis ad inopiam vergentibus. 5. Potest fundationis tempore censum aliquem, cum Episcopi consensu, reservare.]

De censibus, exactionibus, & Procurationibus.

146. Census [hoc loco] est, annua pensio. *j. qu.* 3. *c.* 4. *in fin.* quæ in argumentum subjectionis præstatur. *c.* 2. Alibi aliter accipitur. *D. de censib.*

[Ejus species est Cathedraticum, seu synodaticum.]

147. Cathedraticum, seu synodaticum est, census quem Ecclesia suo Episcopo, ob Cathedræ honorem, *x. qu.* 3. *c.* 1. in synodo præstat. *cap. olim.* 20.

148. Exactio est, gravamen quod extra ordinem imponitur. *c. Innovamus.* 10. & *c. ea qua.* 12.

149. Procuratio est, exhibitio, quæ fit ratione visitationis (id est, *c.* 6. *d. c. ea qua.* visitatoribus Ecclesiarum) vel conventionis. *c. quanto.* 16. *c. sopita.* 16. 14. & *xviij. qu.* 2. *c. ult.*

De

De consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

150. Consecratio seu dedicatio est, actus solennis, quo persona (ut Episcopi, & ceteri Clerici. *sup. de sac. unct. c. unic. in princ. & dist. 75.*) vel res (ut Ecclesia, altare, vas) *de consecr. dist.* 1. Deo dicatur.

De celebratione Missarum, & Sacramento Eucharistiæ, & divinis officiis.

151. Missa est, sacrificium incruentum, quod fit consecratione, oblatione, & communione Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini, ac repræsentatione Passionis Dominicæ, ad salutem fidelium, & remissionem peccatorum.

* Missæ partes, vel sunt essentiales, vel accidentales.

Essentiales sunt, consecratio Corporis & Sanguinis Christi & oblatio.

Accidentales sunt cerimoniæ, quibus consecratio ipsa & oblatio rite perficitur. *

152. De Sacramento Eucharistiæ. *Vid. sup. def.* 31.

153. Divina officia sunt, quæ in Dei honorem celebrantur, horis Canonicis.

154. Horæ Canonicæ sunt, Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperi, & Completorii.

De reliquiis, & veneratione Sanctorum.

155. Reliquiæ sunt, corpora Sanctorum, vel corporum partes quæ extant.

156. Sancti sunt, qui sunt à summo Pontifice Canonizati. *c.* 1. *hic.*

157. Canonizare est, in Sanctorum numerum referre.

De observatione jejuniorum.

158. Jejunium est, parsimonia victus, & abstinentia ciborum. *Innoc. cap.* 1. *num.* 1.

[Modi statuuntur varii. 1. cum semel tantum in die cibus sumitur. 2. abstinetur à cibis lautioribus, & multum nutrientibus. 3. sobriè vivitur.]

De Purificatione post partum.

159. Purificari dicitur, quod ex polluto purum fit.

De immunitate Ecclesiarum, cœmeterii, & rerum ad eas pertinentium.

[Immunitatem definitam habes, *lib.* 7. *defin.* 207.

Est hic duplex, vel personalis, quæ datur personæ, ut Clericis; vel realis, quæ Ecclesiæ, cœmeterio, & rebus Ecclesiæ.]

160. Cœmeterium est, locus sepulturis destinatus.

De cognatione ſpirituali.

[COgnatio, de qua hic reſpectu matrimonii prohibiti, eſt vel ſpiritualis, vel legalis, vel carnalis.]

161. Spiritualis cognatio eſt, perſonarum propinquitas, ſeu conjunctio, ex baptiſmo, vel confirmatione, *c.* 1. vel catechiſmo, *Infr. lib. 6. c.* 2. proveniens.

[Dividitur inter compaternitatem, paternitatem, & fraternitatem.]

162. Paternitas eſt, ſpiritualis conjunctio inter patrinum, vel matrinam; & filiolum, & filiolam.

163. Compaternitas eſt, ſpiritualis conjunctio inter parentem ſpiritualem, & carnalem.

164. Fraternitas eſt, ſpiritualis conjunctio inter filiolos vel filiolas, & patrini vel matrinæ filios, ſeu filias.

165. Patrinus eſt, pater ſpiritualis: vel baptizans, vel in baptiſmo ſuſcipiens. *xxx. qu.* 1. *c. omnis.* 8.

166. Matrina eſt, mater ſpiritualis: ut ea quæ in ſacro baptiſmo ſuſcepit.

167. Filiolus, vel filiola eſt, filius, vel filia ſpiritualis: ut baptizati, vel de baptiſmo ſuſcepti.

De cognatione legali.

168. COgnatio legalis eſt, quæ per adoptionem contrahitur.

Carnalis eſt, quæ à generatione originem habet.

[De quibus etiam, *l. 6. defin.* 22. 23. 24.]

De

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

169. COgnitio est, carnalis sexuum commixtio.

170. Consanguinei sunt, fratres ex eodem patre. *Inst. de leg. agn. success.*

171. In jure Canonico consanguinei vocantur, qui naturali cognatione inter se juncti sunt. *hic & tit. seq. & alib. in jur. Can.*

De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.

172. FRigidi sunt, qui ob naturæ frigiditatem coire non possunt.

173. Maleficiati sunt, qui, salvis genitalibus, maleficio effecti sunt impotentes ad coëundum.

De accusationibus, inquisitionibus & denuntiationibus.

ACcusationem definivi, *part. 7. defin. 69.*

174. Inquisitio est, cum judex ex officio, nemine accusante, disquirit, an aliquis deliquerit, vel quis delictum admiserit.

[Est triplex. 1. Omninò generalis, cum præses inquirit, an in sua provincia sint homines facinorosi. 2. Omninò specialis, cùm de speciali crimine in certam personam inquiritur. 3. Mixta, cum aliquo occiso in occisorem inquiritur.

Denuntiatio est, vel judicialis, vel Christiana sive Evangelica, vel Canonica.]

174. De-

175. Denuntiatio judicialis eſt, criminis, ac delinquentis delatio ad judicem, ſine inſcriptione, & ſine onere criminis probandi.

176. Chriſtiana, ſive Evangelica denuntiatio eſt, quæ fit ad emendationem & bonum animæ; ut, cum mulier occultum mariti adulterium ſacerdoti denuntiat. *ij. qu.* 1. *c. ſi peccaverit.* 18. *&* *xxxij. qu. 5. c. ult.*

177. Denuntiatio Canonica eſt, quæ fit ad impediendum, ne quid illicitum fiat. [ut ſi quis denuntiet matrimonium contrahere volentibus id eſſe in gradu prohibito]

De Simonia, & ne aliquid pro ſpiritualibus exigatur, vel promittatur.

[CRimina quæ denuntiato objici poſſunt hic enarrantur varia. Primum eſt Simonia. Quæ eſt, vel conventionalis, vel mentalis.]

178. Simonia conventionalis committitur, cum aliquid pro rebus ſpiritualibus; aut his quæ piritualibus ſunt annexæ, *c. non ſanctis. & c. ſeq. cum ſim.* datur, vel promittitur. *ſup. de ſconfeſſ. c.* 2.

179. Simonia mentalis eſt, cum nihil datur, aut promittitur, ſed prava dandi vel accipiendi intentio eſt, in eo qui ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa confert. *c. tua nos.* 24. *& c. ult.*

[*Ne prælati vices ſuas, vel Eccleſias ſub annuo cenſu concedant.*

SImoniæ ſpecies eſt, cum prælatus juriſdictionem ſuam, vel Eccleſiæ regimen ſub annuo cenſu concedit. *c.* 1. 2. 3. *hic.*]

De

De Magistris, & ne aliud exigatur pro licentia dandi.

180. MAgister est, qui docendi munere fungitur.

[Simoniæ species etiam, licet minus propriè, est, docendi licentiam pro pretio concedere. *Abb. in c. 1. & Innoc. in c. 2.*]

De Iudæis, & Saracenis, & eorum servis.

181. DE Judæis, *vide lib. 8. def. 88.*

[Saraceni pro paganis accipiuntur à doctoribus.

Attamen differunt. Illi enim neque Vetus neque Novum Testamentum agnoscunt. *vid. supra. lib. 8. defin. 97.*]

Saraceni utrumque Testamentum tantum ex parte admittunt, & Christum esse Dei filium, & humani generis redemptorem negant, ut Mahumetani.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

182. SChismatici sunt, qui unitatem Ecclesiæ dividunt, *xxiv. qu. 1. c. Schisma. 33.* se ab ejus vinculo separantes. *vij. qu. 1. c. Novatianus. 6.*

* Vel, Schismatici sunt, qui se ab universa Ecclesia per inobedientiam dividunt. *c. 14. Schisma. 24. qu. 3.* *

De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.

APostatarum definitionem *vide lib.* 8. *def.* 84. 85. 86.

De iterantibus baptisma, *vide lib.* 8. *def.* 83.

De infantibus & languidis expositis.

183. INfans est, minor septem annis. *Cod. de jur. delib. l. si infanti.* 18. *in princip.*

184. Languidus est, qui propter morbum languet.

De Torneamentis.

185. TOrneamenta sunt, nundinæ, seu feriæ, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ, temere congredi.

De Clericis pugnantibus in duello.

186. DUellum, *hac rub.* seu Monomachia, *ii. qu.*4. *c. Monomachiam.* 23. est, singulare certamen quod armis fit.

De sagittariis.

187. SAgittarii sunt, qui sagittandi artem exercent.

De sortilegiis.

188. Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis, per quasdam, quas sanctorum, sive Apostolorum, sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt. *xxij. qu. 1. c. unic.*

De Clerico venatore.

189. Venator est, qui feras bestias, aut volucres, canibus & avibus persequitur. *c. 1. & 2. & sup. in Cler. vel monach. c. 1. & dist. 34. c. 1. 2. 3.*

* Est venatio secundum Canonicos, *Gloss. in c. 8. dist. 86.* alia oppressiva, quæ homines perdit: *de qua c. fin. in fin. dist. 6.* alia arenaria; quæ fit, receptà mercede, in arena cum feris bestiis; *de qua in d. c. 8.* alia saltuosa; quæ in silvis & saltibus feras persequendo & occidendo exercetur. *

De Clerico percussore.

190. Percussor est, qui corpus verberat, seu percutit. *ut hic.*

191. Item percussor dicitur doctor, qui sermone inutili conscientiam infirmorum percutit. *dist. 45. can. ult.*

De Clerico maledico.

192. Maledicus est, qui asserit alteri malum inesse, quod non inest: vel negat inesse bonum, quod revera inest.

De Clerico excommunicato, deposito vel interdicto.

193. Excommunicatus est, qui à communione Ecclesiæ, vel fidelium, excluditur.

194. Deponi dicitur, qui exauctoratur, & è numero Clericorum ejicitur.

195. Interdictus dicitur, qui, Clericatu retento, eum prohibetur exercere. *conjunge def.* 202. *infr.*

De Clerico per saltum promoto.

Vide lib. 7. *def.* 206.

De eo qui ordinem furtive accepit.

196. Furtive ordinem accepit, qui sine ordinatione, & licentia superioris, & sine examinatione, promovetur, ingerens se cum multitudine ordinandorum, ignorante ordinatore. *Abbas hic.*

De excessibus Prælatorum, & subditorum.

197. Excessus est, proprii officii transgressio.

[Officium Prælati erga subditos est, ut eos tanquam Clericos honoret, & diligat; nec solum eis præsit, sed & prosit. *Lancel. lib.* 1. *Inst. jur. Can. tit.* 24.

Officium subditi erga Prælatum est, ut ei honorem exhibeat, & reverentiam.]

De privilegiis, & excessibus privilegiatorum.

198. PRivilegium est, quod contra jus commune, ob specialem favorem, alicui tribuitur.

De purgatione Canonica.

199. PUrgatio est, dilatio criminis objecti, de quo in neutram partem probatio extat.

[Seu purgatio est, innocentiæ ostensio, ei imposita qui, de crimine diffamatus, sive legitimis probationibus, sive propriâ confessione convinci non potest; de eo tamen apud bonos & graves viros ex verisimilibus suspicionibus est gravatus. *c.* 4. *&* 6. *hic.*

Est duplex, Canonica, & vulgaris.]

200. Purgatio Canonica, hic dicta, quod sacris Canonibus comprobatur, est, quæ fit per juramentum. *c.* 3. *c.* 5. *de testibus.* 13.

De purgatione vulgari.

201. PUrgatio vulgaris est, quæ contra sacros Canones vulgo est recepta; ut duello, ferro ignito, aqua ferventi, aqua frigida. 2. *qu.* 5. *c. mennam.* 7.

[Prohibita, quod per eam tentatur Deus, & absolvendus sæpe condemnatur.]

De Pœnitentiis & remissionibus.

[POenitentia (species pœnæ Canonicæ, jure civili incognita) est, interna, vel externa, vel solennis, vel publica, vel privata.]

202. Pœnitentia interna eſt, quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe, *de pœnit. diſtinct. 3. c. pœnitentia eſt quædam.* vel dolor cordis, quo quiſque in ſe punit quod deliquit, *de pœnit. diſt. 1. c. quis aliquando. 86. §. aliud autem. verſ. eſt enim.* vel dolor, & amaritudo animæ pro malis quæ quiſque commiſit, vel conſenſit. *ead. diſtinct. 1. cap. ecce.* 39.

Pœnitentiam externam, id eſt, Sacramentum, definivi *ſup. def.* 31.

203. Solennis eſt, quam propter majora ſcelera Epiſcopus in capite jejunii, ſervata certa rerum ſerie, delinquentibus imponit. *diſt.* 50. *in cap.* 65.

204. Publica eſt, quæ nulla ſervata juris ſolennitate injungitur peragenda: ut, peregrinatio, certi habitus delatio, & alia id genus. *Lancelot. Inſt. lib. 2. tit. 5. §. publica.*

205. Privata eſt, quæ in occulto fit, Deo & ſacerdoti *eod.*

[Effectus pœnitentiæ eſt remiſſio.]

206. Remiſſio eſt, abſolutio à peccato, quæ pœnitentiam ſequitur.

De ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti.

[Altera pœna Canonica eſt, excommunicatio.]

207. Excommunicatio eſt, cenſura Eccleſiaſtica, quâ quis à communione excluditur.

[Eſt, vel major, vel minor, vel Canonis, vel judicialis.]

208. Excommunicatio minor, ſeu propriè dicta, eſt, quæ tantum à Sacramentorum participatione removet. *c. pen. & iii. qu. 4. c. ult. & xj. qu. 3. c. ad menſam.* 24.

209. Ma-

209. Major excommunicatio, sive anathema, est, quæ ab Ecclesia, & omni fidelium communione segregat. *dict. jurib.* * Anathema, hoc est, æternæ mortis damnatio, dicitur. *in c. nemo. ii. qu.* 3.

Est, vel solennis, vel non solennis.

Solennis est, quæ fit adhibitis quibusdam ritibus & cærimoniis, post aliam, contra incorrigibilem. Aliquando propriè anathema dicitur. *c.* 10. *de judic. c.* 1. *de locat.*

Non solennis est, quæ sine solennitate unico verbo fit; Nempe, *Excommunico. c.* 1. *de eo qui furt. ord. susc. Gloss in c. cum aliquis.* 108. *ad verb. cautelam* 11. *qu.* 3. *

210. Excommunicatio Canonis, seu latæ sententiæ est, quæ ipso jure, sine judicis ministerio, aliquem ligat. *c. quamvis.* 58.

211. Excommunicatio judicialis est, quæ per judicem Ecclesiasticum irrogatur. *Infr. lib.* 6. *c.* 5. *& sup. de off. ordin. c. pastoralis.* 11. §. *præterea.*

212. Suspensio est, censura Ecclesiastica, qua exercitium officii, vel ordinis impeditur.

[Est, vel Canonis, vel judicis.]

213. Suspensio Canonis est, cum quis, ob notorium crimen, ipso jure à sui ordinis, vel officii executione arcetur.

214. Suspensio judicis est, cum quis per sententiam judicis à dicta executione ex causa removetur.

215. Interdictum Ecclesiasticum est, censura Ecclesiastica, per quam divinorum celebratio, & Sacramentorum perceptio, prohibetur.

* Vel, interdictum est, censura Ecclesiastica, *c.* 20. *de verb. signif.* qua certis personis, aut loco, à jure, vel judice Ecclesiastico, divinis officiis, sepultura, Sacramentorumque perceptione, donec

imperatis satisfecerint, interdicitur. *c. fin. e.* 16. *cum seqq. de sent. excomm. in 6.* *

[Est hoc; vel Canonis, vel judicis.]

216. Interdictum Canonis est, quod ipso jure, sive ipso facto, inducitur. *Infr. lib. 6. de elect. c.* 3. §. *praeterea. vers. civitas. & de usur. c.* 1. *vers. qui vero. & de poenit. c.* 5.

217. Interdictum judicis est, quod per sententiam judicis inducitur.

* Est duplex, vel generale, vel speciale.

Generale, cum regnum, provincia, oppidum, pagus, aut eorum populus, *c. si sententiam. de sent. excomm. in 6.* interdicitur.

Speciale; cum ex pluribus Ecclesiis, una vel paucae interdicuntur, *c. si civitas.* 17. *eod. in 6.* aut aliqua multitudo, sub certo vocabulo comprehensa, in populo tamen inclusa; ut, collegium, capitulum, universitas; *sum. Ang. verb. interdict. c.* 1. aut homo nominatim, *d. c. si sententiam.* interdicitur. *

FINIS.

IN-

INDEX
DEFINITIONUM, ORDINE LITERARIO DIGESTUS.

Numerus primus Librum indicat: alter definitionem, in prima editione expressam. Quæ mutato charactere inserta, secundâ; quæ paginis denotantur, novissimâ hâc, accesserunt.

Se-

Boethi

non

imperatis satisfecerint, interdicitur. *c. fin. e.* 16, *cum seqq. de sent. excomm. in* 6. *

[Est hoc, vel Canonis, vel judicis.]

216. Interdictum Canonis est, quod ipso jure, sive ipso facto, inducitur. *Infr. lib. 6. de elect. c.* 3. §. *praeterea. vers. civitas. & de usur. c.* 1. *vers. qui vero. & de poenit. c.* 5.

217. Interdictum judicis est, quod per sententiam judicis inducitur.

* Est duplex, vel generale, vel speciale.

Generale, cum regnum, provincia, oppidum, pagus, aut eorum populus, *c. si sententiam. de sent. excomm. in* 6. interdicitur.

Speciale; cum ex pluribus Ecclesiis, una vel paucae interdicuntur, *c. si civitas.* 17. *eod. in* 6. aut aliqua multitudo, sub certo vocabulo comprehensa, in populo tamen inclusa; ut, collegium, capitulum, universitas; *sum. Ang. verb. interdict. c.* 1. aut homo nominatim, *d. c. si sententiam.* interdicitur. *

FINIS.

IN-

INDEX
DEFINITIONUM, ORDINE LITERARIO DIGESTUS.

Numerus primus Librum indicat: alter definitionem, in prima editione expressam. Quæ mutato charactere inserta, secundâ; quæ paginis denotantur, novissimâ hâc, accesserunt.

Se-

arma-

non

cautio

sim-

D.

alia

fami-

gene-

con-

Quid

vel

Quo-

N.

deci-

Cano-

PRO-

 pu-

riva-

flu-

Etiam

Quo-

T.

Im-

FINIS.



